www.e-rara.ch

Oribasii Sardiani medici longe excellentissimi opera, quae extant omnia, tribus tomis digesta

Oribasius

Basileae, Anno Domini 1557

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: Le V 31-32

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-3891

[Tomus I & III]

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

dū recesseratis filij israel. In die eni illa abicient

idola argenti sui. et idola auri sui que fecerūt
uob manus uestre in peccatum. Et cadet assur in
gladio n̄ uiri. et gladius n̄ hominis uorabit
eū. et fugiet n̄ a facie gladij. et iuuenes eius uec
tigales erūt. et fortitudo eius a terrore eius transibit.
et pauebūt fugientes principes eius. Dixit dn̄s. Cuius
ignis est in syon. et caminus eius in hierusalem. Ecce in iusticia
regnabit rex et principes in iudicio p̄ erūt. Et erit
uir sicut qui absconditur a uento. et celat se a tē
pestate. Sicut riui aquarū in siti. et umbra petre
[illegible] in terra deserta. [illegible] oculi
[illegible]

XXX

Catalog

V. VIII. 138.

L. e V 11.

Hic autor
C Graecè
risiensi te
horū, q
usus es

Hic autor prius eadem forma prodijt Parisijs. 1555.
& Graecè extare, MSto codice, in Collegio Pa-
risiensi testatur Joh. Hardouinus, in Catalogoau-
thorum, quibus ipse in suo ad Plinium com-
mentus est.

ORIBASII SARDIANI MEDICI LONGE EXCELLENTISSIMI OPERA, QVAE EXTANT OMNIA, tribus tomis digesta, Ioanne Baptista Rasario interprete.

PRIMVS HABET

Synopseos ad Eustathium filium libros nouem, quibus tota Medicina in compendium redacta, continetur.

ITEM DVOS LIBELLOS DE MAchinamentis & laqueis, suis figuris exquisitè illustratos.

Cum indice & rerum & uerborum tam huius quàm sequentis tomi locupletissimo.

BASILEAE, *apud Michaëlem Isingrinium*, Anno Domini M. D. LVII.

BIBL. PUBL.
BASILEENSIS

COSMO MEDICI ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DVCI FLORENTIAE, IOANNES Baptista Rasarius Nouariensis medicus S. P. D.



VM mihi ab ineunte ætate persuasissem, Cosme Medice Dux maxime, nihil ingenij exercitatione, studijsq; literarum esse præstantius, nihilq; esse homini magis proprium, quàm pro uirili parte omnibus prodesse: ita semper in literis sum'uersatus, ut quoad eius fieri à me posset, publicæ omnium utilitati consulerem: itaq; & libellos aliquot admodum adolescens de græcis latinos feci, et græcas literas multos annos in Academia Ticinensi publicè docui: quo etiã munere in hac urbe clarissima nunc fungor. Cumq; arderẽ incredibili desiderio, ut aliquod mearum uigiliarũ munus in tuo nomine appareret, ut quoniã tuo, maiorumq; tuorum beneficio literæ, scientiæq; omnes, quæ iandiu exules in tenebris iacebant, restitutæ, atq; in Italiæ luce collocatæ, & ad summum gradum euectæ fuerunt, aliquam tibi ego quoq; grati animi mei significationem darem: ut id possem efficere, mihi suppeditauit Nicolaus Sammichelius Nouocomensis uir præstãtissimus, & singulari medicinæ multarumq; artium ac scientiarum cognitione ornatissimus: is enim cùm sciret ea, quæ susa latius antiquiores Medici persequuti essent, omnia ab Oribasio unum in uolumen eruditè, diligenterq; fuisse

redacta, ut uno quasi aspectu quilibet totã medicinam intueatur, mihi persuasit, ut eum librum latinitate donarem. quod ut maturius facerem, codicẽ suum peruetustum, quem olim ex Græcia deportauerat, mihi accõmodauit. Cumq; is liber ad eundem, qui autor ipsius cõfectionis fuisset, quasi iure quodam esset deferendus, ipse Princeps admonere me cœpit, atq; hortari, ne tibi id, quod sciret me iandiu animo exoptauisse, deberem diutius: quin etiam mihi urgendam esse hanc occasionem, neq; ullam reperiri meliorem posse corfirmauit. Quod eum uir summa uirtute & humanitate Petrus Carneseccus tui obseruantissimus ex me cognouisset, ita approbauit, & cõsilium hoc commendauit, & ut in eo omnino perstarem, amplissimas uerbis admonuit, ut licet ego non esse mihi properandũ statuissem, quanquã hoc ualde cupiebam, tamen eruditissimorum hominum, & quibus me charissimum esse sentirem, hortatu ac suasu factus sim promptior: nam præter rationes, quas ipsi asserebant, uidebam ego multas causas esse, quamobrem Oribasius medicus tibi esset dedicandus. Etenim præterquàm quòd tanta sit nominis tui celebritas atq; fama, tantáq; fuerit usq; à puero de te concepta opinio, re postea confirmata, & facta in dies maior, ut nõ modò tua felicissima Respub. te uehementer diligat atque obseruet, sed etiam ut omnes mortales te maximopere admirentur, cùm omnes uno ore summã prudentiam tuam, & in ista Repub. administranda æquitatem commendent, mores tuos optimos celebrent, tempe-

temperantiam in te ita suspiciant, ut licet in urbe pulcherrima, & in omni genere deliciarum affluenti, summa cum potestate sis, ita tamen semper uixeris, ut non modò crimine, sed etiam suspicione omnino caueris: & te quasi numen quoddam in hac mundi sede ad usus hominum bonorum, & præsertim eorum qui in literis tempus operamq; suam ponunt, diuinitus collocatum uenerentur. Quædam etiam non mediocris inter mediciū & Medicem intercedit similitudo: nam ut medicus corporis morbos profligat, ut animi sedes ac domicilium cōseruetur: ita Medices animos sanauit, ut se unà cum corporibus tueri & conseruare diutius possint. atq; (ut de te Dux maxime, tuisq; maioribus simul uerba faciam) id cognominis Dei optimi maximi uoluntate nobis fuisse impositum uidetur. Cùm enim totam ferè Italiā barbaries quædam occupasset, ut literæ omnes iacerent, artes sordescerent, scientiæ contemptui ducerentur, ut uix ullum esset earum uestigium: militaris deniq; disciplina ita esset despecta, ut Itali omniū ignauissimi haberentur: ita uos omnia restituistis, omnia instauraſtis, omnia deniq; à morte ad uitam reuocastis, ut quemadmodum resolutos, attonitos, & eos, quorum mens caligine quadam oppressa munere suo non fungitur, medici curant, & hominum salutem custodiunt: ita uos languidos & prope iacentes erexistis, enerues robustos reddidistis, stupidos excitastis, tenebras ex animis hominum expulistis, & à barbarie, quæ erat rerum omnium pernicies, liberastis, ut uestra

uirtute, ueſtroq; beneficio omnia priſtino nitori et decori fuerint reſtituta. quas in res tu nunc etiã ſic incumbis, ut nõ modò ab optimis ſummisq; principibus originem ducere, & à Ioanne Medice clariſſimo fortiſſimoq; Imperatore genitus eſſe uidearis, ſed ſicut uirtutem, ita etiam gloriam eorum omnium longè ſuperes: quòd quidem res quamplurimæ à te præclariſſimè geſtæ, innumera ſanctiſſimaq; inſtituta tua, & ingenium omni liberali doctrina politiſſimũ, et perpetuũ ſtudiũ in homines eruditos, perſpicuè declarant. quæ omnia propter ſingularem meam erga te obſeruantiam nunc libentiſſimè explicarem, niſi imparem factis orationem meam futuram planè ſcirem: & Oribaſius me admoneret, ſe ideo compendiũ hoc conſcripſiſſe, ne liber in ingens uolumen excreſceret: & tu deniq; maximarum rerum, & iſtius optimæ Reip. adminiſtratione, et rei militaris negotijs ſis impeditus, ut multa huiuſmodi legere nõ poſſis. Quamobrem te maiorẽ in modum rogo, ut Oribaſium in fidem amicitiamq; tuam ſic recipias, ut quamuis Iulianũ eruditiſſimũ Imperatorem, cui charus fuit, amiſerit, nunc tamen hac multò meliore patroni cõmutatione gratuletur: & quæſo, ut hanc animi in te mei propenſionem ita accipias, utab homine qui te plurimùm colit, & obſeruat, profectam putes: nec huius opuſculi exiguitatem, ſed animum, quo nomini tuo conſecratur, æſtimes atq; perpendas. Cura, ut ualeas. Venetijs, Calend. Decemb.

M. D. LIII.

mentum.

Primo libro continentur ea, quæ ad bonam ualetudinem tuendam pertinent: deq; exercitationibus, & euacuationibus, quæ uiris mulieribusq; conueniunt: & de aëre, sudoribus, balneis naturalibus, & arte paratis, cataplasmatis, dropacibus, sinapismis, & ijs quæ ruborem inducunt, agitur. Eius uerò capita sunt hæc:

Præfatio ad filium.	
De frictione præparante	Cap. I.
De exercitationibus	Cap. II.
De generibus exercitationum	Cap. III.
De frictione	Cap. IIII.
De uociferatione	Cap. V.
De rebus uenereis	Cap. VI.
De uenæ sectione	Cap. VII.
De iterata sanguinis missione	Cap. VIII.
Quantum sanguinis mittendum sit	Cap. IX.
Quæ uena sit secanda	Cap. X.
De tempore uenæ secandæ	Cap. XI.
De arteriarum sectione	Cap. XII.
De cucurbitulis	Cap. XIII.
Ee scarificatione	Cap. XIIII.
De hirudinibus	Cap. XV.
De purgatione	Cap. XVI.
Quæ per inferiores partes purgant	Cap. XVII.
De uomitibus	Cap. XVIII.

De clysteribus Cap.XIX.
De glandibus Cap.XX.
De ijs quibus caput purgatur Cap.XXI.
Quæ menstruas purgationes ducunt Cap.XXII.
Sudores mouentia Cap.XXIII.
De aëre Cap.XXIIII.
De fomentis Cap.XXV.
De cataplasmate Cap.XXVI.
De lotionibus Cap.XXVII.
De balneis industria paratis. Cap.XXVIII.
De balneis per nascentibus Cap.XXIX.
De dropacibus Cap.XXX.
De sinapismo Cap.XXXI.
De insessu in solio ex oleo Cap.XXXII.
De ingressu in hydrelæum Cap.XXXIII.
De remedijs metasyncriticis Cap.XXXIIII.
Quæ ruborem inducunt Cap.XXXV.

ORI-

ORIBASII SARDIANI COMPENDII AD EVSTATHIVM FILIVM, LIBER PRIMUS, Ioanne Baptista Rasario Nouariensi medico interprete.



VM Diuus Iulianus Imperator nobis olim iniunxisset, vt quæcunq; Medici præstantissimi conscripsissent, quæ ad tuendam valetudinem pertinerent, vnum in volumen redigeremus: nos ea septuaginta libris prompto animo comprehendimus. Nunc verò cùm tu Eustathi fili suauissime, ea etiam in compendium redigi cuperes, id quoq; impigrè confeci: siquidem videbam hoc non solùm tibi cùm iter faceres, sed alijs etiam qui non oscitanter medicinæ operam dant, maximè accõmodatum fore. Quicunq; enim in latis medicinæ spatijs vagati, studiosè & diligenter se in ea exercuerunt, hoc compendium habebunt, quod facilè eis suppeditabit ea quæ fuerint agenda: quandoquidem qui hæc, quæ à me breuiter summatimque dicuntur, perlegent, ad memoriam reuocabunt omnia, quæ ad cuiusq; rei cognitionẽ pertinent: & fiet, vt eorum quæ in vsu medicinæ versantur, satis magna eis suppetat copia, neque onus pergraue secum ferant. Ea autem morborũ remedia solùm describentur, quæ in promptu sunt, & parari facilè possunt: & quæcunq; medicamentis & victus ratione quod facto opus est, præstare consueuerunt. De parte verò medicinæ quæ manu medetur, quòd ea in itineribus tractari difficiliter possit, mentionem nullam faciam: ad eam enim pleruuq; opus est machinis atq; instrumentis, quæ

neutiquam facilè ſuppetunt, quemadmodum in fracturis perſępe, & articulorum luxationibus contingit. ex quibus, quæ ſolùm manu curari queũt, ab ijs, qui pueros corporis exercitationem docent, quiq; athletarũ curam gerunt, optimè reſtituuntur. Hæc igitur & alia omnia, quę manuũ opera curantur, melius ab exercitoribus obeuntur: quocirca hæc demandantes eiuſmodi hominibus, eorũ, quæ nos vrgent, quæq; diutius conſultandi tempus non concedunt, curationes, quæ medicamentis & ratione victus abſoluuntur, percenſebimus.

De frictione præparante. Cap. I.

ANte exercitationes corpus mediocriter calefacere frictione ex linteis oportet: mox oleo manibus nudis fricare, donec corpus probè calefiat, & molliatur, & rubor floridus appareat, & in molem extollatur.

De exercitationibus. Cap. II.

EXercitatio eſt vehemens motus. Terminus vehementiæ eſt anhelitus ad frequentiorem alteratio. Porrò laborioſæ exercitationes membra organica prępparant, & robuſtiora ad actiones, & ad validiſsimam alimenti attractionẽ promptiſsimamq; alterationẽ, & meliorem appetitũ propter calorem excitatum reddunt, meatus purgant, & vehementi ſpiritus impetu excrementa expellunt. Cùm igitur digeſtionem in corpus adiuuent, neq; crudorum, neque incoctorum ciborum, aut ſuccorum in ventriculo, atq; inteſtinis multitudo ſit, oportet. Periculũ enim eſſet, ne antequã per concoctionẽ vtiles facti eſſent, in omnes animantis partes raperentur. ex quo perſpicuum eſt, exercitationes debere cibum præcedere. Opportuni temporis nota, vrinæ color eſt. quæ enim aquæ ſpeciem prę ſert, crudum adhuc eſſe eum ſuccum

succum indicat, qui à ventriculo submittitur: quæ verò rufa, bilioſaq; eſt, iandudum concoctum eſſe: quæ mediocriter pallet, nuper factæ concoctionis ſignum eſt. ac tunc quidem adeunda eſt exercitatio, eiectis tamẽ prius excrementis, quæ in veſica, & ventre continentur.

De generibus exercitationis. Cap. III.

OMnium exercitationum commune illud eſt, vt animanti caloris incrementum ex ipſis excitetur. Ex ſingulis porrò exercitationibus alia valens eſt, in qua reſpiratio eſt violenta ſine velocitate, quæ muſculis & neruis robur parat. eiuſmodi ſunt, fodere, & onere maximo ſublato, aut manere eodem in loco, aut paululum procedere. Decliues etiã inambulationes huius generis ſunt, vt ſi quis per funem manibus comprehenſum ſcandat, & alia quamplurima his ſimilia. Aliæ verò citra robur & violentiam peraguntur, cuiuſmodi ſunt, curſus, & vmbratilis armorum exercitatio, & cùm duo ſummis manibus concertant inter ſe. quæ verò per follem, & paruam pilam fit exercitatio, eſt compoſita ex robuſta & citata. Quęcunq; autem exercitationes robuſtę ſunt, ijs omnibus vt vehementibus vti poſſumus, motus celeritate abiecta. Præterea ex ipſis exercitationibus alię magis lumbos, quàm manus vel crura exercent: aliæ ſpinam, aut thoracẽ ſolùm, aut pulmonem. Vſq; eò exercendum eſt, dum corpus intumeſcat, & floridum fiat: motusq; & prompti & ęquabiles, & cõcinni edantur: inter quæ ſudorẽ calidum cõmiſtum intueberis. Ac tum primùm inhibenda exercitatio eſt, cùm aliquod horum fuerit immutatũ: veluti ſi contractior corporis moles videbitur, illicò deſiſtendum eſt. eodemq; modo ſi floridus color euaneſcat, eſt ceſſandũ. In motib. quoq; ſi quid remitti videa-

tur, statim est desinendũ. itemq; in sudoribus si qua mutatio aut in copia, aut in qualitate contingat, vt si vel minor, vel frigidior edatur, erit itidẽ quiescendum: tum corpus oleo perfundendũ, & deinde vtendum apotherapia. postremò autem apotherapeutica frictione vtendũ, vt exercitores facere cõsueuerũt.

De propria frictione. Cap. IIII.

EX frictionibus vehemens, densandi: lenis, rarefaciendi vim habet. quocirca ea corpora, quæ supra modum laxata sunt, vehementer sunt fricanda. quæ constricta sunt, leuiter. quæ mediocriter se habent, in ijs nec vehementi, nec leni frictione, sed quoad eius fieri potest, vtroq; extremo declinato, vtendum esse, perspicuum est. Nimia frictio extenuat: quę verò quantitate media est, nutrit. Atque hę tres differentiæ frictionum, quæ à qualitate ducuntur, tribus quæ ex quantitate existunt, coniunctæ, coniugationes nouem efficiunt.

De vociferatione. Cap. V.

IN vociferationibus suauis & lenis vox nihil ad bonam valetudinem confert. at sonus vocum grauiorum vtilis est, quocirca in eo exerceri conuenit: ita enim plurimus aër per inspirationẽ attractus, in corpus, thoracem atq; ventriculum extendit, & totius corporis meatus dilatat atq; diducit. quam ob rem in lectionibus humores exuberantes excernuntur: ac in elatioribus quidem lectionibus per sudores, in submissioribus verò, per occultum totius corporis perspiratum. Illa enim attenuatione efficitur, vt multa excrementa, screatus, sputa, mucus, & pituita expellantur, & consumantur. nam quibus calore opus est propter frigiditatẽ, quódnam afferri accommodatius auxilium potest, quàm id quod actio respirationis præstat? Ergo sæpe legendum est, vt toto corpore

pore laxato, carneq; raritate perfusa, arteriam, cęterosq; spiritus transitus studiose raros efficiętes per grauiores vocis terminationes modulemur. Vocis actione neq; temerè, neq; incōsultò vtendū est, neque etiam cùm prauorū corruptorumq; humorum adfuerit copia. Quin etiá vox exercenda nō est, cùm magnę & euidentes stomachi cruditates apparēt, no corrupti vapores largius per corpus distribuantur.

De venereis ex Rufo. Cap. VI.

EX rebus venereis hæc commoda sunt: quod superuacaneum est, inaniunt, corpus agile reddunt, ad incrementum promouent, & magis vtile efficiunt. Animo verò id præstatur à venere, vt impeditam rationis vim explicet, iramq; vehementem sedet. ideo fit, vt venus melancholicis, si quid aliud, accommodatissimū sit remedium. eadem integros sensus reddit eorum, quicunq; alio insaniæ genere laborant. summè facit etiam ad morbos qui ex pituita nascuntur. alij ab inedia ad cibum facilè sumendum redierunt. alij à cōtinuis pollutionibus, quæ in somnis fiebant, sunt liberati. Naturæ autem venereis idoneæ, sunt calidæ, & humidæ: præ cæteris verò, quæ proniores ad venerem sunt. Minimè omnium ad venerem facit victus exiccans & refrigerant, atque ætas senilis, tempus autumnale. ergo victus ratio humida & calida instituenda est. labores & cibi moderati sint. quemadmodū labores moderati, ita etiam concubitus moderati conueniunt: nam & ad rem ipsam incitant, & consuetudine facilitatem quandam præbent. Libido, si quid aliud, alimenti exuberantiá exigit. ex quo fit, vt qui cibi valde nutriunt, ij sunt accōmodati. atque ex piscibus, Polypodes apti sunt: excitare enim venerem mirum in modum existimantur. quicunq; etiam molles carnes habēt, huius sunt

generis. Ex oleribus, orminũ, erysimum, eruca, & rapa: hæcq; vt medicamẽta apta sunt. Ex leguminibus prosunt fabæ, cicer, eruilia, phaseli, & pisi: à quibus corpus cùm flatu impletur, tum verò etiam copiose alitur. Ruta autem quia flatus discutit ac propellit, ideo cõmiscendi corporis libidinẽ obtundit. Vuas ego magnopere cõmendo: nam & humectant, & spiritu replent sanguinem, qui impetu fertur in venerem. Qui ad venerem est accessurus, recentes satietates, cruditates, ebrietates, & famem caueat: coire enim cum excrementis malum est. Qui venereis vti voluerit, optimè vtetur à cibo, qui ad satietatẽ non sit ingestus: nam hoc ad vires confert, & refrigerationes quæ subsequi solent, minus contingunt. noxium est post labores concumbere. Cauendus etiam cõcubitus est à lassitudine, & post vomitus, qui præcesserint, itemq; purgationes, & alui fluxus recentes: siquidem diuturnos quandoque venus exiccat. Ita vehementes quoque cupiditates non laudo: imò verò tum continendum magis censeo, ac præsertim ijs, quos morbus aliquis infestat.

De venæ sectione, ex Gal. sententia. Cap. VII.

VEnæ sectio non solùm cùm plenitudo est, eaque siue ad robur, siue ad vasorum, quibus succi continentur, amplitudinem pertineat, sed etiam si plenitudo nulla sit, magnopere prodest initio inflammationis, quæ vel ex dolore, vel ex plaga, vel ex partiũ corporis imbecillitate oriatur. Si magnus morbus expectetur, sanguis omnino mittendus erit, etiam si plenitudinis signa non adsint, habita tamen ratione ætatis, anni temporis, & virium. Vtrúmne ad venæ sectionẽ omnino progrediendum est, in vtroq; plenitudinis genere, cùm hęc ipsa appareant in aliquo, qui adhuc consueta munia obeat? an minimè necesse est,

se est, cùm nullus magnus morbus imminere videatur? an statuendū hoc omnino est, vt in omnibus magnis morbis necesse sit venæ sectionē cōfestim adhiberi? Qui verò nihil eiusmodi passi sunt, omniumq; corporis partium constructionē vitio carentem sint sortiti, duplici via euacuantur: sanguinis quidē missione, si in victu sint intemperantes: sine venę sectione autē, si temperatè vitam degant: nam & multa frictione, balneisq;, & ambulationibus, atq; alijs motionibus, & item vnctionibus, in quibus digerendi vis ineſt, statim exhaurire plenitudinem poteris: nisi fortè crassi, melancholiciq; sanguinis abundantia tibi adesse videatur, quandoquidē tunc venæ est facienda sectio. Vbi autem crudi succi exuperant, antequā morbus incipiat, euacuabis, sed cautè. vbi verò febris iam accedit, non item. Si qui autem facilè in morbos incidant, nec tamē vllum symptoma appareat, eis initio Veris secanda vena est. Omnibus etiam, quos singulis annis morbi, qui ex plenitudine oriuntur, in æstate exercere solent, ineunte Vere mittendus est sanguis. Idem quoq; faciendum est in ijs, qui eiusmodi morbis verno tempore corripiuntur. Id verò facere antequàm æstas incipiat, & sub finem Veris expediet.

De iterata sanguinis missione. Cap. VIII.

IN quibus multa euacuatione opus est, vires autem infirmæ sunt, in ijs partiri euacuationem præstat, vt cùm parum sanguinis detraxerimus, iterum, siq; lubet, etiam tertiò eundem mittamus: quemadmodum in ijs fit, in quibus crudorum humorum ineſt copia. Cæterùm vbi feruescentis sanguinis copia redundat, acutissimam febrim accendens, euacuatio confertim facienda est, conandumq; est inanire vsque ad animi defectionem, virium robore di-

genter inspecto: quemadmodũ scio quibusdam sex subinde heminas sanguinis fuisse detractas. Quam ob rem etiam de nocte venam interdum incidere ne verearis. animum nerò diligenter adhibere oportet ad detractionem, pulsus tangendo dum sanguis adhuc fluit, ne fortè pro animi defectione, mortem afferre te nescias.

Quantũ sanguinis mittendũ sit. Cap. IX.

MOrbi magnitudo & virium robur primi scopi sunt mittendi sanguinis. hi aucti maiorem euacuationem esse faciendam indicant: non aucti, tantum esse diminuendum de sanguinis missione, quantò illi minores sint redditi. Deinde expendendum est, qualis sit hominis natura: quibus enim venæ amplæ sunt, quiq; mediocriter sunt graciles, nec candidi, neq; tenera carne, eos copiosius euacuabis. Qui verò contrà affecti sunt, parcius, nam & parum sanguinis habent, & facilè exoluuntur. Eadem etiam ratione pueris vena incidenda non est vsq; ad decimumquartum ætatis annum. Pòst verò si copiam sanguinis congesserint, tempusq; anni vernum sit, regioq; temperata, ac puer sit natura sanguinea, sanguinem minues. id quòd multò etiam magis facies, si grauioris morbi periculum immineat. Primùm autem detrahes vsq; ad heminam, ad summum. quòd si vires firmæ esse tibi videbuntur, dimidium adijcies iterata missione. Iam septuagenarios quoque, cùm vires robustæ sint, euacuabis. Mentè verò adhibere oportet ad sanguinis mutationem tum in colore, tum etiam in consistentia, ac præsertim vbi inflammationis causa vena secetur.

Quæ vena sit secanda. Cap. X.

REuulsionis causa venam secato è directo partium ad quas sanguis fluit, vt affecto liene, vena quæ est pro-

est prope annularem digitum sinistræ manus: vel interna cubiti secanda est. In lateris dolore eam quæ rectà ad locum effectũ pertinet, incides. Oculorum præterea dolores vehementes mirum in modum sedãtur, si vena humeraria in cubito è directo secetur. Sunt hi tres modi sanguinis ex cubiti vena mittendi, interior, exterior, medius. Interior autem vtilis est ijs, quorũ partes, quæ infra collum sunt, patiuntur: exterior verò ijs, quibus facies & caput laborant: medius deniq; ad inferiores & superiores partes est accõmodatus. Si in venæ sectione error committatur, in media vena neruus subiectus incidetur: eamque, nisi magna necessitas vrgeat, secare cauendum est. Humerariam venam omnino sine periculo secabis. Et tamen ex hac quoque nonnulli diuturnos dolores acceperunt: sed nemini eorum, qui ita fuerunt affecti, semel vena fuit percussa, sed bis & ter ab ijs, qui eam secabant, posteaquam aberrauissent. Maxima verò incisione semel facta, nemo inflammationem, nec dolorem sensit: idcirco citra timorem incidenda est. Magna verò cura adhibenda est in secanda media. Infernam verò ne secemus danda opera est. Porrò vt partes memoratæ secta cubiti vena iuuantur, ita quæ his sunt inferiores, hoc est, coxa, vesica, & vterus, curantur sectione earum quæ prope malleolos & poplité sitæ sunt. Renes ab vtraque parte venarum subleuantur. In principijs autem inflammationum vena secanda est ad reuellendum. In inueteratis, præcipuè mittendus est sanguis ex ipsis affectis particulis. Si ab ijs non queas, à propinquis mittito. In quibus autem corporibus nulla adhuc particula affecta est, euacuationemque Vere ineunte antè molimur, vena omnis æquè est ad incidendum accommodata.

De tempore venæ secandæ. Cap. XI.

IN quacunq; diei noctisq; hora, animum attendendo ad singularum accessionũ in febricitantibus declinationem, venam secabis. In ijs verò qui febrem non habent, hocq; indigent auxilio, magnitudo affectionis, ad quam venæ sectione opus est, spectari debet: cùm nihil horum aut vrgeat, aut prohibeat, præstat manè venã secare interiecto vnius horę spatio, ex quo quispiã est experrectus. Alios lauari melius est: alios etiam prius deambulauisse: alios verò, postquàm nónullas res consuetas confeciſſent. Vbi verò simpliciter euacuare volumus, eodem etiam die iteranda erit sectio: at in quibus reuellere, si duobus deinceps diebus fiat, optimè fiet.

De arteriarum sectione. Cap. XII.

ARterias, quæ in temporibus sunt, medici secant, cùm humores calidi & flatuosi in oculos confluunt. eas verò quę post aures sunt, in vertigini obnoxijs, atque ijs præsertim, quos diuturni capitis morbi calidi & flatuosi exerceant. Iam verò & in alijs quoque diuturnis capitis morbis, arterias, quæ post aures sunt, incidunt: alij verò incidere arterias verentur, quia sanguinis fluxus difficiliter supprimitur, & quia cùm sectio ad cicatricem venit, aneurysma efficitur.

De cucurbitulis. Cap. XIII.

CVcurbitularum vsus neq; in principijs morborum adhibetur, neque cùm succi omnes æquabiliter exuperant in corpore: sed cùm antea euacuatum totum corpus fuerit, neque quicquam ad partem prętereа fluat, opusq; sit mouere, excutere, & ad partes extimas trahere. Ne verò prope mammas affigãtur cucurbitulæ, cauendum est: illapsæ enim cucurbitulis nonnunquam mammæ, & inturgescentes, magna admo-

admodum difficultate auelluntur. quo quidem casu cucurbitulas spongijs ex calida aqua circundare oportet, siquidem ita remittentur; sin minus, cucurbitulas perforare consilium est.

De scarificatione ex Apollonij commentarijs. Cap. XIIII.

VEnam in anno sæpe incidere, non esse accommodatum puto, quoniam vnà cum multo sanguine, spiritus quoque vitalis effunditur: quo crebrius exhausto, tota corporis compages refrigeratur, & omnes naturales actiones peius obeũtur. quocirca mea sententia est, ab ignobilissimis partibus, vtpote à cruribus, sanguinem mitti. Præstantissimum hoc auxilium est tum ad tuendam sanitatem, tum ad recuperandam, cùm auersa fuerit. Oculis quoq; diutina fluxione oppressis, ac cęteris affectionib. capitis, itéq; thoracis, & anginæ, prodest scarificatio. Constipationes autem quę aliqua in parte sint, locali scarificatione sunt dissoluendæ.

De hirudinibus ex Antyllo. Cap. XV.

HIrudines captæ vnum diem seruandæ, atque exiguo sanguine alendæ sunt. Vbi vti volueris, partem cui applicandæ sunt, nitro fricabis, & sanguine illines aut fouebis: hirudinesq; in aquam puram & tepidam injciendæ sunt, deinde sumendæ, tum spongia excipiendæ, & strigmentis purgandæ, ac deniq; admouendæ. Intumescentes autem trahere non desinẽt, donec sale aut cinere ora ipsarum perspergantur. Cùm exciderint, spongijs fouendus est locus. Si sanguinis fluxus perseueret, gallam vstam, aut spongiam nouam pice liquida illitam, & chartam vstam aceto madefactam applicato.

De purgatione. Cap. XVI.

SAna corpora difficiliter purgantur: nam & vertigine vexantur ac torquentur, fitque molesta purgatio, & celerius præterea exoluuntur. Qui igitur adhuc valent, casuri tamen in morbum sunt, nisi prius purgentur, euacuandi sunt ineunte Vere. In comitialibus verò, quiq; ægrè spiritum ducunt, pituitosos humores subducendo: in doloribus verò articulorum, si cum multo calore sint, amaram bilem, si cum tumoribus frigidis, pituitam. prius tamen crassi & glutinosi humores attenuādi, secandiq; sunt, & meatus etiam, per quos humores à purgantibus medicamentis traijciantur ac ducantur, aperiendi, si optima in rebus omnibus sit successura purgatio. Ergo in principio serosos tenuesque humores vacuabis: crassorum atq; tenacium, quales suapte natura sunt pituita & atra bilis, concoctionem expectabis. In ijs autem qui iam ægrotant, si diuturnus morbus est futurus, semper est expectanda cōcoctio: at in acutis, cùm materia turget, etiam in initio potes medicamentum prębere, idq; magna cum animaduersione, cùm humores in motu sunt, præcipites feruntur ac fluunt. Quicunq; autē in aliquam partem decubuerunt, ij neq; vllo alio auxilio mouendi, neq; medicamento purgandi sunt prius, quàm fuerint concocti. quo etiam tempore crisis efficitur. Cùm verò medicamenta purgantia ventriculi os lædant, excogitatum est, odorata eiusdem admiscere, vt ne sola, néue syncera ipsorum vis ventriculi os attingat.

Quæ per infernas partes purgent, quibus vtamur. Cap. XVII.

ELleborus niger bilem & pituitam per aluum ducit scamonea admista. Si purgare mitius uelis, satis erit ellebori radices siccas ad drachmas duas incidere,

dere,vinoq; dulci,aut oxymelite perspergere,deinde in lentibus,aut ptisana coquere,vel cum iure gallinæ sorbendū dare. scamoneæ verò tres oboli possunt elleboro admisceri. Præstat autem iucunditatis gratia,anisi, & petroselini,& dauci parum elleboro adiungere.

Cnidius coccus pituitam, & bilem, & aquosa,& pleraq; expurgat. est autem feruens, & acutissimus ad purgandum. Dantur eius grana triginta:si lenius purgare velis,viginti. cortex auferendus est: internaq; pars cum melle & polenta trita præbetur, aut in melicrato potui datur,sed cum vino melius bibitur. A potu verò parum olei absorbeto, ne fauces exurat. sumitur etiam ex melle cocto,grana contrita melle illinendo.

Mercurialis si tenera folia decocta comederis, abundè stercus expellent : si verò decoctum vino admistum bibas,valentius aluus deijciet.

Polypodiū pituitā, bilem,& aquosa educit.radicis dātur drachmæ duæ affusæ aqua mulsa,vel aqua. Non pessimè etiam super salsamentum deraditur,& ante prandium comeditur. Radix quoq; in ptisana, aut gallinaceo iure incocta,citra molestiam purgat.

Colocynthis pituitá & bilem puram educit.Datur medullæ interioris drachma vna ex aqua mulsa. Si mitior purgatio quæratur,colocynthidos semen eijcito, in corticē vinū dulce perfundito, sub molli cinere coquito vsquedū probè cōcaluerit: idq; potui dato ijs, quib.nō vehemēti purgatione opus est, & quib.liuida exanthemata per cutim effloreſcunt.

Aloë non acriter purgat,stomacho accommodatissima est. Satis est dare drachmas duas cum aqua mulsa.pituitam & bilem ducit.Sumi etiam commodè potest quotidie à cœna: pertransit enim,neq; ci-

bos corrumpit. Præterea neq; sitim, neq; famem inducit. Tritam aloën succo brassicæ excipe, & catapotia ad ciceris aut fabæ magnitudinem confice: ex ijs duo aut tria sumito, vt euacuandi necessitas sit. Potes etiam cum resina catapotia conficere, & cum melle cocto. rectè quoq; scamoneam admiscebis.

Epithymũ atram bilem, pituitamq; educit. Dato eius triti & cribrati drachmas binas cum vino dulci, aut plus eo cum melle, sale admiscendo. Confert flatuosis, & hypochondriacis affectionibus, & cruditatibus, & quibus iecur grauatur, quiq; difficiliter spirant.

Agaricum pituitã & bilem purgat, & non acutè. Dantur drachmę duæ ex aqua mulsa vel oxymelite.

Euphorbiũ, aquosa & biliosa copiose educit, estq; eorum quę norim acutissimum atq; ardẽtissimum. Hoc quidẽ hydropicis, colicisq;, & ijs qui ventres frigidiores habent, conuenit: sed cæteros vehementer perturbat, sitimq; affert. Odoratũ aliquod semẽ miscẽdũ ei est: bibẽdũ ex melicrato ad tres obolos.

Cnicus pituitam & bilem, sed non vehementer purgat. Seminis triti succus excolandus est, & iure gallinaceo admisto sorbẽdus. Quidam anisso, melli, amygdalisq; commiscent, & catapotia ad arquatos conficiunt: huius quatuor drachmæ sufficiunt.

Scamonea nulla parte superatur ab ijs quæ agitant & commouent, neq; in acrimonia, neq; in viribus. Stomachi dolorẽ affert, graue olens, insuauis, & valde sticulosa est. Ex quo fit, vt aliqui nõ incommodè aloën ei miscẽant, & ita præbeant: alij verò addant thymi comam, & sale: alij semina odorata. Pituitam & bilem vehementer educit. datur eius puræ drachma vna ad summum. Si vomitus instent, apium aceto intingendum, ac mãdendum est; itemq;

oliua

oliua alba sale condita, atq; etiã salis grumus in ore est tenendus, quæ quidem omnia vomitum prohibent. Præterea confert coriandrum odorari, & pulegium, & calamintham. Sed præstat in lecto paululum in quiete contineri ventrẽ, & summos pedes fouendo: veluti etiam confestim deambulare, & copiosos vomitus, & ventriculi morsus, & vertigines excitat. Cùm verò ad pristinum statum redierint, tum deambulatio imperãda est, vt subinde sensim se submoueant: id quod magis quàm celer gressus irritat. Purgatione cessante, vtilius erit in lecto recũbere, & ita vigiles quiescere, magis enim confluet: tunc verò etiam paulatim sorbeant modicũ aquæ calidæ cum aceto: nam & morsus absterget, & excretiones proritat. Qui verò non purgantur, aquã mulsam sorbeant, aut nitrum aqua liquefactũ: sed melius etiam erit glandem ex sale & nitro confectam ano indere.

De vomitibus. Cap. XVIII.

QVoniam eos qui violenter vomũt multa incommoda sequi consueuerunt, operæprecium erit modos, quibus facilè quis vomat, exponere. Vomitus enim pituitam euacuat, caput leuat, & quandoque eum qui auidius cibum ingessit, cruditatibus vexari, eumq; qui nimio vino se ingurgitauit, lædi non sinit. Quæ autem ad ciendum vomitũ adhibentur, sunto neq; acerba, neq; arida, sed partim dulciora, & liquidiora, partim acriora. Inter hæc probãtur raphanus, eruca, vetus salsamẽtum, origanum viride, cepe parum, & porri. Conferunt etiam ptisanæ è leguminibus melle adiecto, itemq; lomenta fabarum, & pingues carnes. Non tamen oportet horum succos tantummodò sumere, sed totam molem deuorare: neq; etiam diutius est in ijs manducandis immorandum, si quis velit euomere. sint autem omnia co-

quendo emollita. Inter vina, dulciora anteferenda sunt: hæc enim magis fluitant. Potus esto tepidior. amygdalas etiã melle intinctas par est edere, tumq; placentam gustare, peponis, ac cucumeris semen maceratum, & læuigatum cum melle offerre. ad hoc facit etiã cucumeris radix trita ex melle. Qui volunt vehemẽtius euomere, narcisi bulbũ aqua coquunt, eaq; vinum miscent. Ciet etiam vomitũ irinum vnguentum, si quis illitis eo digitis iritet. Valet etiam ad vomitum excitandũ, non cessare, neq; quicquam intermittere. A vomitu tum os abluere, tum verò etiam faciem debemus posca diluta abstergere: hoc enim & dentibus prodest, & caput alleuat.

De clysteribus. Cap. XIX.

CLysteres qui inijciũtur, vel mites, vel acres sunt: educendarum fęcum causa in febribus continuis, & malignis, & in ijs qui ob longam imbecillitatem vires reficiunt, & excremẽta difficulter eijciunt, & in quibus flatus excitantur, calidiorẽ aquam imponemus, cũ tepida ipsa inflet: idq; vna expressione clysteris faciendũ est. Fœnograeci verò decoctum muliebribus corporibus & delicatis inijciemus: maluę itidẽ, & ijs præsertim in quibus siccitas inest: in quibus verò morsus sint, seminis lini decoctum conueniet. Furfuris cremor, tragiq;, & item panis, & alicæ afferunt etiam aliquid alimenti: & quandoque vsus postulat, vt vnà cum stercoris euacuatione aliquid, quod alendi vim habeat, adiungamus. Intestinorum etiam vlceribus, quæ in superficie sint, hæc prodest iniectio, ad quæ accõmodata etiam erit ptisana adipe suillo addito. Betæ succus & decoctum ad vertigines, & palpitationes intestinorum iniecta ualent: stercus etiam dissoluunt, ac continuis morsiunculis occurrũt. Portulacæ succus vtilis est in feruoribus,

cæterisq;

cæterisq; quæ consequuntur: & ijs, quibus propter duri stercoris excretionē extrema recti intestini parte læsa erysipelatis affectio oborta est: sed in eiusmodi & ouum, & oleū in quacunq; inflāmatione commiscetur. Conuenit hoc etiam ijs, in quibus tormina à flatibus excitātur. magis verò flatus discutit decoctum rutæ, vel cumini, vel anethi, vel baccarū lauri. ijs quoq; in quibus frigus febrim excitauit, prodest. Lac quandoq; injicitur, cùm intestina vlcerata aut inflammata sunt, itemq; renes & vesica, & vterus. Roboris addendi gratia sumendum etiam est mel, & anserinus vel caprinus adeps. Hydrelæo vtemur in distentionibus, & stercoris retentione, atq; etiam bitumine, cū eę ex refrigeratione obueniunt. Butyrum ijs indimus, in quibus propter inflammationē intestini recti excrementa continentur, & fordida vlcera circa intestinū sunt. Maluæ succus & decoctum vsui sunt ad diutina tormina & inflammationes, quibus intestina vexantur, cùm anus quoq; morbo simul afflictatur. Mulsa injicitur, cùm partes intestinorum illæsæ permanent, & stercus difficulter mollescit. Vino autem & oleo, vel ptisanę succo aut maluæ vtimur in ijs, qui opium sumpserunt. Vinum autem cum rosaceo, & alba ouorū, aut sapam, aut rosaceum incoctum initiò adhibemus ijs, qui à tenesmo infestantur: mulsam verò, aut lentis decoctum cū melle, aut pariter erui, aut ptisanæ succum cum rosaceo in abscessibus colum intestinū discindentibus. Mensura eorum quæ injiciuntur, ad summū tres heminę sunt: ad minus, vna: mediocris iniectio duabus heminis perficitur. Sæpe autem & bis, & ter injicimus, ac præcipuè in ijs, in quibus exulceratio & inflammatio in recto intestino adiacens stercus cohibet. Cæterum acribus clysteribus vti-

mur in ischiadicis, & erecta ceruice spirantibus, in quibus spiritus à stomacho nõ efflatur. Clyster qui sanguinis ducendi vim habeat, constat ex garo siluri, muria, & aqua marina. Paratur etiam hoc modo: Mellis heminæ dimidium, aquæ heminæ duæ, muriæ olcæ tres, olei quarta heminæ pars, componantur: nonnulli bina oua adiungunt. Ijs verò qui fungos mortiferos comederunt, nitrum, absinthium, & raphani succus, & rutæ decoctum injicitur. Ad lumbricos, qui ascarides dicũtur, faciunt muria, vel centaurij decoctũ, vel absinthij, vel lupinorum, vel aloës, vel cedria cum alicuius decocto. Mihi verò vsu compertũ est, auriculæ muris succum triduo potui datum, sæpenumero quod opus erat, confecisse. datur sextarij quarta pars. In resolutione intestini recti, clyster ex muria imponendus est. Quos helminthę lumbrici infestant, ijs decoctum lupinorum, aut eorũ cremor, aut rhus, aut muria debet imponi. Cupiditatibus autem nimijs desidendi, quas tinesmus excitat, parum muriæ adhibendum. Si verò sanguis syncerus propter intestinorũ exulcerationẽ fluat, herbæ sanguinalis, aut plantaginis succũ, aut myrti baccarum nigrarum vino incoctarum dabimus. His postea admiscemus thus, vel acaciam, vel hypocisti, dem, vel malicorium, vel alumen. Vlceribus intestini non fluentibus lac caprinum indimus, aut etiam bubulum, aut lycij drachmas duas, aut terræ samiæ drachmas quatuor: fluentibus autem, & perhumidis vlceribus, chartę cõbustæ, aut lentisci cinerem, aut medicamentũ ex charta constans cum aqua, aut decoctum adstringentium.

De glandibus. Cap. XX.

GLandibus sæpe vtimur stercoris educendi gratia, atq; etiã in ijs, in quibus quod clysteri iniectum est, non

est,non excernitur. Conficimus glandes ex sale tosto,melle, & nitro: & thymũ cocto melle excipitur. fiunt etiam ex resina terebinthina,& nitro:quãdoq; grani cnidij parum addimus.morsus autem excitat, idcirco partes oleo sunt vngendæ.Pyrethro itidem vtimur,oleo perfuso:conuenitq; paralyticis, & flatibus ex frigore obortis. Centaurium verò cum pice & cerato,accommodatum est ad pudendi remissionem.Infantibus grumus salis inditur.Ficus etiam cum nitro atq; cumino conficitur.

De ijs quibus caput purgatur. Cap. XXI.

HVmores qui in capite sunt, sputis euacuamus, si parum euacuare velimus:idq; facimus piperis & mastiches admistione. Si verò copiosius euacuare propositum sit,pyrethrum,aut vuam taminiam mandere iubemus.Præterea anemonæ vtriusq; radix mansa pituitam euocat: itemq; cortex radicis capparis. Igitur serosum excrementum his remedijs expellitur. Crassum verò & pituitosum educit sinapi cum oxymelite gargarizatũ, aut sapa, aut origanum,aut hyssopum coctum.Ego verò sapam sinapi cum oxymelite admisceo.Si verò cerebrũ muco purgandum sit,acribus eum remedijs, quorum nonulla mouent sternutamentum,euocabimus.Per nares igitur purgat anagallidis vtriusq; succus, omnisq; anemonæ, & betæ. Naribus etiam infunditur foliorum cucumeris syluestris succus vel per se,vel cum betæ succo,aut decocto.Sternutamentum autem crudis humoribus,qui in thoracis,pulmonis,& capitis partibus continentur,minimè conuenit.Os ita illinetur: sinapi cum betę succo palatum,columellamq; vngito,& proderit: idemque per nares purgat, & facilè suppetit.Sæpe etiam melanthio ad nares illiniendas vsus sum,quandoq; acri aceto pridie macerans:po-

ſtero verò die aceto iterum læuigans,& naribus infundens. Quandoq; verò cum oleo veteri idem melanthiũ tero,& eodem modo vtor. Ita etiã Archigenes eo vſus eſt ad nariũ obſtructa foramina. Id verò quod aceto paratur,ad arquatos adhibebat Crito.

Quæ menſtrua ducant. Cap. XXII.

QVęcunq; vrinam cient,eadem menſtrua ducunt: Braſicæ radicis decoctum epotum, perſicæ radix, ruta, chryſanthemon, dictamnum, & erucæ ſemen. Mouent etiam menſtrua, quæ ori vuluæ admouentur, vt ruta cum melle trita, aut anethi radix excalfacta, aut ſpodium cum melle, aut porri ſuccus,aut allium cõtuſum adhibitum, aut myrrha læuigata,& ex vino,aut leporis coagulum.

Sudores mouentia. Cap. XXIII.

EX ſudorem prouocantibus eſt chamæmelum ſiccum,tritum, oleo perfuſum, cute valenter perfricata: ſeſeli, pyrethrum, cachry, aniſum,oleo ſimiliter perfuſa, nitrum toſtum & tenuiſsimum cum oleo. Salis flos oleo commiſtus, ſuccus Cyrenaicus aqua reſolutus ad corpus confricandum.

De aëre. Cap. XXIIII.

OPtimus aër eſt,qui puriſsimus eſt. Talis erit,qui neq; è ſtagnorũ, neq; paludum euaporatione, neq; ex barathro quopiã pernicioſam aurã expirante,turbetur. Ita quicunq; ex cloaca magnã ciuitatem expurgante inficitur, malus eſt. Itemq; is qui nebuloſus eſt, non eſt bonus: ſicut etiam quicunq; in caua regione magnis vndiq; montibus includitur, neq; auram vllam ſuſcipit.

De fomentis. Cap. XXV.

CVtim rarefacere, eamq; facilè perſpirabilẽ reddere, ſanguinemq; in inflammationibus attenuare & digerere fomenta conſueuerunt. Sed ſi totũ corpus ex-

pus excrementis abundet, plus materiæ ad partẽ calefactam trahetur, quàm discutiatur. quam ob rem ante fomentorũ vsum totum corpus euacuandũ est. Humida igitur fomenta inflãmationibus, quas succi bilioſiores pepererunt, cõueniunt: arida verò ijs, quæ ex tenui aqueoq; ſanguine oriuntur: non mordacia mordacibus ſuccis accõmodata ſunt: mordacia, quia attenuant, craſsis & glutinoſis. Præcordia autem irrigationibus aut fomentis calefacere, non ſemper eſt tutũ: ſed in illis ſolùm ęgrotis eſt faciendum, in quibus nullum excrementũ in toto copore abundat: cęteris omnibus ſummũ malum eſt. In principijs igitur, cùm adhuc materia ad affectum locum confluit, præſtat repellere. Si verò latio materiæ repellentib. remedijs cohibeatur, denſitasq; partibus affectis inducta craſsiora contineat, tunc iam tempus eſt laxandi, vt cõtenta vacuentur: præſertim verò vbi ad iecur aut ventriculum decubuerint ſuperflua, adſtringentibus vtendum eſt: principales enim hæ partes ſunt. Imò verò vbi etiam tẽpus fuerit ea quę impacta fuerint diſcutiendi, tunc quoq; hæ partes adſtringendæ ſunt, vt abſinthium oleo coquentes irrigemus, aut etiam melino, aut lentiſcino, aut maſtichino. Ad eundem modũ cataplaſmata compoſitã ex laxante & attenuante, & ex amara atq; aſtringente facultate vim habeant. Si colum, aut alia inteſtina, aut muſculi præcordiorum, aut abdomen fuerint affecta, adſtringentia miſcenda non ſunt: ſicut etiam neq; cùm veſica, aut vulua affectæ ſunt, miſceri debent, cùm, vt dictum eſt, nihil amplius defluat, neque plenitudo aut excrementum in toto corpore redundet. Sic etiam cucurbitulis, euacuato prius toto corpore, non in principijs affectionum, vtemur.

De cataplasmate ex fermento. Cap XXVI.

HOc cataplasma ad diffundendum liquandumq; compacta valentissimum est. Surculos extrahit, & durities iuuat, & plantarum pedum cõtusiones. Fermentum verò est oleo subigendum quantum satis sit, eoq; vtendum. Si augere vim volueris, nitri parum adiungito. Si verò aceto fermentum dissoluas, & coquendo spissaueris, erit ad splenis hepatisq; tumores duros accõmodatissimum. Si thymum & pulegium & absinthium ei admiscueris, optimum medicamentum confeceris.

Aliud ex ficubus.

FIcus pingues vnà cum seminib. ita exquisitè contundito, vt nulla pars nõ contusa relinquatur, ijsq; vnguenti irini parum addito. facit hoc ad durities neruorum, & ad articulos contractos, aut plus iusto laxatos, & ad scirrhos, præsertimq; lienis & iecinoris. Si verò nitri parum addas, absces sus rumpet, acu leosq; extrahet. Si verò ficubus ita paratis miscueris pulegij, aut origani, aut thymi, aut absinthij comam minutissimè tritam, hydropicis cõueniet. Præterea ficus probè coctæ, vt dissolui queant, & contritæ, iterũ ea coquantur aqua, in qua prius fuerant coctæ, deinde hordeaceam aut frumentaceam farinam misce, & iterum coque ad cõsistentiam: valebit hoc ad tubercula quę non facilè matureścunt. Si injicere pinguedinem velis, butyrum misce. Si rutę folia trita læuigata misceantur, ad dolores intestinorum, quos flatus excitarint, faciet. Cuminum quoq; oleo admisto non secus facit.

De lotionibus. Cap. XXVII.

AQua frigida lauari ita quidem cõmendo, vt non ijs, qui nullo victus delectu degunt ex vsu esse asseram, sed ijs solis, qui eodẽ accurato, laboribusq; ac cibis,

cibis,vt cõuenit,vtuntur.Multis autem quibus maiore interdum refrigeratione opus est,satis est æstiuo tempore,cùm iuuenes sunt, carnosi,& frictionibus prius calefacti,in frigida natare.Sint autem neque venereis, neq; alia ratione lassi,neque cruditatem sentiant, neq; per vomitum,aut per aluum inaniti,neque vigilijs fatigati: periculosum enim est, si aliter quispiam se lauet. Calidum balneum & optimum & tutissimũ est:lassitudines soluit, humorum plenitudinẽ digerit,& excalfacit,mitigatq;,ac mollit.Flatus, vbicunque decubuerint, diffundit: somnum conciliat,carne replet,& facilè omnibus,& viris,& fœminis, & pueris, & senibus, & priuatis administrari potest.

De balneis quæ industria parantur. Cap. XXVIII.

BAlnea industria nostra calefaciẽtia paramus, aut refrigerationis sedandæ, aut lassitudinis soluendæ, aut cõuulsionis mitigandæ, aut doloris leniendi, & reficiendi gratia. Calidæ autem aquæ fiunt pulegio incocto,aut origano,aut hyssopo,aut thymo, aut satureia,aut folijs lauri,aut pyrethri radice,atq; his similibus. oleum etiam inijcimus. Balnea quoque digerentia facimus, cùm totum corpus attenuare volumus. Adijcitur autem vis digerendi balneis aut sale imposito , aut ipsa marina iniecta , aut nitro. Mel quoq; admistum addit aquæ vim digerendi, itemq; cinis sarmẽtorum & baccarum iuniperi decoctum. Molliendi gratia vtimur balneis in inflammationibus,ac duritie. Ac in ijs quos inflammatio male habet, maluę decoctum inijcimus,itemq; seminis lini, & fœnigræci . In fluidis autem inflammationibus, plantago aut polygonum incoquitur , aut malicorium,aut rosæ,aut rubi cima. In ijs quibus imminet

conuulsio,vtimur ijs quæ inflámationibus non fluidis cóueniunt: maximè verò ijs prodest oleum cum aqua, in quibus malua & fœnumgręcum cocta sint. Ad duritiem sine inflammatione,vtimur ijs quæ ad digerendum adhibentur. Balnea enim tum refrigerant,tum adstringunt,cùm materias habent,in quibus adstringendi & refrigerandi vis inest.

De balneis suapte natura nascentibus.

Cap. XXIX.

BAlneorum spontè nascentium alia nitri, alia salis, alia aluminis, alia sulphuris, alia bituminis,alia æris,alia ferri vim obtinent:alia ex ijs cópositasunt. Atque omnium quidem aquarum sponte scaturientium ea vis est,vt prorsus calefaciát,& exiccent,humidioribusq; ac frigidioribus maximè conueniant. In primis verò nitrosæ ac salsæ, capiti,ac thoraci fluxione infestato,itemq; stomacho perhumido,atque hydropicis adiumento sunt.Aluminosæ autè ad sanguinis reiectationem sistendam, ad stomachum qui ad vomitum procliuis sit,ad mulieres quæ inordinatè purgantur, & quæ frequenter abortum faciunt, sunt accommodatæ. Sulphureæ verò neruos molliunt atq; resoluunt,ac dolores sedant,ventriculum tamẽ relaxant,& peruertunt. Bituminosæ caput replent,ac sensuum instrumẽtis nocent,atq; etiam calefaciunt iugiter, & progressu temporis emolliunt. Quæ æris naturã referunt,ori,tonsillis,vuæ,& oculis excellenter prosunt. Ferreæ deniq; ventriculum & splenem iuuant. In aquam verò immersio facienda est sensim, vt virtus corpori laxato occurrens,interius penetret.

De dropacibus. Cap. XXX.

DRopax diuturnis morbis maximè conuenit. Calefaciendi gratia adijcitur piper, pyrethrum, roris marini

marini semen, bitumen. Si opus exiccandi sit, sal, sulphur viuum, cinis sarmentorum: si aperire, limnestis, euphorbium.

De sinapismo. Cap. XXXI.

SInapismus, qui dropace vehementior est, diutinis morbis est accómodatus. Eo vtendum est in segnioribus affectionibus, & immoderatis circa carnē partibus, & quarū vi etiam adhibita sensus obtusus est. Terminus autem actionis medicaměti esto, vt ægro tus vehementer doleat, caroq; nigrior reddatur, & fiat altior quàm ea quæ adiacet, & postquam ablotum fuerit, pustulę mitius erumpant. Ad morbos autem, & partes facilè sentientes, mitius vtendum est sinapi, vt eius vsus mensura sit, vt caro fiat paulò rubicundior. Conficiendi modus est huiusmodi. Caricas in aqua tepida pridie macerare oportet, postri die verò eius diei vehementer expressas, probè contundere: deinde acre sinapi, quale est Syriacū & Aegyptium, capere, ac per se conterere, aquam in qua caricæ fuerint infusæ paulatim affundendo: tum in massas redigere, alterā ex caricis, ex sinapi alteram, postremò miscere. Si vehementi sinapismo vti velimus, duas sinapi partes vni caricarū addemus: si mediocri, pares portiones adhibebimus: sin mitius, tertiam partem sinapi, duas caricarū commiscebimus. Post torporē sinapi, & balnei vsum, si vehemens sit dolor, & rubor, & pustulę eruperint, lana rosaceo & aqua intincta adhibenda est: aqua verò sit maluę decoctū, aut fœnigræci succus. Postea verò cerato rosaceo cum cerussa vtemur. Hoc etiam sciendum est, si in aceto sinapi maceretur, minus efficax cataplasma fieri. Caprarum fimus cum aceto compactus efficacior sinapi est: præcipuè autem & mirum in modum ischiadicis conuenit.

De insessu in solium ex oleo. Cap. XXXII.

INsessus in solium ex oleo febribus diuturnis ex frigore, itemq; lassatis, & quibus vrina suppressa est, conueniunt. Quinta autem olei pars igni calefacienda est, reliquum verò in balnei solio: oleum enim in balneis non satis calidum efficitur.

De ingressu in hydrelæum. Cap. XXXIII.

SI imbecilli sint qui in hydrelæū se demittunt, endromide amicti ingrediantur. Oleum autem cum aqua diligenter miscendum est, neq; minus quàm sexta pars esse debet.

De remedijs metasyncriticis. Cap. XXXIIII.

IN omnibus diuturnis morbis, cùm cætera auxilia nihil profecerint, omnes ferè ea remedia quæ methodici nominãt metasyncritica, hoc est, quæ ex intimis partibus humores euocant, adhibere cõsueuerunt. Ego verò vbi intẽperies quædã humida & frigida in affectis particulis inest, ijs medicamẽta ex sinapi, thapsiaq;, & his simílib. adhibeo: ad siccas verò & calidas, nõ vtor. Cęterũ qui affectiones cognoscere nõ possunt, sępe quod conuenit, perficiunt: quòd pleroſq; homines eiusmodi frigidæ atq; humidæ affectiones, ob malã ac vitiatã victus rationẽ infestẽt.

Quæ ruborem inducant. Cap. XXXV.

NAsturtij semen ruborẽ excitat, & calefacit æquè ac sinapi. helenij radix æquè ac fimus columbarũ syluestrium, quo admodũ frequenter vtimur. eo etiam cũ nasturtij semine contuso pro sinapi vtor in ischiade, hemicrania, vertigine, diuturnis doloribus capitis, laterum, humerorum, tendinum, & lumborum. Iam verò facit & ad renum vitia, & ad colicas affectiones, itemq; podagram, & articulorum dolores, cùm nondum callum obduxerint.

FINIS PRIMI LIBRI.

Secun-

SECVNDI LIBRI ARGVMENTVM.

IN *secundo agitur de materia, quam naturam, vim, actionemq; habeat: & quænam quibusque affectibus conueniat. Deinde simplicia medicamenta expenduntur, deq; eorum mensura, mixtione, & coctione, itemq; de ponderibus & mensuris, deq; emplastris, quæ πλατύσματα dicuntur, verba fiunt. Eius verò hæc sunt capita.*

Quæ media sint inter calefacientia & refrigerantia. Caput I.
Quæ calefaciunt. II.
Quæ calefaciũt primo ordine. Caput III.
Quæ calefaciunt secundo ordine. Caput IIII.
Quæ tertio ordine calefaciũt. Caput V.
Quæ calefaciunt quarto ordine. Caput VI.
Quæ moderatè refrigerẽt. VII.
Quæ primo gradu refrigerent. Caput VIII.
Quæ secundi gradus sint. IX.
Quæ tertij sint ordinis refrigerantium. X.
Quæ sint quarti ordinis. XI.
Quæ modicè exiccent. XII.
Quæ simpliciter exiccẽt. XIII.
Quæ primo ordine exiccent. Caput XIIII.
Quæ secundo ordine siccent. Caput XV.
Quæ tertio ordine exiccent. Caput XVI.
Quæ siccent quarto ordine. Caput XVII.
Media inter siccantia & humectantia. XVIII.
Quæ primo ordine humectẽt. Caput XIX.
Quæ secũdo ordine humectẽt. Caput XX.
Quæ aquosam frigiditatẽ habeant. XXI.
Quæ tenuiũ sint partiũ XXII.
Quæ crasis è partibus constẽt. Caput XXIII.
Corroborantia. XXIIII.
Quæ suppurent. XXV.
Quæ concoquant. XXVI.
Mollientia. XXVII.
Quæ indurent. XXVIII.
Quæ humiditatem ex ore trahant. XXIX.
Quæ per nares ducant. XXX.
Quæ ab oculis ducant. XXXI.
Quæ per aures purgẽt. XXXII.
Quæ aperiant, & purgent. Caput XXXIII.
Quæ abstergant. XXXIIII.
Quæ vrinã moueãt. XXXV.
Quæ per vrinã è splene educant. XXXVI.

Quæ ex hepate educant.
Caput XXXVII.
Quæ ex renibus ducunt.
Caput XXXVIII.
Quibus educantur ea, quæ in thorace insunt. XXXIX.
Renes purgantia. XL.
Cutem rarefacientia. XLI.
Ora vasorum aperientia.
Caput XLII.
Quæ cutim cõdensent. XLIII.
Quæ corrodant. XLIIII.
Quæ reprimunt. XLV.
Quæ ad cicatricẽ perducant.
Caput XLVI.
Superficiẽ exulcerãtia. XLVII.
Adurentia. XLVIII.
Attrahentia. XLIX.
Discutientia. L.
Adstringentia. LI.
Quæ lac gignant. LII.
Ad menstrua suppressa. LIII.
Quæ semen generent, ac prouocent. LIIII.
Quæ semen cohibeant. LV.
De simplicium medicamentorum electione. LVI.
Qui ceræ modus cum oleo sit.
Caput LVII.
De ponderibus & mensuris.
Caput LVIII.
Medicamẽtum renes à calculo seruans. LIX.
De latis emplastris. LX.
De coctione medicamẽtorum.
Caput LXI.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER SECVNDVS.

Quæ media sint inter calefacientia & refrigerantia. Cap. primum.

ADIANTVM, asparagus, myacanthinus, muscus, qui etiam splanchnon dicitur, glycyrhizæ succus, oleum dulcissimum, cera, faba, lycium, lotus siue trifolium, citrij cortex, filicis radix, pinei nuclei, lentiscus, lens, terra chia, & samia, cadmia, argenti spuma.

Quæ

Quæ calefaciant. Cap II.

VIticis folia & ſemen moderatè, vrticæ fructus & folia, amygdala dulcia, anagallis vtraq;, atractylis, cnicus agreſtis, aphace, rubi fructus maturus, radix glycyrhizæ, oleæ fructus maturus, fermẽtum, eryngiũ, reſinę omnes, cicerbita arida, iunci odorati flos palmæ fructus, cochlearum aduſtarum cinis, braſsica canina multum, ranunculi radix & tota herba, pulegium, lauri folia, ac magis etiá bacca, dictamnum, falſodictamnum, ſaluia, eryſimum, lanæ vſtæ, zinziber, thapſia, cardamomũ, liquores, capilli vſti, bryoniæ radix, ariſtolochia, aſphodeli radix, daucus, chamædaphne, dracunculi radix, oleum raphaninũ, cicer, viſcum, caucalis, liguſticum, ferulæ ſemen, ſagapenum, ſatyrium, apium, ſium, ſinon, ſtyrax, idnon, piper, hypericon, ſal, ſulphur, ſanguis, fel, vrina, ſaliua, caro viperarum, adeps, ſalſorum piſcium muria.

Quæ calefaciant primo ordine. Cap. III.

ALoẽ, chamæmelum, arum, abſinthium, agaricum, ladanum, lini ſemen, malabathri folium, ſpica nardi, nardum celticum, vinum nouum, ſerum, caſeus, ficus ſiccæ.

Quæ calefaciant ſecundo ordine. Cap. IIII.

AMurca, anethum, ſed viride minus, artemiſia, balſamum, elaphoboſcũ, calamus aromaticus, crocus, libanotus, chia maſtiche, mel, vinũ, pix, meliſſophyllum, marrubiũ, propolis, cucumeris agreſtis ſuccus, ſcandix, ſcilla, cardui radix, myrrha, terebinthi cortex, & folia, & item fructus, fœnumgræcum, chamæleontis vtriuſque radix, chamæpitys, ocymum.

Quæ tertio ordine calefaciant. Cap. V.

ABrotonum, ac præſertim vſtum, lolium, populi nigræ flores & reſina, acorum, amomum, ammi, anethum vſtum, aniſum, iuniperus, aſari radix, ſabina,

elleborus vterq;,epithymum,menta,ſatureia,arundinis vallaris cortex vſtus,carum,caſia,cedrus vtraque,cnici ſemen,conyzæ,cuminũ, thuris fuligo,fœniculum,melanthiũ, ſulphur,mei radix, moly,ruta, raphanum,rhododaphne,vinum vetus,omne origanum, opopanax, petroſelinum, ſampſuchus, ſmyrnium,hyſſopum,chamædrys,galbanum.

Quæ calefaciant quarto ordine. Cap. VI.

ADarce,ampelopraſum,euphorbium,oleum cedrinum,coſtus,cæpa,lepidiũ,ſinapi,allium,ſtruthij radix, tithymalorum ſucci, & quæcunq; adurendi vi prædita ſunt.

Quæ moderatè refrigerent. Cap. VII.

GRamen mediocriter,auricula muris citra adſtrictionem,pira illita mediocriter,balauſtium,rubi folia,germina,acerbus fructus & flores:auena mediocriter, muſcus marinus, glaucium mediocriter, conyon vehemẽter,lichen petris adnaſcens,omne papauer,pomi frondes & fructus,oleæ frondes & fructus immaturus, oleum myrteum, ſeſaminum,balaninum,helxine,quæ & perdicium nominatur:moderatè,panicum, violæ folia & ſucci & cortices,dulcibus exceptis: perſici fructus, caro citrij, fungi ſatis, omphacij ſuccus,amylum quod ex frumento fit moderatè:roſaceũ moderatè,ſordes ex paleſtra,cicerbita nõ ſicca,tribulus vterq;, palmæ ramorũ ſuccus,ſamia terra moderatè,terra cimolia,naxię cotis ſcobs, plumbago,ceruſſa,ſandyx,moderatè,caſeus recens.

Quæ primo gradu refrigerent. Cap. VIII.

ACacia non lota,atriplex ſine adſtrictione, acinivuæ,milium,hordeum,platanus,rhamnus,ſeris.

Quæ ſecundi gradus ſint. Cap. VIII.

ACacia lota,plantago,beta,galla immatura,cucurbita,rhois,cucumis,pepo,ſolanũ hortenſe, lens paluſtris,

luſtris,alga viridis è mari euulſa,pſyllij ſemen.

Quæ tertij ſint ordinis refrigerantium. Ca. X.

SEmperuiua vtraque,portulaca,mandragora,citrij pars acida, herba ſanguinalis, potamogiton, altercum,eiusq; flos,& ſemen album.

Quæ ſint quarti ordinis. Cap. XI.

SVccus papaueris,& cicuta.

Quæ modicè exiccent. Cap. XII.

VRticæ ſemen & folia,amurca, anagallis vtraque, plantago,auena, oleum dulce, inſulſum,lotum: erica,fermentũ, quod etiam ex alto trahit ac diſcutit, lupinus amarus,cauda equina, iſatis vehementer,ſalicis flos & folia cum adſtrictione quadam.nonnulli ex eis ſuccũ exprimunt, habentq; pro ſiccante medicamento ad multa vtili. Nullũ enim eſt ad plures vſus accommodatius medicamentũ,quàm quod citra mordacitatẽ exiccat & adſtringit.Iuglandis putamen vſtum,quod eſt etiam tenuium partium,centaurium minus vehementer,ceraſi gummi,lilium,faba foris appoſita, cupreſsi omnia, cyperi radix, nuclei pinei in aqua macerati,nymphęæ radix,malicorium valde, quinquefolij radix, polypodium, myrrha,ſarcocolla,ſtœbe,tragacantha,terra omnis,cadmia, aſiæ petræ flos marceſcentes carnes arefacit, pompholyx continenter lota, calx extincta & lota, ſtrenuè, ouorum candidum, & putamen, & eorundem etiam vitelli.

Quæ ſimpliciter exiccent. Cap. XIII.

VIticis folia & ſemen, radix graminis mediocriter,adiantum, ſemperuiuum vtrunq;, populi flores & reſina,acte vtraque, amaranthus, quæ etiam pota fluxiones ſiſtit,bryonię radix,populi nigrę folia ſicca, pira illita. Mediocriter exiccant ariſtolochiæ, aſparagus,aſpalathus,aſphodeli radix,eiusq; potius

exuſtę cinis: balauſtium valde, ruborum fructus immaturi, bulbus illitus, pæoniæ radix, lauri folia magnopere, & multò etiá magis baccæ, quercus, & phagi partes omnes: oleum cyprinum, laurinum, tædinum, panicum illitum, eryngium, cinis corticis ſalicis vehementer deſiccat: cannabis fructus, cardamomum, caucalis, daucus, lixiuiũ, & magis etiam ex cinere ficulno, chrethmum, lilij folia, & radix, lichen qui in petris naſcitur, fuligo omnis, lotus, omphacium, polypodiũ, amylum, ſal, nitrum, gypſus, cadmiæ omnes, omniaq; metallica, lapideaq; & terreſtria, teſta clibanorum, coagulum, & omne ſtercus: anſerum tamen inutile eſt propter nimiam acrimoniam: ſordes, caro viperarum, capita menularũ ſalſarum aduſta, cornu ceruorũ & caprarũ vſtum, caſtoreum, oſſa vſta vehemẽter exiccant: capilli, ſepię teſta, cancrorum, cinis, garum abundè, itemq; muria.

Quæ primo ordine exiccent. Cap. XIIII.

CHamæmelum, iuniperi baccæ, carum, hordei polenta, crocus, thus, fœniculum, rhododaphne, muſtum, cucumeris peponis ſemen, & radix ſicca, fœnumgræcum.

Quæ ſecundo ordine deſiccent. Cap. XV.

LOlium, amaracus, bitumen, anethum, balſamum, acinus vuæ, gingidium, elaphoboſcum, calamus aromaticus, thuris cortex & ſemẽ, maſtiche, mel, citrij cortex & ſemẽ, & arboris ipſius folia, mei radix, ſpica nardi, nardum celticũ, vinum, eruum, opopanax, pix, myrrha, lentiſcus, terrebinthi fructus & folia, lentes, alga viridis, malabathri folium, galbanum.

Quæ tertio ordine exiccent. Cap. XVI.

ABrotonũ, & præcipuè vſtum, acacia, acorus, aloë, ammi, anethum vſtum, aniſi ſemen, iuniperus, aſarum, abſinthium, elleborus, epithymũ, thymbra, calamintha,

lamintha, arũdinis vallaris cortex vstus, casia, cedri, conyza, thuris fuligo, nigella, citrij semen, vinũ vetus valde, acetum, origanum, quinquefolij radix, petroselinum, smyrnium, ruta hortensis, marrubium, rhus, sampsuchus, seriphiũ, hyssopum, chamædrys, chamæleontes vtriq;, & eorum radix, chamæpitys.

Quæ quarto ordine siccent. Cap. XVII.

AMpelopraſum, cedrinum oleum, ſinapi, ruta agreſtis, allium.

Quæ media ſint inter ſiccantia & humectantia. Cap. XVIII.

GRaminis radix illita, oleum dulciſsimum.

Quæ primo ordine humectent. Cap. XIX.

AVricula muris, bugloſſum, glycyrhizæ ſuccus, lactuca modicè, violæ folia modicè, mali perſicæ fructus, fungi, roſaceum, ſatyrium, ſtratiotes fluuiatilis, & qui in ſtagnis naſcitur.

Quæ ſecundo ordine humectent. Cap. XX.

POrtulacæ fructus & herba', atriplex, blitum, cucurbita, mali armeniacę fructus, cucumis, pepo, lenticula paluſtris.

Quæ aquoſam frigiditatẽ habeant. Cap. XXI.

ACacia, portulaca, plantago, rubi folia, cucurbita, cotyledon, cicuta, picea arbor, malua hortenſis, mala præcocia, papauer, cucumis qui edendo eſt, ſonchus, iuncus odoratus, tribulus, lenticula paluſtris, pſyllij ſemen, plumbum.

Quæ tenuium ſint partium. Cap. XXII.

ABrotonum vſtum, vitex, ſcandix, populi nigrę flores, vrticæ fructus & folia, acorus, amomum, aſari radix, bryonia, chamæmelũ, aparine, ariſtolochia, plantago ſicca, aſphodeli radix, eiuſq; vſtæ cinis potius, balſamũ, ſabina, ſinapi, rubi radix, oleum vetus, glycyrhizę radix, dictamnũ, dracunculi radix, cicinum,

claphoboſcum, euphorbium, fermentum, ſalicis ſuccus, calamintha, calamus aromaticus, cannę vallaris cortex vſtus, caſia, carpeſiũ, milium, cedrinũ oleum, gummi prunorum, maſtiche, nigellę, ſuccus cyrenaicus, opobalſamũ, ruta, pix, piſtaciorum fructus, propolis, terebinthina, oleum roſaceũ, ſagapenum, ſampſuchus, ſeſelis, cucumeris ſemẽ, ficus ſiccæ moderatè, iunci odorati flos, cinis, calx, hyſſopum, ſal, ſalis flos, nitrum, alcyonium mileſium, arſenicum vſtum, gypſum vſtum, ſulphur, cadmia, pumex vſtus, lixiuiũ, aſię petrę flos, melanteria, myſi, flos æris, chryſocolla, ſandix, fucus, adeps leonis & pardi, & hyenæ valde, caſtoreum, ſæpiæ teſta, lanæ combuſtæ.

Quæ craſsis partibus conſtent. Cap. XXIII.

PLantaginis radix, balauſtium, acinus vuæ, zinziber, cæpæ, cucumis, ſquamæ omnes, ſory, alumen.

Corroborantia. Cap. XXIIII.

CAſia, ſtœchas, galla acerba, palmæ fructus, abſinthium.

Quæ ſuppurent. Cap. XXV.

AQua temperata ſuperfuſa, hydrelæũ, oleum temperatum, farina triticea, panis triticeus, alica, adeps ſuillus & vitulinus, butyrum, thus, pix, reſina.

Quæ concoquant. Cap. XXVI.

AMomum, vua paſſa, cera, ladanum, colla, thus, pix ægyptia, maſtiche, oleum roſaceum, myrrha, ſtyrax, galbanum, alica, butyrum, œſypus, adeps ſuillus.

Mollientia. Cap. XXVII.

SEuum caprinum, adeps gallinaceus, anſerinus, taurinus, hircinus, medulla cerui, vituli, ammoniacum, ſtyrax, galbanũ, oleum ſicyoniũ, oleum liliaceũ, chamæmelum, radix althææ, cucumeris agreſtis radix, ſolia maluæ ſylueſtris, maluæ caules, maſtiche, terebinthina, colophonia, opopanax, lutum, butyrum.

Quæ

Quæ indurent. Cap. XXVIII.

SEmperuiuum, portulaca, psyllium, lenticula palustris, solanum. Indurantur autem partes aut propter siccitatem, & tunc eas humectare oportet: aut propter plenitudinẽ, & tunc euacuatione opus est: aut propter concretionem, & tunc concretæ partes calefaciendæ sunt, & cõcretio moderatè dissoluenda, & ijs, quæ dicta sunt, mollienda: nam quę vehementer siccant, concretionem maiorem faciunt.

Quæ humiditatẽ ex ore trahant. Cap. XXIX.

PYrethrum, lapatiũ, capparis, ficus pingues, tæda, mel, myrica, absinthium, origanũ, raphanus, vua sine acinis, itemq; vua taminia, canchry, sinapi, elleborus albus, elaterium, thymum, sal, omphacium, anisum, piper, coccus gnidius, lauri baccæ, balsamum, anemone, ammoniacum, fex sicca combusta.

Quæ per nares ducant. Cap. XXX.

ELaterium, piper, betæ succus, cortex radicis cyclaminis, thlaspi, coccus gnidius, anagallis, anemone, veratrum album, omphacium, marrubium, hederę tenellæ folium.

Quæ ab oculis ducant. Cap. XXXI.

MEl, hyssopum, oleum vetustum, anagallis, oleum laurinum, nardum, casia, costus, succus papaueris, sagapenũ, daucus, fœniculũ, malum punicum, amygdala, marrubiũ, veratrum album, anemone, ruta, castoreum, lapis hæmatites, adeps anseris, fel, myrrha, chalcitis, sulphur, alumen scisile, sepiæ testa, cortex thuris, scilla, ammoniacum, hepatis caprini sanies, vuæ acerbæ succus.

Quæ per aures purgent. Cap. XXXII.

MEl, piper, fel bubulum aut taurinum, mercurialis, betæ, & radicum capparis succus, granum gnidium, fructuũ ficus syluestris succus, bdelliũ, casia,

veratrum album, galbanum, omphacium.

Quæ aperiant & purgent. Cap. XXXIII.

POpuli nigræ folia ſicca, & radicis cortex, agaricum, vrticæ ſemen, amygdala amara, ipſaq; arbor, adiantum, radix ari, pulegium, dracontium, daucus, gentianæ radix valdè, cicer, eupatorium citra calidi tatem, thymũ, caricę pingues, calamintha, caſia, pruni arboris gummi, nigella, ruta, pepones, ſpondylij fructus & radix, ſtœchas, chamædrys: & alia omnia, in quibus amara qualitas excellit, & præterea attenuandi facultas ineſt.

Quæ abſtergant. Cap. XXXIIII.

STercus caprinum vſtum, & non vſtum, teſtæ omnium teſtaceorum, ſepię teſta, erinacei vtriuſq; vſticinis, ſerũ lactis, mel, radix bryoniæ, amygdala eſcu lẽta, itemq; arbor, anagallides, anemonę omnes, ari ſtolochia, plantaginis folia, & ex quibus ſicca magis faciunt, arum, aſparagus, myacanthinus, ſtaphis, aſphodeli radix, atriplicis fructus, abſinthij ſuccus, bulbus impoſitus, elleborus vterque, parietaria, quæ & perdicium dicitur, ſalicis ſuccus, cannæ vallaris radix cum cortice facit ſine acrimonia: centaurium minus, & eius etiam ſuccus, braſſica, eruum, hordeum moderatè, lilij folia & radix trita mediocriter, fabæ caro mediocriter, lampſana in cataplaſmate impoſita, lichen in petris naſcens, violæ albæ partes omnes, meum, platani cortex, & radix moderatè, marrubium illitum, propolis mediocriter, vlmi folia, magis verò faciunt cortex & radix, ptiſana, terebinthina magis; quàm maſtiche, ſagapenum moderatè, cucumeres, peponis partes omnes, cucumeris agreſtis radix, myrrha, beta, tithymali, phu, chamæpitys, alcyonia omnia, terra chia & ſamia moderatè, & cretenſis, cadmia, pumex vſtus, & nõ vſtus, argenti

genti ſpuma moderatè, ſmiris abundè facit, teſta cli banorum, cornu ceruinum & caprinum vſtum.

Quæ vrinam moueant. Cap. XXXV.

APium, petroſelinum, fœniculum, daucus, ſmyrnium, aniſi ſemen, ameũ, aſarum, acorus, aſparagus, oxymirſinum, bdelium, bryonia, cicer, thymum, calamus aromaticus, carum, carpeſia, caucalis, coſtus, cuminus, cyperi radix, liguſticum, meum, ſpica nardi, & nardum celticũ, ruta, polium, ſeſelis, cucumis qui editur, melopepo, ſcandix, allium, paſtinaca, iuci odorati flos, terebinthi fructus, abſinthium, ſabina. Sanguinem per vrinam ducit rubię radix. Vrinas craſſas & multas, & quandoque etiam ſanguinolentas mouet capnium: biliоſas & multas educit orobus, qui ſumptus copioſior, ſanguinem per vrinam educit. Cardui radix magnam copiam educit graue olentium vrinarum, ſi quis vino incoquat, & decoctum bibat. Fœtidos vrinæ odores abſterget aqua mulſa, oxymel, vinum tenue & dilutum.

Quę per vriná è ſplene educant. Ca. XXXVI

THymali vallaris ſemen, cuminum, thymum, radix vitis ſylueſtris, cappariſ radix, alliũ, cytiſus, dracontium, ariſtolochiæ radix, origanum, polium, colocynthis agreſtis, bryonia, cyclamẽ, portulaca, potus vini in quo ſcorpius marinus ſuffocatus ſit.

Quæ ex hepate educant. Cap. XXXVII.

VIticis ſemen, dauci folia, fœniculum, balſamum, capnium, aniſum, dactylorum oſſa, lauri folia, abſinthium, ſmyrnium, anagallides, mentha, œnanthe, ſilphij ſuccus, eryngium, aqua in qua hordeum maduerit, agaricum, aſarum.

Quæ ex renibus ducunt. Cap. XXXVIII.

APij ſemen, piper, paſtinaca, marrubium, cnicus, radicum bryonię cortex, gramen, oua ſepiæ, ſulphur,

cicer album.

Quibus educantur ea, quæ in thorace sunt.

Cap. XXXIX.

QVæcunque adaperiendi vim habent, accommodata ad id sunt, nuclei pinei recētes, nuclei piceę, butyrum, castoreum super carbonibus suffumigatum, & per inspirationem attractum: id enim humidam, frigidamq; intemperiem, quæ pulmonem ac cerebrum infestet, maximè iuuat. Spica nardi capitis & thoracis fluxiones exiccat. Porrò ex pulmone educunt catapotia attrahentia, quæ dantur: vrticæ semen, dauci, & lini, papauer nigrum, thymum, raphani succus, sinapi, anisum, sisamum, erysimum, scilla, eruum, cucumeris semen, piper, ruta, polium, arum, dracontium, costus, nardum, sulphur, myrrha, baccarum lauri interna pars, cortex radicum capparis, amygdala amara, glycyrhiza, castoreū, abrotonum, styrax, bdellium, silphium, hyssopū, vua sine acinis, omphacium, aristolochia, galbanum, marrubium, eryngij radix.

Renes purgantia. Cap. XL.

INcidentia omnia renes expurgant, vt plantaginis siccæ radices & fructus, asparagus, myacanthinus, glycyrhiza, cicer, amygdala.

Cutem rarefacientia. Cap. XLI.

CHamæmelum, anethum, althæa, cucumeris erratici radix, oleum vetus, abrotonum vstum.

Ora vasorum aperientia. Cap. XLII.

ACria omnia, anemonę omnes, allium, cępa, fel taurinum, irini, & amaracini fęces.

Quæ cutim condensent. Cap. XLIII.

AQua frigida, semperuiua, portulaca, tribulus viridis, psyllium, lenticula palustris: & vno verbo, quæcunque non exiccando refrigerant.

Quæ

Quæ putrefaciunt. Cap. XLIIII.

CEdria, auripigmentum, ſandaracha, chryſocolla, pityocampe, veratrum nigrum.

Quæ reprimunt. Cap. XLV.

ELaterium, cucumeris ſylueſtris radix, ochra, mandragora, aſię petræ flos: teſtacea omnia cõbuſta quę in carne eminẽt, mediocriter reprimunt: echini vſti, lapis hęmatites ſiccus tritus, & in puluerẽ redactus, viola, & ſaba, ſquamę æris, & chryſocolla.

Quæ ad cicatricem perducant. Cap. XLVI.

ALumen, galla immatura, ęs vſtum, & preſertim lotum, malicorium aridum, plumbi recrementum, lithargyrus, plumbũ vſtum, ceryces, teſtacea omnia, purpura, vitrum, pumex, ſpecularius lapis, gypſum vſtum, ceruſſa, pompholyx, ſpodiũ, chryſocolla, ſtibium vſtum, diphryges, ſarcocolla. Hæc omnia ſi vlceribus inſperſeris, ea ad cicatricẽ rectè perducent. Mordendo autem cicatricẽ inducunt, atramentũ ſutoriũ vſtum, cadmia, ſquama ęris & ferri, ſtomomatis, ærugo, calx vſta, & lota.

Superficiem exulcerantia. Cap. XLVII.

RVbi canini folia, betæ radix, allium, pulegiũ, hyſſopum, origanum, ſepiæ teſta, aſphodeli radix, lini ſemen, quæq; ſalſa, acria, & amara ſunt.

Adurentia. Cap. XLVIII.

CAntharis, diphryges, ſex vſta, anemone puniceũ habens florem, allium, cinis ficulnus, nitrũ toſtum, æs vſtum, alumen, buccinarum teſta vſta, capita menularum, arſenicum, canchry, vua taminia, granum gnidium, pyrethri radix, calces vehementer: non extincta vehementer vrit, extincta cruſtam inducit: ſinapi.

Attrahentia. Cap. XLIX.

ANemonę omnes, vtraq; anagallis, dictamnum, ci-

cer,thapsia,cyclaminus,narcisi radix,propolis valde trahit,fermentum,stercus omne,sagapenum,succus Cyrenaicus & Medicus, silphij succus & radix, sparti fructus,& virgarum succus valde,terebinthina magis,quàm alię resinę,sulphur,stercus boum,& pręcipuè eorũ qui eruũ comedunt,calamintha cata plasmatis more imposita,costus,viscũ valde trahit.

Discutientia. Cap. L.

ABrotonum vstum,agaricus,adiantus,ęgilops,vrticę semẽ,& folia abundè,sambucus,ebulus,anisi semen,aristolochiæ radix,atriplex,bulbus,herba sabina,muscus, qui & splanchnon dicitur , daucus, ibiscus,althæa, oleum dulce,vetus,raphaninũ,thapsia, cannæ vallaris cortex vstus abundè discutit, brassica,lilij folia & radix,hederę folia, ladanum,mercurialis , malua agrestis , mastiche chia , mali persicæ germina & folia,rhododaphne,prima ficus, opobalsamum, succus cyrenaicus vehementissimè, paliuri radix & folia,ruta,marrubium,terebinthina,oleum rosaceũ,sordes ex statuis, sordes ex gymnasio, sampsuchus, cucumeris agrestis radix, myrrha: ex caricis,pingues magis,quã quę ex caprificu existunt,beta discutit & non calefacit, vehementius facit alba, galbanũ, sal vstum,salis flos, nitrũ,omnia alcyonia, terra samia, faba, caseus tener ex lacte acido moderatè,carnes viperarũ vehemẽter,adeps leoninus magis quàm cæteri,ossa cõbusta,echini vtriusq; cinis.

Adstringentia. Cap. LI.

OLeaster,rosę,lentiscus,pirus agrestis,apium,semperuiuum,papauer, cytisus, aloë, vrtica, acini,pira, crocus,althęa,terebinthus,glans,altercum,hedera, nymphæa,palmæ, oui vitellus,paliurus,caudę equinæ radix & herba,sanguis cõcretus,cyperus,œnanthe,brassica cocta, coagulum leporis, spongia vsta, rhamnus.

rhamnus. Sunt etiam alia pleraq; adstringentia, quæ nota sunt omnibus.

Quæ lac generent. Cap. LII.

ERuca, fœniculũ, anethum, cùm viridia sunt, smyrnium, itemq; apium, sisamum, cucumeris semen, cancry, smyrna, polypodium, glaux, cerebrum, bryoniæ radix, crithmon, cuminum.

Ad menstrua suppressa. Cap. LIII.

IN potu accepta valet sabina, meum, iris, ruta, calamintha, pulegium, dictamnum, asarum, costus, casia, aristolochia. vnicuiq; miscetur aut tritici decoctũ, aut aqua in qua fœniculum coctum sit, aut ptisanæ succus. Cataplasma autem fit ex fœniculo, nigella, smyrna, hordei macerati succo, portulaca, adipe anseris, vlmi folijs, cera, sulphure, & felle taurino: apponuntur etiã adeps ceruinus recens, itemq; adeps anseris, fex vsta, sal, oleum, cyperus, aphronitrũ, styrax, absinthium, artemisia, sampsuchus, veratrum nigrum, granum gnidium, mercurialis, cuminum, fœnumgræcum, vua passa sine acinis, citria.

Quæ semen generent, ac prouocent. Ca. LIIII.

EDulia semen gignũt ea, quę magis nutriunt, quęque flatum excitant: medicamenta verò, quæ flatuosa, quæque calida sunt. Ita fit, vt bulbi, cicer, fabæ, ac ficus, inter edulia multũ seminis gignant: scincus & satyrium, inter medicamẽta: edulium verò simul & medicamentum, eruca, & lini semen.

Quæ semen cohibeant. Cap. LV.

QVęcunq; edulia atque medicamenta refrigerare possunt, itemq; quæ crassum humorẽ gignunt, quæque cõdensant, ea semen inhibent omnia: eiusmodi sunt lactucæ, betæ, atriplex, cucurbita, mora, melopepones, cucumeres. Quæ verò initio siccant, ea ne semen quidem gigni permittunt, licet suapte natu-

ra calida sint, qualis est ruta. Si verò nō calefacient, multò magis cohibebunt, vt facit nymphæa.

De simplicium medicamentorum electione.

Cap. LVI.

AGaricum præstantiùs est, quod pectines rectos habet.

Acaciam eligito modicè suluam & odoratam.

Aloën pinguem capito, non lapidosam, splendidam, subflauam, friabilem, hepatis colore prędităm, facilè liquescentem, amaritudinis intensæ: nigram, & valde duram reijcito.

Ammoniacum thymiama eligendum est, quod ligneum nō est, & granis thus refert, purum, densum, nihil sordium habens, castorei odorē præ se ferens, gustuq; amarum est.

Amomum præstantius est, quod recens, albumq; aut subrufum, non compactū: aut spissum, sed solutum, & diffusum, semine plenum vt racemulis, valde graue & odoratū, non cariosum, acre ad gustum, colore simplex, nō variū. Adulteratur à quibusdā amomide ei persimili admista: semper enim reprobatis fragmētis, ramos ab vna radice prodeuntes eligito.

Aspalathus bonus est, qui grauis est, quiq; post detractum corticem subrufus, & gustui amarus est.

Bitumen præstantius est, quod ad modum purpuræ splendet: intenti, ac grauis odoris. nigrū malum est: siquidem pice admixta adulteratur.

Absinthium præstat cæteris id, quod in Ponto & Cappadocia nascitur: eius succus amurca cocta & commixta vitiatur.

Bdellium probatissimum est, quod gustui est amarum, colore glutinis, pingue in profundo, & quod molliri facile potest, lignorū & sordium expers, suaue olens in suffitu, & vngui aromatico simile.

Elle-

Elleborus niger prestantior est adultus, quiq; tenuem medullam habet, acer gustui, & ignitus. talis est qui in Helicone, Parnaso, & Anticyris nascitur.

Euphorbium eligendum est pellucidum & acre.

Viscum optimum est quod in Helicone nascitur, cuius interior pars marrubij colorē refert, exterior subflaua.

Gluten piscium probatur album, subcrassum, non scabrum, celerrimè liquescens.

Calamus aromaticus præstantissimus est fuluus, densis geniculis, & qui fractus in multa frusta dissiliat: fistula plena telis aranearū, subcandidus, in mandendo viscidus, adstringens, & subacris.

Cardamomū optimum est, quod ex Armenia aduehitur. elige quod difficiliter frangitur, plenumq; est & concluſum.

Casiam elige rufam, boni coloris, corallum referentem, anguſtam, admodum longam & crassam, fistuli plenam, in gustu mordacem, & adstringentem cum aromatico feruore quodam, vinum redolentem. Purpurea verò & crassa, quæ gizera dicitur, rosam odore referens, est ad medicinæ vsum accommodatissima.

Cera optima est rufa, subpinguis, odorata, pura, pontica.

Ladanum optimū est odoratum, subuiride, quod facilè mollitur, pingue, sine arenulis, aut resinosum: tale est quod in Cypro nascitur.

Colla quam xylocollam nonnulli appellant, optima est Rhodia, estq; alba, pellucida: nigra verò deterior est.

Gummi excellit cæteris id, quod vermiculatum, vitreum, pellucidum, non lignosum est: deinde verò album: resinosum verò & sordidum inutile est.

Costus præstantior est Arabicus, qui & albus, & leuis est, quiq; plurimo & suaui odore prędstat. Secũdum locum tenet Indicus, qui buxei coloris est, naresq; odore percutit. Optimus autem est recens, albus, ex omni parte plenus, densus, siccus, minimè carios us, qui edẽdo nõ sit, gustuiq; mordax, & igneus appareat. Hunc nonnulli corrumpunt helenij radicem miscentes: sed id facilè cognoscitur: nam helenium non seruefacit gustum, neque intentam habet odoris bonitatem, neque mordacem.

Crocus Corycius optimus est, recens, ac boni cõloris, parum cãdoris in capreolo habens, procerus, integer, non friabilis, non pinguis, plenus, manus tamen attritu facilè tingens, non carios us, validi odoris & acris: nam qui eiusmodi non est, aut vetus est, aut maceratus. Vt autẽ facilè teri possit, in sole erit continendus, aut in fictili nouo vertendus.

Crocomagma fit ex crocino vnguento aromatibus expressis & cõfectis. Præstantius est odoratum, quod dimidium ex myrrha constat, graue, nigrum, non lignosum, colorẽ croci in attritu referens, subamarum, dentes ac linguam vehementer inficiens.

Cyperus optima, est grauissima & densa, & solida, & difficiliter friabilis, odorata cum acrimonia quadam.

Viola optima est lutea.

Thus primas fert masculum, rotundum, non sectum, album, & quod sectum intus pingue est. Adulteratur resina, aut gummi: sed facilè deprehenditur: nam gummi in suffitu flammã non excitat, resina verò in fumum abit.

Thuris cortex præstantior est is, qui crassus est, pinguis, boni odoris, recens, leuis, non scaber, aut mẽbranosus. Vitiatur admisto pinus, aut nucis eius cortice.

cortice. Index est ignis: nam alij suffiti fumũ edunt, thuris verò cortex ardet cum odoris suauitate.

Malabathri foliũ probatur quod recens est, subalbidũ, quod halitu odoris sensum tentat, & in suauitate odoris perstat, nardo similis ad gustum, nullo salis sapore admisto.

Medulla primas tenet ceruina, secũdas vitulina, tertias taurina. Bona est quæ æstate ad Autumnum vergente colligitur: alijs enim temporibus sanguinem admixtum habet. Paratur ad reponendum recens subacta & aqua affusa: deinde per linteũ traijcitur, tum denuò lauatur, vsquedum aqua pura reddatur: postea in duplici vase liquatur sordibus fluitantibus penna sublatis. Postquam cõcreuerit, in fictili nouo reponitur, derasa prius diligenter fece, si quæ post liquefactionẽ excolationemq; subsederit.

Melilotus optimus est Atticus, quiq; in Cyzico nascitur, croci colore & odore.

Papaueris succus optimus est densus & grauis, & halitu odoris somnum inducens, gustu amarus, qui in aqua facilè liquescit, leuis, albus, non asper neque conglobatus, neque dum liquescit conglomeratus, non durus, & qui soli expositus non diffunditur, & quo ad lucernam admoto non atra flamma luceat. adulteratur lactucæ agrestis succo admisto.

Spica nardi melior est recens, leuis, comata, colore flauo, admodũ odorata, cyperi odorem referens, spicam habens breuẽ, gustu amaram, linguam exiccans, odoris bonitate diu permanẽte. Hæc etiam diluta aqua vẽditur. id quod cognoscitur ex spicę candore & squalore, amissa lanugine.

Omphacium eligito subflauum, friabile, egregiè adstringens, linguamq; mordens.

Onyx præstat is, qui è rubro mari affertur albe-

ſcens & pinguis.

Panacis radices præſtantiores ſunt ſiccæ,albæ,extentæ,nō corroſæ,feruidæ guſtui,& aromaticæ. Liquor verò probatur is,qui guſtu eſt amariſsimus,intrinſecus albus,extrinſecus croceus, qui leuorē habet, pinguisq; ac friabilis eſt, quiq; celeriter diluitur,& grauem ex ſe odorem mittit.

Piper probatur quod grauius eſt,plenum,nō admodum rugoſum,recens,& non furfuraceum.

Paucedani ſuccus præſtātior eſt is,qui graui odore,& colore rufo præditus eſt,guſtuq; calefacit.

Polio montano vtimur.

Reſina terebinthina probatur quæ dilucidiore eſt colore,odorataq;:minus verò illa, quæ vitro eſt ſimilis.

Myrrha primas fert ea,quæ Troglodytica nominatur. Eligito recentē myrrham,fragilem,leuem,ex omni parte ſibi ipſi concolorē,& quę cōfracta intus habeat candidas diuiſiones humanorū vnguiū figura:quæ minutis glebis ſit, amara,odorata,acris:quæ verò ponderoſa eſt & picei coloris,ea eſt inutilis.

Stacte myrrha bona eſt,quę odorata eſt,leuorem habet,& cui oleum non ſit admixtum.

Styrax præſtat qui flauus eſt,& pinguis,& reſinoſus, grumos habens ſubalbidos, cuius ſuauis odor diu perdurat, dumq; mollitur melleum humorē ex ſe remittit. crematur ſtyrax, & igni torretur, & ad fuliginem thuris modo vaporatur.

Tragacātha eſt lachryma ſectæ radici inhærens, in qua bonitate antecedit quæ pellucida eſt, læuoremq; habet,ac tenuis eſt,pura,& ſubalbida.

Hyoſcyamo vtēdum eſt eo, qui albis ſit floribus, & ſemine itidem albo.Si is nō adſit, flauo vtendum: nigrumq; vt inutilem repudiare.

Galba-

Galbanum excellit, quod thuri simile est, cartilaginosum, purum, minimè lignosum, & quod ferulæ, seminisq; aliquid admixtum habeat, odore graui, neque admodum humidum, neque etiam siccum.

Chalcanthum, hoc est, atramentum sutorium, eligendum est quod læuorē habet, & colore cœruleo, æqualeq; est, & crustas habet squamarū modo, non lapidosum, & boni coloris.

Auripigmentum optimum est habendum, quod crustaceum est, & aureo colore.

Terra ampelitis cæteris anteferēda est nigra, exiguisq; picearum carbonibus similis & splēdescens.

Diphryges anteferendum alijs est, quod gustui æris saporem reddit, linguamq; abundè adstringit & exiccat.

Sulphur probatissimū est, quod ignem nō est expertū, quodq; in eo genere splendet ac pellucidum est, & minimè calculosum. In eo autem quod ignem expertū fuerit, primas tenet viride & pinguissimū.

Indicus lapis probatissimus est, qui cœruleā speciem, & lęuorem habet, estq; succosus.

Cadmia optima est quę botryitis, hoc est, acinosa nominatur, mediocriter ponderosa, quæq; extremitatem acinis similem habet, colore spodij: fracta cinerem intus habet atque rubiginem. Secundo loco cēsetur quę foris est cœrulei coloris, intus verò maculis onychitæ lapidi similibus.

Pumex probatur qui leuissimus est, ac fistulosus, scissilisq;, nec lapidosus, quiq; friabilis est, & candidus.

Lithargyrus, hoc est, argenti spuma, probatur magis ea quæ chrysitis, quasi aurea nominatur, quæq; splendet.

Lapis Asius anteferendus est cæteris qui colore

pumicis est, fistulosus & leuis, itemq; friabilis, quiq; discriminationes luteas in profundo habeat.

Lapis hæmatites probatissimus est, qui friabilis, rubens, & in se ipso durus, & æqualis est, quiq; nihil habet admixtum.

Gagates lapis probatur qui celerrimè accenditur, & dum vritur, bituminis odor sentitur.

Magnes probatissimus est, qui facilè ferrum trahit, & colore ad cœruleum vergente, & densus.

Melanteria cæteris præstat, quæ sulphureo colore est, lęuorem habet, æqualis, pura, & in aquæ contactu statim nigrescit. vim in vrendo habet eandem, quam misy.

Rubrica sinopica optima est, quę est densa & grauis, iecinoris colore, nō calculosa, sibi ipsa tota concolor: & quæ cùm diluitur, copiosè diffunditur.

Misy eligendum est cyprium, quod auri speciem refert, durū: cumq; frangitur, aureas scintillas emittit, & stellarum more splendescit. Vritur eo modo quo chalcitis, nisi quod ex eo sporicū non cōficitur.

Plumbago probatissima est, quæ argenti spumæ speciem prę se fert, flaua, modicè splendens, & in attritu rufa apparet.

Nitrum probatur quod leue est, rosaceo colore, aut albo, & foraminibus plenum.

Spuma nitri optima est leuissima, & grumosa, & friabilis. eodem quo sal comburitur modo.

Pompholyx optima est Cypria: hæc aceto macerata æris halitum ex se emittit.

Sandaracha præferenda cæteris est ea, quæ admodū rufa est, florida, pura, colore cinnabaris, habetq; sulphuris halitum.

Stimmi præstātissimum est quod radiat, fulgetq; cùm frangitur.

Alumen

Alumen probatiſsimum eſt ſciſsile, recens, admodum candidum, nec calculoſum.

Sori anteferendũ eſt Aegyptium, quodq; in frangendo nigrius apparet.

Fex præſtat cæteris, quæ ex vino eſt.

Aes vſtum probatur quod rubrum eſt, & in attritu cinnabaris colorẽ præfert. lauatur vt cadmia, ter in die aqua effuſum.

Qui ceræ modus cum oleo ſit. Cap. LVII.

SI vnguenta quę à leuanda laſsitudine acopa dicuntur, conficere volueris, oleum ceræ quadruplũ injicies: ſi verò liquidum ceratum, vt in fracturis fit, duplum. Si medicamentum emplaſtri modo conficere velimus, tantundem vtriuſq; miſcebimus, ſi aër nos ambiens ſit moderatus: ſin autem cera vetus, aut arida, aërq; frigidus fuerit, paulò plus olei adhibẽdum eſt: ſicut etiam ſi cera fuerit pinguis, aërq; calidior, paulò minus olei debet eſſe. Hæc verò paulò minor portio, eſt duodecima pars medij inter vtramlibet partẽ exceſſus: etenim & vndecim & tredecim olei vncijs ceræ libram admiſcebimus.

De ponderibus & menſuris. Cap. LVIII.

AMphora Italica habet ſextarios XLVIII.
Sextarius continet libram vnam, vncias octo.
Sextarius mellis libras duas continet.
Chus ſextarios ſex continet.
Sextarius heminas duas habet.
Cyathus drachmas duodecim.
Mina vncias octo continet.
Vncia ſcrupulos viginti quatuor.
Olca ſcrupulos tres habet.
Obolus ſcrupulum medium.
Oxybaphum quartam heminæ partem.
Cheme magna drachmas tres continet.

Ex libro de compositione medicamentorum κατὰ τόπους, renes calculo obnoxios seruans medicamentum. Cap. LIX.

VVarum passarum vnc.1.adianti drach.1111.seminis apij drachmæ dimidiũ,lithospermatis drach.11. amygdalarum amararũ drach.11.damasonij drach.1. phu tantundem,succi plantaginis puri drach.1.seminis peponis repurgati, & seminis cucumeris singulorum drach.1.lemniæ sphragitidos drach.med.thuris insecti grana v111. subigantur in minutissimas partes redacta,& in grana redigantur:tum cum oxysaccharo fermententur:fiantq; grana magnitudinis ciceris:ex ijsq; singulis mensibus per octo dies grana quinque quotidie ex mixto oxysaccharo sumantur:cæteris verò mensis diebus,præter eos octo deinceps insequentes, hoc facito quod sequitur.Cicerum ius in quo vuæ passæ absque acinis,itemq; anethum, menta, fœniculi radicum parum,saccharum, & amygdala subacta incocta sint, per colum traiectum bibe,ipsoq; per interualla vtitor,

Loca in quibus viperæ comperiuntur, sunt Phanus,Typanges,Achlada,Xerocastellum,Alonitzin. In horum montanis stationibus prestantiores & laudabiles viperæ degunt.

De latis emplastris,quæ κοπτὰ,hoc est,contusa dicuntur. Cap. LX.

IN emplastris, quæ à latitudine platysmata vocantur,si medicamenti vim moderatam esse velis ad cicatricem inducendam vlceribus,quæ difficiliter sanescunt,quartam metallicorum partem ceræ admiscebis:si vehementius medicamentũ conficere proposueris, tertiam : ita tamen, vt cera in sole, aut ad ignem, aut aqua calida molliatur,atque ita metallica admisceantur.

Ex An-

Ex Antylli commentarijs de coctione medicamentorum, quæ ad emplastra conficienda adhibentur. Cap. LXI.

IN coquẽdis medicamentis argẽti spuma cum oleo decoquetur, eam verò læuigatã rursus ex oleo conterere oportet, vt conspissescat: deinde ita leni igni continuò agitatã coquere. Primùm autem intumescit, bullasq; emittit: vbi verò iam ferè satis cocta fuerit, colorẽ feci similiorem recipiet. Coctionis terminus est, cùm tumor se remittit, & non inquinat.

Molybdęna eodem modo, quo spuma argenti coquitur: eius coctionis modus est, vt non modò digitos non inquinet, sed etiam vt colorem ex igneo in fuluum, & admodum floridum commutet.

Aes non in ipso protinus initio ad coquendũ imponitur, sed semicocto iam emplastro. Modus coctionis, nisi admodũ paucum iniectum sit, erit, cùm color ipsius exuperet, & fuluum emplastrum facit.

Sory, & diphryges ipsa quoque medio coctionis tẽpore inijciuntur. Diphryges autem, veluti etiam squama, coquitur vsquedum eius color vincat reliqua. Sory verò non habet peculiarem coquendi terminum: sed is omnibus cómunis est, vt emplastrum non inquinans reddatur.

Chalcitis sicut æs coquitur. coquendi finem metimur, si emplastrum magis fuluum, magisq; phœniceum euaserit.

Aeris flos, eo modo quo æs, coquitur. eius terminus est is, qui coctioni communis est.

Atramentum sutorium medio coctionis tempore inijcitur, coctum emplastri colorem vehementiorem efficit, ac nisi reliqua obstiterint, emplastrum nigrum reddet.

Misy ad finẽ coctionis inditur, neq; vllum habet

coquendi finem sibi definitum.

Arsenicum & sandaracha, in fine coctionis imponuntur.

Plumbum vstum in media coctione adhibetur.

Cerussa in alba emplastra ad finé inditur: sic enim & colorem suum conseruat, & magis exalbescit. In nigra verò emplastra, in initio: siquidē cocta cerussa fit nigrior.

Aerugo in emplastris viridibus post coctionē injicitur. In quibus verò ne in ollam quidem conijcitur, cætera ad ipsam ex aceto detritā, in mortarioq; manentē affunduntur. In melinis emplastris cùm semicocta confectio est, imponitur: hæc enim mediocriter cocta melinum coloré efficit. In ijs verò quæ geminam faciem, duplicemq; coloré præ se ferunt, quæ διπρόσωπα, & δίχρωμα nominantur, in ipso statim initio ęrugo ponitur. In quibusdam enim coquēdo melinum colorem primùm inducit, qui duplicis coloris speciem præfert: postremò autem fuluum colorem reddit.

Alumen plerunque post coctionem additur. proprium coctionis modum nullum habet.

Rubrica ad finem injcitur.

Cadmia & pompholyx in principio imponūtur.

Sal & nitrum in medio coctionis injciuntur.

Sulphur in fine adijcitur. ipsius coctio nigra facit emplastra.

Terra omnis, itemq; lapides, atque etiam pumex ad finem plerunque injciuntur.

Oleum si in initio resinæ alicui, aut pici liquidæ fuerit iniectum, facit vt emplastrum non cohæreat. Quam ob rem cùm illa coctione coaluerint & constiterint, oleum indetur. Reliquæ pinguedines salis expertes in medio coctionis tēpore imponēdę sunt.

Ex vn-

Ex vnguentis, irinum coquitur, cyprinũ verò & rosaceum minus, cætera nequaquam coctionem ferunt: idcirco ad finem coctionis sunt immittenda.

Cera per se ipsa non coquitur, aduritur enim sola: sed nec etiam cum resina liquida, nec cum pice liquida: neq; enim coit: verùm adijcitur aut oleo puro, aut oleoso, quod cum aliquo metallico coctũ sit, aut resinæ, aut pici prius coctæ. ac cera quidẽ prius inijcitur, quàm cætera quæ inijcienda sunt, coëant atque cohæreant.

Resina arida post ceram inditur, liquida verò ipsa per se ante alia omnia coquitur, nisi eius perexigua sumatur portio.

Pix ante alia inijcitur. Finis coctionis eius picis, quæ liquida est, habetur cùm coit & spissatur: aridæ verò, præsertim si cum aceto coquitur, cùm non amplius bullas emittit, neque intumescit.

Bitumen in principio impositum coquitur: id verò non est in leuorem redigendum, habet enim aspe ritates ficuum granis similes. In crassiores ergo partes est frangendum, & aceto incoquendũ, sic, vt non agitetur, donec non amplius bullas mittat.

Propolin præmollire oportet & coquere: à coctione enim neutiquam diffunditur.

Ammoniacum circa mediam coctionem imponitur. Si verò ad cruenta vulnera emplastrum paratur, aceto aut vino erit macerandum. Si molle fuerit emplastrum, qualia sunt quæ ad anum parantur, cum aqua erit læuigandum, atq; ita cæteris iam coctis infundendum.

Opopanax multò post ammoniacũ inijcitur: omnino autem paucam coctionem requirit. id quoque ex vino aut aceto prius est læuigandum.

Galbanum coctionem neutiquam fert, sed vt ne

inquinet digitos, emplastrum ab igne auferendum est, ipsumq; emollitum infundendum.

Sagapenum in mortario tunditur, & cùm teneriusculum factum est, cum emplastro quod ab igne sublatum sit, emollitur.

Aloë post coctionem inspergitur.

Succus papaueris pridie in modica aqua maceratur, & in mortario teritur, atque ita ei emplastrum affunditur.

Thapsia postremo loco injcitur.

Bdellium læuigatum emplastro ab igne iam sublato inspergitur. Sin autem pingue sit vt læuigari non queat, ipsum æquè ac sagapenum contusum, ac in emplastri formam redactum, simul cum emplastro molliemus.

Thus & manna coctione iam perfecta inspergunturs.

Myrrha cum modico mellis læuigata, aut cum aceto & aqua, si modò humida emplastrum admittat, absoluta coctione injcitur.

Semina, radices, & herbæ coctionem non ferunt: ergo læuigatis, & in mortario adhuc subsistentibus, liquefacta reliqua affunduntur.

FINIS SECVNDI
LIBRI.

QVID TERTIO LIBRO CONTINEATVR.

HOC *libro habetur, quæ vnguenta, emplastra, malagmata, cataplasmata, pastilli, sicca collyria, liquidaq; probata sint: itemq; de agglutinantibus, smegmatis, dropacibusq;, inunctionibus, antidotis, purgationibus, & suffitibus disseritur.*

CAPITA HVIVS LIBRI.

Basilicon emplastrum.
enneapharmacum.
ex cadmia.
attalicum album.
phœnicinum Galeni.
viride, quod lite appellatur.
dichromon.
pentatheton.
ex hyoscyamo.
myrteum.
album ad ambusta.
copton platysma.
aphrum.
geranion Poletis.
ex dictamno.
ex lini semine.
ex verbenaca.
elephantinum.
ex anthemide.
halmyron.
ex salicibus Magni.
è buccinis.
ad alopecias.
adamantini ad idem.
ex salicibus Critonis.
ad cancros vlceratos.
ad vlcera phagedænica Adamantini.
ad cancros depascentes & erodentes.
ad intestina prolapsa.
ad herniam Adamantini.
aliud ad idem.
ad ramicem inguinis Adamantini.
ad idem.
aliud.
ad aquosos ramices.
ad meliceridas adamantini.
corax ad nomas.
ad ramicem gutturis.
ad sedis inflammationes.
ad tentiginem ciendam.
ad fracturas ossium.
ad teneros, & qui ex vlceribus nimis grauiter confligantur.
ad phagedænas Galeni.
Adamantini ad phagedænas.
aliud ad omnia vlcera maligna.
aliud.
ad vlcera carcinode.
ad vlcera perhumida.

Ad idem.
ad vlcera maligna fluentia.
ad vlcera chironia.
ad eadem.
ad putrida & depascentia.
ad vermes in vlceribus.
ad cauitates fistulosas, inueteratasq;.
ad vlcera flaccida.
ad vlcera, quibus ægrè cicatrix inducitur.
ad vlcera vetusta.
ad maculas & cicatrices exterendas.
ad vngues scabiosos.
dia halon.
ad cancrum vlceratum.
cerata & perfusiones ad parotidas & phymata.
ad bubonocœlem.
ceratum ex quatuor rebus.
azanites.
hypochondriaca anethine.
ad erysipelata, quod illinitur.
perfusio capitis.
alia ad percussiones et plagas.
ad cardiacos.
ad podagricos.
ceratium quod χειρ dicitur.
perfusio capitis alia.
ad vlcera serpentia.
ad saniem.
vnctio ad neruorum affectiones.
amythaonis ad præcordiorum affectiones.
ex seminibus.
ex ptisana.
aliud.
malagma ex fœnogræco.
epithema stomacho aptum.
malagma tonsoris.
ex micis ad omnem duritiem.
ex palmulis.
epithema ad stomachicos.
aliud quod ἐκσπλικὸν dicitur.
cyphoides.
ex œnanthe.
ex Galeni lib. ceratum ad oris stomachi inflãmationem.
malagma ad lienem.
malagma ex baccis lauri.
malagma Apollophanis.
ad ischiadicos.
cludion Philomeni Mnasæi.
epithema infrigidans Galeni.
cataplasma ex fermento.
cataplasma ex pane.
cataplasma ex furfure.
cataplasma ex ficubus.
acopon decamœron.
pentamœron.
acopon vnguentũ ex castoreo.
aliud simplex.
ad eos, qui ob senectutem refrigerati sunt.
ad pallorem, & liuores.
ad penem erigendum vnguentum Rufi.
ischiadicum.
ex hedera.
ischiadicum vnguentum.
ischiadicum Antonij archiatri.

metasyn-

Metasyncriticum.
pastillus Andronis.
pastillus Musæ.
pastillus Heræ.
alius eiusdem.
pastillus ex charta ad nomas.
pastillus ad vitiligines.
pastillus croceus.
pastillus ad lichenas.
pastillus ad tormina,
pastillus Pasionis.
pastillus podagricus, Procli.
pastillus ex electro.
pastillus ex acacia.
pastillus ad hemicraniam.
siccum medicamentum ad cicatricem inducendam.
aliud ad idem.
cephalicum.
aliud crustas inducens.
aliud patefaciens citra dolorem.
rhodiacum.
ex charta.
ad nomas.
adurens.
anthera Philumeni.
collyrium libyanum.
psilothrum Apollinaris.
cnicus flauus Basi.
ex erica.
vranium.
acharistum.
ex thure.
cygnus.
libyanum ad pustulas, et alia permulta.
ex cornu ceruino.
milium Demosthenis.
collyrium madicum.
spodiacum.
nardinum.
collyrium aromaticum,
chiacum.
siccum ad angulos oculorum scabiosos.
diacenteton.
πάγχρηστος Erasistrati.
collyrium ad pura, & impura vlcera.
aliud ad pura vlcera.
Dionis collyrium.
collyrium πεπτισμένον appellatum.
collyrium ad carbunculos.
collyrium ad tabem.
collyrium ad suffusiones.
Archigenis ad oculorum claritatem.
Demosthenis ad veteres affectiones.
Cleonis gluten.
siccum palpebras pulchras efficiens.
aridũ ad lippitudinẽ aridã.
liquida compositio.
alia ad callos.
collyriũ ad aspectus claritatẽ.
ad cicatrices oculorum.
gluten ad pilos.
ad crithas, chalaziãq;.
ad ægilopas.
cataplasma ad vehemẽtes dolores oculorum.

Vnguentũ ad vehementes dolores.
dia rhodon Diagoræ.
croceum quod puerile inscribitur.
Asclepiadæ pacianum.
ad oculorum caligationem.
smegma, quod Asclepias nominatur.
smegma caput exiccans.
sapo repellendi vim habens.
dropax Gallus.
alius simplex.
psilothrum.
ad corrugationem.
smegma splendorem afferens.
stomaticum Philagrij.
anthera.
dia moron Galeni.
dia besasa.
ad anginam.
ad columellam laxatam.
aliud.
ad dentes cõseruãdos Galeni.
ad dentes tremulos.
Philagrij ad oris erosiones.
antidotum ad colicos.
antidotum Philonis.
trigonos.
catapotiũ Dioscoridæ ad exustos.
ad quartanarios Galeni.
ad eos, qui à cane rabioso mor si sunt, Galeni.
ad eos, qui ex fungorum vsu suffocati sunt Galeni.
ad comitiales ex Scilla.
pastillus ad vocẽ firmandam.
alius.
medicamentum ex fructibus pomaceis.
antidotum Quinti.
diospoliticon.
ex tribus piperis generibus.
ex calamintha.
ex succo cydoniorum.
antidotum Zenophili.
Galeni hiera picra.
quæ subducunt ventrem.
grana salubria.
purgans, quod καθάρσιον appellatur.
pastillus purgans.
grana purgantia.
medicamentum ad colicos.
symbiotarium.
medicamentũ purgans ad eos qui elephantia detinẽtur.
ius veteris galli.
inunctio sedis ad flatus emittendos.
hiera Rufi.
Lyci purgans medicamẽtum.
aliud purgans eos, quos elephantiasis exercet.
inunctio purgans.
suffitus.
alius.
alius.
hiera simplex Rufi.
xeromyron cõpositio Arabica.
suffitus ad somnũ cõciliãdum.
suffitus ex cupresso, quod Cyphi lunæ dicitur.

Oribasij

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM, LIBER TERTIVS.

De emplastrorum, & trochiscorum compositionibus.

BASILICON, quod etiam tetrapharmacum dicitur, habet pares portiones ceræ, picis, resinæ frictæ, seui taurini. Si celeriter concoquere, carnemq; inducere volueris, vnam thuris partem ad duodecim basilici partes admisceto.

Enneapharmacon valet ad suppurandum: egregiè facit ad vacuas distentiones, & ad eas etiam quæ in thorace sunt, & ad fistulas, quas etiam emollit. est item ad vteri duritias aptum, atq; vlcera quæ in eo sunt solutum sanat. Habet autem ceræ, medullę ceruinæ, adipis anserini, taurini, butyri, terebinthinæ, mellis, olei rosacei, cicini, paria pondera. nónulli autem rosacei loco liliaceum ponunt. Hoc purgat, ad cicatricem perducit, carnem creat.

Ex cadmia ad cicatricem inducēdam, habet cadmię vstę & vino præparatæ, chalcitidis vstæ, singulorum vnciam vnam: olei myrtei, ceræ, resinæ, colophoniæ, singulorum libram vnam, vini Italici quod satis est. Chalcitis & cadmia ex vino terantur, vt liquidi cerati consistentiam habeant: ceram verò ac resinam eliquans, in ollam testaceam immittito. Metallica cum vino imponantur, omnibusq; in mortario læuigatis vtitor. ad inueterata vtere hoc puro emollito. ad recentia, cum cerato rosaceo.

Attalicum album, quod facit ad vlcera senum, &

eorum qui mollem cutim habent, & eorum, qui vlceribus humidis infestantur, sanatq; vlcera crurum, & egregiè valet ad abrasa genuũ, & in quibus membrana ossa tegens, nuda est. Habet spumę argẽti pondo denariũm centum, cerussæ pondo denariũm centum, cerę albæ pondo denariũm quinquaginta, terebinthinæ põdo denariũm vigintiquinq;, thuris vncias tres, aluminis sciſsilis pondo scrup. sex, piperis pondo denariorũ trium, olei veteris heminas duas, aquæ heminas duas. Metallica in sole coquito donec non amplius digitos inquinent: resinã & ceram diligenter in vnum componito, thus primùm indito, secundo loco alumen, vltimo piper. Aliqui pro pipere cyperum inijciunt.

Phœnicinũ Galeni habet adipis suilli veteris, salisq; expertis libras duas, spumę argenti libras tres, olei antiquissimi libras tres, chalcitidis vncias quatuor. chalcitidẽ tritam ac contusam tenuissimo cribro cribratã in mortarium conijce, & diligenter tere donec subtilissima reddatur: deinde argenti spumam tenuissimo itidẽ cribro cribratã, & in tenuissimum pollinem redactam infunde, & in mortario diligenter vnà contunde, oleumq; in sole admisceto, vt liquidum medicamentũ permaneat: postremo loco adeps caprinus pondo librarum duarum adijcitur, qui ipse quoq; est diligenter contundendus: ita omnia in cacabo coques, & rudicula ex palma agitabis. Cortex viridis externus ipsius virgę palmeę auferendus est, vt suum humorem impertiri medicamento queat. Vnus autem palmæ ramus tibi ad coctionem satis erit, vt crassiore eius parte pro spatha vtaris: ramulos autẽ qui crassæ particulæ adhærent, quiq; vtrinq; exoriuntur, resecabis, & corticem detrahes, & in minutas partes cõcisos in medicamentum

tum conijcies, vt eorum ſuccum eidem impertiant. Spatha autem ſtatim ab initio vti par eſt: tenues verò palmæ particulas inijcere oportet, cùm videbis medicamentũ cerato ſimilem habere cõſiſtentiam: nam ſi ab initio eas immittas, earum ſuccus coquendo conſumetur, quem nos propter eius adſtringendi vim, manere copioſe, volumus. Quinetiam ipſius ſpathę pars quæ à medicamento exiccata fuerit, prę cidenda eſt: id quod bis & ter erit faciendum, ſi eam arefactam videbis. Perſpicuum autem eſt, palmæ ramum, & recens, & eodem die præciſum eſſe debere, vt ſucci plenus ſit. Medicamentũ verò tum demum erit coctũ, cùm nõ inquinabit. Hoc vtêris ad cruenta vulnera, quęq; ad cicatricẽ difficiliter perducuntur, & ad ſinus oleo dilutũ. Conuenit omnibus partibus inflammatis, podagris, articulorũ doloribus, niſi quo tempore dolores vehementes ſunt. Aptum eſt bubonib. tuberculis, ambuſtis, pernionibus, oſſium fracturis, & omnibus deniq; fluidis affectionibus. In hoc medicamẽto diſſoluendo hunc modum ſeruabis, vt medicamentũ paululum olei menſuram excedat, ac præſertim ęſtiuo tempore: vt, ſi medicamenti ſint vnciæ decem, olei nouem apponantur.

Viride, quod lite appellatur, roſaceo dilutum, vlcus cauum & apertũ ſanat. Conſtat ex cerę reſinęq; frictę, ſingulorum libra vna, æruginis libris duabus, olei heminis duabus. hoc delicatis adhibendum eſt.

Dichromon, id eſt, duplicis coloris, eſt, in quo ſunt æris vſti, aluminis ſciſsilis, ammoniaci thymiamatis ſingulorum vnciæ vnæ, ceræ, colophoniæ, adipis taurini aut ſuilli, ſingulorum vncia vna. ſicca ex aceto læuigentur.

Pentatheton habet ceræ, adipis taurini, reſinæ frictæ, picis, calcis, pares portiones. Vſus tempore olei

ſicyonij quadrantem, ceræ vncias tres, olei vnciam medicamenti quadranti adijcito, ex vino & aceto contundito, atque vtitor.

Ex hyoſcyamo, quod pſitacion dicitur, habet reſinæ frictæ, cerę, adipis ſuilli, liquoris hyoſcyami pares portiones.

Myrteũ habet ſpumę argẽti vnc. ſex, cerę vnciam vnam, olei myrtei vncias duas, vini quod ſatis eſt.

Album ad ambuſta, habet ſpumę argenti, ceruſſę, ſulphuris viui, ſingulorũ vncias ſex, ceræ vncias quatuor, olei myrtini quod ſatis eſt. Aliud: Spumę argenti vncia, plumbi combuſti vncia, cerę vncię duę, olei myrtini vncia.

Copton platyſma habet æruginis vnciam, ſquamę æris vnciam, terebinthinę vncias duas, ceræ vncias quinque. Cera & reſina in pila terantur, & in vnum redigantur: deinde ærugo adijciatur, vt emplaſtrum fiat, quod in tantam latitudinem extendatur, quanta ſatis ſit ad vlcus comprehendendum, ſin gulis autem diebus ſoluatur.

Aphrum ſanguinem ſupprimens facit ad inſignes diuiſiones, pręſertim quę in capite ſunt, ad fiſtulas, ſinus, fracturas. Item hepaticis & lienoſis conuenit: abſq; inflammatione glutinat. Cartilaginibus etiam ac neruis, oſsibusq; præciſis mirabiliter prodeſt. valet quoq; ad vlcera profunda, & ſinus: nam inſigniter glutinat. Iam verò in abſceſsibus cùm eiecta eſt ſanies, imponitur. Eſt etiam ad ſupprimendũ ſanguinem præſtantiſsimum, & pręſertim in ijs qui ſanguinem reiectant. Duobus autem linteis eſt inſpergendum, alterum pectori & coſtis imponendũ, alterum dorſo: nam præter omnium opinionẽ ſanguinem ſiſtit. Eſt præterea ad canum morſus accómodatum, & inflammationes omnino ſedat: & ea quæ vulneribus

bus adhibentur, vincit omnia. Hyberno tẽpore diebus ſeptem ſoluitur, æſtiuo quinq; : ſi neceſsitas vrgeat, tribus. Habet autem ceræ, picis, bituminis, pityinæ liquidæ ſingulorum * vnciam vnam, mannæ vncias ſex, ceruſſæ vncias quatuor, atramenti ſutorij tantundẽ, opopanacis vncias duas, roſacei libras duas (alij ſelibram) aceti heminas duas. Ceram, bitumen, oleum, acetum in ollam conijcito, ac parum liquato, deinde picem ac reſinã in minutiſsimas particulas diligenter cõciſas adijcito, vbi ſemicoctum fuerit, ollam tollito, & aliquãdiu refrigerato, & atramentum ſutorium percolatum læuigatumq; ex duabus aceti heminis paulatim, ne efferueſcat, inſpergito. Hoc infuſo, iterũ leniter coquito agitando: cùm non amplius inquinat, ab igne amoueto: opopanacem in aceto, quod reliquum fuerit, ita pridie maceratũ vt diſſoluatur, infundito: deinde ceruſſam mannamq; vnà pariter probè tritas inſpergito, & paululum tepefaciens quouſq, in vnũ coëant, obſerua ne opopanax & manna comburantur, in mortariũ funde, & refrigerari ſinito, ac rurſus ſubactũ reponito.

* *Gal. habet libram.*

Geranion Poletis facit ad neruos craſſorũ humorum plenos ac laxatos, & in quibus periculũ reſolutionis imminet, & ad fluxiones quæ ad articulos feruntur, in quib. tumor etiam oritur, & ad partes quę prolapſæ ſunt, & ad recenti cicatrice contractos articulos & incuruatos, quiq; ſi vi moueantur, ſtrepunt, vt ſinguli ſonum edant. Valet etiam cùm in cubitis, aut genibus, aut aliqua alia particula lentus humor, aut flatus continetur. Sanat ganglia, & omnes concretiones, & ſteatomata, & atheromata. Accommodatũ etiam eſt ad aneuryſmata, ad ſtrumas & panos. Omnia præterea indurata emollit, rumpit, exterget, attenuat & glutinat, ac relaxata corroborat.

Eius compositio est hæc: ramenti æreæ statuę sordidæ & æruginosæ, quale in ijs quæ inunguntur reperitur, vnciæ viginti quatuor, cerę tantundem, sandycis libra, sandarachæ libra, terebinthinæ libra. Si ramentū durius sit, tunc tantundē terebinthinæ impone. Gruis pennas omnes hoc modo crematas addito. In ollam fictilem nouam pennas omnes pone, os & totam ollam argilla illine, eamq; in fornacem conijce donec ignita argilla sit: tunc extrahe atque aperi, pennæ aduſtæ & in vnum redactæ comperientur: eas ad ſtrigmenti formam terito, deinde cerā ac resinā ſuper carbonibus liquato: tum ſandaracham & ſandycē cōtritum affundito, & donec probè mixta hæc fuerint, agitato: poſtea ramentum in mortarium coniectum diligenter conterito, vt omnia affuſa cum cera miſceantur, & medicamentū ad emplaſtri formam redigatur.

Quod ex dictamno cōficitur, habet dictamni partes viginti octo, chamæmeli partes duodecim, ſphagni partes quinque, pentaphylli partes quatuor, cyperi partes ſeptē, ariſtolochiæ partes triginta quinque, ireos partes ſeptē, polij partes duodecim, centaurij partes duodecim, gentianæ tantundem, libanotidos partes ſex, gagatis partes ſeptem, ſpumæ argenti partes centum quinquaginta, olei veteris partes octo & quadraginta, ceræ partes duodecim, reſinæ ſiccæ partes triginta duas, colophoniæ partes quinquaginta, terebinthinæ partes quatuordecim, terræ ampelitidis partes viginti quatuor, aut pityinę ſiccæ partes duodecim, ammoniaci thymiamatis partes triginta quinque, ſquamę æris partes triginta octo, æris cōbuſti partes duas de viginti, propoleos

* Aliàs rubricæ. partes duodecim, diphrygis partes octo, * amyli partes duodecim, ceruſſæ tantundem, aloës partes ſexde-

sexdecim, chalciteos partes decem, atramenti sutorij partes vigintiquatuor, thuris albi partes duodecim, myrrhæ partes septē. Oleum prius leni igni calefacere oportet, deinde argenti spumā in subtilissimum pollinem redactam inijcere paulatim agitando donec colorem mutet, & aliquantulum cōsistat: deinde picem, terramq; ampelitidē addere. Cumq; densari inceperit, cera inijcienda est, deinde resina & colophonia, tum ammoniacū contritum: ad hæc squama æris, atq; æs, tum rubricā, & diphryges: tum chalcitidem, atramentū sutorium, & cerussam, deinde libanotida & myrrhā, & aloën, deinde totam terebinthinam & thus: hæcq; omnia, vt par est, mixta ab igne detrahes, & ita herbas læuigatas inijce spatha agitando, vltimo verò loco chamæmelum infundito. Vtere hoc medicamēto ad neruos vulneratos, ad vlcera vetusta, ad venenatorū animaliū ictus, & morsus, ad scorpionum morsus, ad condylomata & ganglia, ad strumas & lenticulas, parotidas & phymata, & fistulas, & ad chironia, & maligna vlcera omnia, & ad ossa. Itemq; euellit spicula & tela, carnē & cicatricem inducit, inflammationes discutit: facit & ad omnia thoracis vitia, & ad præcordiorū affectiones & duritias, vel scirrhos, & ad aquā inter cutē, & ad articulos cōtractos, & ad osium fracturas, & ad vlcera curatu difficilia, & depascentia, & ad neruos præcisos, & ad contusiones & putredines, & abscessus, & perniones, & carbones, & ad quęcunq; emollienda sunt. Itemq; fluxiones oculorū fronti admotum sistit. Rosaceo autem dilutū ad aures purulentas, ad ea quę in pudendis & ano sunt, valet. Prodest etiam in suffitu vuluis, quas frigus oblæsit, & ijs quę difficiliter partū edunt: nam ita fœtum viuum educes, neque vlla ex parte lædes: itemq; secundas, quæ

vocantur, si vsu veniat. Auxiliatur etiam morbis qui ex circuitu redeunt, si ante accessionem frõti adhibeatur. Iam verò si in domo suffitus ex eo fiat, & viperas, & omnia quæ venenũ iaculantur, extrudet.

Ex lini semine Poletis facit ad thoracis affectiones, emollit, ac digerit, ac neruosarum partium inflammationes mitigat. Facit ad podagricas exacerbationes, & contractos articulos relaxat. Lini seminis pars vna, ceræ partes quatuor, colophoniæ tantundẽ, farinæ hordeaceæ partes duæ, resinæ cupressi tantundem, thlaspeos pars vna, chamæmeli, pilularum viridium cupressi clausarum cuiusq; pars vna, olei veteris partes duæ. Ceram & colophoniam ad carbones liquato, oleumq; mouẽdo adijcito. His diligenter mistis, ollam ab igne auferto, cupressi pilulas tritas imponito, animum adhibendo, ne medicamentũ efferuescat, & intumescat, & ollam egrediatur: deinde farinam, tum lini semen, postea thlaspin, postremò chamæmelum adiungito, ad ignemq; iterum ponito, cõmisceto donec probè coeant. His in vnum redactis, resinã cupressi ad finẽ inijce: cumq; hæc eliquata fuerit, medicamentum in mortarium aqua semiplenum versa: deinde emolli, atq; vtitor.

Ex verbenaca, vel ex sacra herba, quod ad Poletem refertur, facit ad capitis dolorem veterem & recentem: ad hemicraniã, si fronti & temporibus applicetur. Valet etiam ad dentium dolores, & oculorum fluxiones: itemq; ad vrinæ difficultatẽ pubi impositum. Est etiam accõmodatum ijs, qui à scorpione icti sunt: & deniq; neruosarũ partium inflammationibus. Habet autem sacræ herbæ, aut verbenacæ partes nouẽ, resinæ colophoniæ partes vigintiquatuor, ceræ partes quatuor, olei partes duas.

Emplastrum elephantinũ, siue ex dorycnio, quod

Poletes

Poletes confecit, valet ad articulos contractos, ad callos fracturarum (emollit enim, & soluit vitiosas agnationes) itemq; strumas amotu difficiles, atque ad ea quæ induruerunt, & quæ ægrè maturantur, quæq; contumacia sunt: nam diffundit, emollit, digerit, ac discutit vehemẽter. Quòd si eboris portionem medicamento illinas, itaq; decem dies illitam dimiseris, ita mollẽ effeceris, vt perfodi queat. Si verò plures dies ita cõtinueris, molle videbis, eque ac lorum. Medicamentum fit ex his: Dorycnij recentis viridis, aut in vmbra arefacti partes decem, radicis mandragoræ vel viridis vel siccæ, partes duæ, radicis panacis partes sex, resinæ colophoniæ partes viginti, resinæ liquidæ pineæ partes quatuor, opopanacis partes duæ, terebinthinæ partes duodecim, bdellij partes viginti, cerę partes duodecim, aceti albi hemina, aut plus eo, si medicamentũ capax sit. Dorycnium si viride sit, totum cum radicibus euulsum in mortarium conijciendum est, & vehementer contundendũ aceto paulatim instillato. Idem faciẽdum est, cùm mandragoræ radix imponitur. Panacis autem radicẽ in frusta secans & conterens per se inijcies, deinde bdellium, quod cùm in mortario prius confregeris, acetũ instillando, admotis viribus contunde, vsquedũ emplastri formã acquirat: deinde apparatas herbas misce, postremoq; opopanacẽ ex aceto lęuigatũ infunde. medicamento confecto vtitor.

Emplastrũ ex anthemide. Anthemida verno tempore florentem & coloratã legere oportet, ex eaq; succum exprimere, & in sole exiccare: deinde sumere resinę colophoniæ partes duas & quadraginta, pineę partes octo, cerę tantundẽ, olei partes quatuor: tum succum herbę dissolutum paulatim compones, ab igni auferes, in mortarium conijcies, diligenter

permiſcebis vt in vnum conducantur. Vtere ad vulnera cruenta, carnis fracturas, vlcera maligna, vetuſta, quæq; labra pertumida habent, grauęq; olent, & difficiliter ad cicatricem perducũtur: ad beſtiarum virus eiaculantiũ morſus, ad vnguium pterygia, ad neruos craſſo humore imbutos, ijq; ſiue in articulis ſint diuturni & dolorẽ excitantes, ſiue etiam ex inflammatione ægrè moueãtur, & dolore afficiant: ad fiſtulas, ad ſtrumas, ad oſsium denudationes, ad glandia, ad dothienas, ad ſteatomata, ad nomas, ad ſinus, ad coli inteſtini flatus, ad partes, in quibus frigus dolorem excitauit, ad ambuſta, ad præcordia, viſcera, & ſtomachũ, ad vitia thoracis, & item alia, ad abſceſſus. Importunum & copioſum ſanguinis è naribus fluxum ſiſtit: in quo caſu ſtomacho applicandum medicamentum eſt: præſtat tamen fronti etiam adhibere. Fluxiones, quæ ad oculos feruntur, eius ſpleniũ fronti appoſitum cohibet: roſaceo verò dilutum imponitur vlceribus, quæ in genitalibus depaſcendo ſerpunt.

Halmyron verò dicitur, in quo lapis eſt quidam denſus, grauis, lenis, totus ſalſus, vnius tantùm coloris, quem * Indicum vocant. Hic aduſtus, & ignitus, ac refrigeratus, albus apparet. Hunc diligenter teras, & per cribrũ traijcias, & oui albũ admiſceas, vlceraq; puerorũ quæ aperta non ſunt, unges. quin etiam vlcera ſerpentia ſiſtes, atq; exiccabis, & ex eo optimum medicamentum parabis: reſinæ colophoniæ partes vigintiquatuor, liquidæ partes ſex, ceræ partes quinque, olei partes tres, lapidis partes ſex. Hoc medicamentum habet vim purgandi, exiccandi, per halitum digerendi, attenuandi, diffundendi, glutinandi, cicatricem inducendi. Valet ad eos qui dolore conficiuntur, & quibus ventriculus propter eius im-

* *Alius lib. habet Midicum.*

eius imbecillitatem, grauitatē affert. Facit etiam ad nuper perforata, & ad vetera vlcera, & ad strumas, & denique ex rosaceo ad aures purulentas.

Ex salicibus, quod Magnus inuenit, sine mordicatione exiccans ad omnes destillationes facit. Salicis folia virentia terito, vini veteris quantū ad infusionem satis sit, addito, & ad lentum ignem diu coquito: deinde in pilam iterum reijcito, & simul contundito diligenter, & linteo denso hæc ita contrita excipito, & comprimito, vt succus exprimatur: postea sumito colophoniæ vncias vigintiquatuor, olei vncias duas, succi expressi librā, colophoniamq; prius cum oleo percolatā placido igni decoques, quousque in aquam coniecta, & manibus subacta, non inquinet: tum verò cerę vncias vigintiquatuor admisceto, eaq; liquefacta, ollaq; ab igni amota, salicis succus paulatim admodū inijciatur, deinde igni admoueatur, & placidè coquatur, vt ne comburatur. Cùm medicamentum ita in vase commistum fuerit, mortariū eodem succo perfunde, & in ipsum conijce medicamentum, idq; manibus subigito, & emollito, atque vtitor.

E buccinis quod valet ad digerendū per halitum, nō mordendo, habet spumæ argenti drachmas xvi. cineris buccinarū vnc. x v i i. cerussæ vnc. x x. olei antiqui heminam, terebinthinæ drach. x i i i. thuris drach. x x. aquæ cyathos i i i i.

Ad alopeciam, euphorbij & thapsiæ vtriusq; partes duas, sulphuris viui partes quatuor, ellebori albi aut nigri partē vnam: his ceræ partes quindecim admisceto, & oleo laurino antiquo eliquato. Erit hoc medicamentum præstantissimum ad inueteratas & curatu difficiles alopecias. Si thapsia tibi non suppetat, tantundem ponito aut seminis nasturtij, aut eru

cæ. Siq; laurinũ non adsit, liquidam picem adijcito.

Adamantij ad alopecias. Alliorum cinere ex melle vngito.

Ex salicibus præclarum, & ad multos vsus accommodatum medicamentum, non secus quàm quæ suprà sunt allata, Crito sic recensuit. Medicamentum ex salicibus facit ad vlcera cruẽta, articulos solutos, & ad fistulas impositum, ad flaccidas carnes, præsertim quę in extremis sunt partibus, & ad erysipelata, aliasq; pleraſque affectiones sine vstionibus. Habet autem misyos, chalcitidis, æruginis, ceruſſæ, gallarum non tritarum, aluminis scisi & rotundi, melanteriæ, singulorum vncias sex, ceræ resinæ pityinæ, picis, bituminis, foliorũ salicis, singulorũ vncias duas, olei heminam vnam & vncias quatuor, atramenti sutorij vncias sex, malicorij vncias tres, aceti sextarios sex. Folia salicis triduũ aceto madefacta coque quousque acetũ in sextarios duos redigatur: deinde ærugini, ceruſſę, melanteriæ, atq; alijs prius tritis folia, quæ ipsa quoq; diligenter læuigata sint, deinde sicca læuigata addito, & in vnum redigito: postea liquefacta superfundito, & componito, atque vtitor.

Ad cancros vlceratos medicamentũ mitissimum ex his fiet. Argenti spumæ, ceræ, adipis suilli, singulorum libram cape, vitellos ouorum tostorum decem, olei cyathos octo. Argenti spumã ex aqua, quæ satis sit, contere, simul etiam aliquid olei affundens, ouorumq; vitellos simul tere, adipemq; expurgatũ cum cera eliquato, & contritæ argenti spumæ adijcito, ac reliquum oleum indito. Huius medicamẽti vsus est, vt si cum linamẽto adhibeatur, cum rosaceo, aut lentiscino, aut irino, vt conuenire videbitur, imponendũ sit. Si verò vlcus doloris expers sit, myrrhæ, ireos, aristolochiæ, singularum drachmæ tres commisce an-

miſceantur, atq; ita etiam non vlceratis conueniet.

Adamantij medicamentum ad vlcera phagedæni ca. Althæa viridis vel ſicca ſeuo hircino excepta vte re. Si verò mirum in modũ humida ſint vlcera, linamenta ſicca prius impone, & ſeuum cum althęa adhi be. Ad hoc etiam vtere ijs, quæ trigeſimoquinto capite deſcribuntur.

Ad cancros in quibus multa ac depaſcens eroſio ſit, hoc auxiliũ mirabjliter facit, quod habet vini bo ni potentis ſextarios * viginti, rhois excoriariæ lib. vnam, rotularũ cupreſsi tantundem, gallarum imma turarum non contuſarum vncias ſex, caſsiæ optimæ tantundem. Contuſa macerantur quatridunm, & co quũtur ad tertias aut quartas, rudicula cupreſsi agitando. Hisq; valde expreſsis & abiectis, reliqua ad mellis ſpiſsitudinẽ coquuntur, & in vas vitreum effunduntur. Vſus eis medicaměti eſt, vt eo puro vta ris ad depaſcentes cancros: quod ſi ſpiſsius ſit, vino poteris liquidũ reddere, id quod maximè vſu venit in pudẽdi muliebris ſinu. Dolores etiam ſedat lacte dilutum, quod aliàs quoq; nomas mirabiliter ſanat. *Alter codex habet vnũ ſextarium.*

Ad inteſtina prolapſa facit hoc, quod habet cupreſsi pilularum paruarum & tenerarum, malicorij, ſingulorũ vncias tres, vini nigri quod ſatis eſt. Coque vinum affundẽdo, donec omnino diſſoluantur: deinde in mortarium conijce, & ſubige diligenter, & adipe ſuillo veteri excipe, vt emplaſtri ſpiſsitudinem habeat: tum ſuper linteo extende, ac prius inteſtinũ reducito. Foris autem pharmaco mollem ſpongiam applica. ſolues autem medicamentũ tertio aut quarto quoque die.

Adamantini ad herniã, cùm inteſtinũ in ſcrotũ deſcendit, habet gallarũ, halicacabi, radicis vrticæ portiones pares: vino adſtringente prius coque, deinde

læuiga donec fiat cerati crasities. peritonæo applica. solue septimo die à curatione: prius tamen delapsum intestinum ad pristinum locum retrahito.

Aliud ad idem. Vuę passæ acinis eiectis libram, cumini ad strigmentum redacti vncias sex, nitri vncias tres. læuigatis vtitor. Si verò propter adstrictionis molestiam opus sit cerato sicyonio, locum mastiche trita perspergendo, vtêris.

Adamantini medicamentũ ad ramicem inguinis, habet gallarum vnciam, lapidis pyritis vncias tres, pyrethri vncias duas, nitri vnciã, terebinthinæ vnciam, silphij tãtundem, sandarachæ drachmas duas, ceræ vncias tres, axungiæ veteris vncias duas, alumnis liquidi vnciam. Sicca vino quod mare expertum non sit, & sapa læuigato, & liquata adijcito.

Ad ramicem inguinis, & aquosum. Bdellium salijua ieiunus macerato, donec habeat emplastri consistentiam, atque vtere.

Aliud. Folia, ramulos, & pilulas cupressi recentes ac teneras læuigabis, & ad emplastri similitudinem alligato. Quidam cùm ex vino prius coxerint, idem faciũt: hoc enim corporib. nimio humore languentibus magnopere cõfert: exiccat enim, & corroborat.

Ad aquosos ramices: Carnium passularum, ammeos, terebinthinæ, singulorum drach. v i i i. nitri rubei drach. x. mellis optimi vnc. i i. arida per se minutissimè cõtundito, & cribrato, passulasq; diligenter subactas misceto, & simul cõficito: tum mel cum terebinthina parcè decoctũ infundito, & ad emplastri formã redigito: sicca demum læuigata melli adijcito, emollitoq;, & vtere. Porrò coxendicem vitta deuincies: æger verò quiescat, & abstineat à balneo. Alternis diebus vinculũ solues, & loco spongia foto nouum medicamentum adhibebis.

Adaman-

Adamãtini ad meliceridas, & quę ſimilia ſunt. Ceræ vnciæ I I. terebinthinæ vnc. I I. ſquamæ æris vncię I I. ſulphuris ignem nõ experti vncia, radicis ſiccæ cannabis agreſtis denariũm põdo x x x v. olei veteris vncia. radices ex oleo coque.

Corax ad nomas valens, habet thuris vnc. duas, ęruginis vnc. I I I I. terebinthinæ vncias v I I I. atramenti ſutorij vncias x v I. ceræ vnc. v I I I. gallarum vnc. I I. ſeui taurini vnciã, mellis vnc. I I. aceti quantum ſatis eſt.

Ad ramicem gutturis, ex ſale. facit etiam ad eos, in quibus per halitum digerere oportet. Habet autem ſalis communis toſti drach. I. cineris porrorum drach. ceruſſæ vnciam, olei tantundem. coquito donec manus non inficiat.

Ad ſedis inflãmationes facit hoc, quod habet oui vitellum toſtum, opij obolum, croci tantundẽ, mellis quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ad tentiginem ciendam, habet eupatorij vncias octo, ſeminis erucę, pyrethri, vtriuſque vncias quatuor, canchryos vncias tres, pudendi cerui vncias duas, caudæ ſcinci vncias duas, euphorbij vnciam vnam, terebinthinæ tantundẽ, ceræ vncias quatuor, oua paſſerum troglodytarum numero tria. ſtelliones oleo laurino aut irino adhuc viui macerant, & ex aceto in vaſe ex fimo, & cocto, diebus quadraginta ſeruentur.

Ad fracturas oſsium. Picis brutiæ libra vnam, ſpumę argenti libram vnam, vncias quatuor: thuris vncias octo, terebinthinæ vncias octo, ſeui taurini libram vnam, vncias quatuor: galbani vnciam vnam, opopanacis tantundẽ, ceræ vncias quatuor, olei veteris libram vnam, aceti vncias quinq; componito.

Ad teneros, & qui ex vlcerib. nimis grauiter con-

flictãtur,adhibe cerę vnc.1.ceruſſæ vnc.2.thuris vnciam,ſalis ammoniaci vnc.4.ſquamæ Cypriæ vnc.2. aluminis ſciſsilis,æruginis,malicorij, calcis viuę,ſingulorum vnciam.Alij pro ęrugine habent ſulphuris duplum,& ſquamæ dimidium.

Ad phagedænas ex quarto extremo de compoſitione medicamentorum per genera, habet ceruſſæ vnc.8.ſulphuris ignem non experti vnc.2. ſquamæ, thuris, æruginis,ſingulorũ vnciam,malicorij vnc.2. ſalis ammoniaci vnciam, aluminis vnc.2.calcis viuæ vnciam,ceræ libram, roſacei vnciam:ceram & roſaceum eliquans refrigera, cætera læuigato. Cùm vti velis,linteum latum quantum vlcus eſt, capito, medicamentumq; imponito , & ſuperdabis ſpongiã ex aqua frigida , & medicamentũ tertio aut quarto die commutãbis.

Adamantini ad phagedænas, & antiqua vlcera, quæq; difficiliter ad cicatricẽ perducuntur. Bulborum ſcillæ vnius , quod maximè tenerum eſt, in olei ſextarium conijce , & coque donec ad tertiam partem redigatur:oleo vtere, vlcus penna inũgens,nec linamentũ indens.Idem purgat carnẽ, cicatricemq; inducit.Qui verò maiore auxilio indigeat,cùm hoc medicamẽto vnctus fuerit, apponat paſtinacæ folia trita ex melle.Erit autẽ præſtantior ad hanc rem paſtinaca erratica:ſi ea non ſuppetat,ſatiua capiatur.

Aliud ad omnia vlcera maligna,& phagedænica, quod habet,ſucci Cyrenaici, vngulæ aſini cõbuſtæ, cancrorum fluuiatilium combuſtorum,ſingulorum vnciam,plumbi vſti,lentiſci,cadmiæ,thuris,ſingulorum vnciam mediam.Vngulam autem ex lacte aſinino læuigabis,cancros ex aqua:plumbũ verò & cadmiã oxyrhodino ſeparatim. His læuigatis adde ſuccum & thus cum modico oleo myrtino,omniaq; ſimul

mul commisce, & conficito ad modũ agglutinamenti, & linteo insperſum impone, & vbi exiccatũ erit, ſæpe mutabis, cùm ſolùm à ſanie inquinetur.

Ad vlcera maligna, difficiliter ad cicatricem peruenientia, putreſcentia & flaccida. Lemniũ ſigillum huiuſmodi vlcera valde adiuuat præparatum ad luti conſiſtentiam: ſi verò vlcus ſordidum, & valde flaccidum fuerit, & in conſpectu ſit, ſigillũ aceto acerrimo aſperges: ſi minus, vino, aut aqua, aut poſca, aut oxymelite, aut mulſa.

Ad vlcera carcinode & maligna, & ad inflammationes pudendi, teſtium, ani, mammarum: itemq; ad rhagadas, rugas, & ardores ſedis & teſtium. In mortario plumbeo & piſtillo plumbeo tere ad ſtrigmenti craſsitudinem cum roſaceo, aut omphacino oleo, ſemperuiuę ſuccũ, aut vmbilici veneris, aut lactucę, aut pſyllij, aut vuę acerbæ, & inunge. Centauriũ minus recens illitũ cicatricẽ inducit vlceribus, quæ ad eam ægrè perueniunt, & quæ maligna ſunt ſanat.

Ad vlcera perhumida: Cupreſsi folia & rami, & fructus noui & teneri, ad emplaſtri modum appoſita, vel per ſe, vel vino madida, vlcerũ flaccidorum & putreſcentiũ cicatrices ſine dolore & tutò depaſcuntur. Vtere etiam remedio, quod ſuprà vigeſimo quinto & ſexto loco deſcripſimus.

Ad idem. Cyperi radices maximè accommodatæ ſunt ad vlcera, quæ propter nimium humorẽ ad cicatricem ægrè perueniunt. cucurbitæ ſiccæ combuſtæ cinis vlceribus nõ inflammatis, at humidis & putreſcentibus conuenit: præſertim verò ijs, quæ in præputio pudendi ſunt. Radicis anethi cinis idem facit.

Ad vlcera maligna fluentia & putreſcentia, plantaginem viridẽ adhibe, aut ſiccã contuſam appone. Ilatis ſatiua efficax eſt contra huiuſmodi vlcera pu-

rteſcentia & depaſcentia: ſi verò vehementior iſatis videatur, quàm ferre queat habitus ægrotãtis, eiuſdem folijs aut panem, aut hordeaceã aut triticeam farinam & polentam adijciemus.

Ad vlcera chironia. Squamæ ęris denarios x. aluminis ſciſsilis denarios 11. ceræ quantum ſatis eſt: ceram calefac & emolli, ſicca ſubtiliſsimè trita commiſce, in linteum conijce, loco admoue. Vel alumen ſciſsile combuſtum & tritum inſpergito.

Ad eadem. Hyſſopi vnciæ 1111. vuarum paſſarum drach. 1111. nitri vnc. 1. lęuigato & apponito, vlcus melle prius inungito.

Ad putrida & depaſcẽtia, Chalcitis, auripigmentum, calx vel per ſe, vel ſimul admota, faciunt: aut marrubium coctum ex vino adhibe: aut eruum tritum ex melle imponito: aut oliuæ folijs teneris coctis in vino & contritis ſimiliter vtitor, aqua autem marina calida perfundito.

Ad vermes qui in vlceribus putreſcẽtibus naſcuntur, valet calaminthæ ſuccus, aut ipſa calamintha viridis læuigata & adhibita.

Ad inueteratas, fiſtuloſas, & in quibus caro difficulter creſcit, vlcerum cauitates, quæ ex diſtillationibus fiunt. Oſtreorũ oſſa combure, læuiga, inſperge. Item peucedani radix ſicca contrita ad ſtrigmenti formam: hæc enim expurgat carnem, & cicatricem inducit.

Ad vlcera flaccida. Lanæ combuſtæ tritæ admotæ. Marceſcentes porrò carnes in vlcerib. ſtatim abſumit platani cortex vſtus & tritus inſperſus. Quæ verò propter humoris copiam flaccida & ſordida ſunt, ea etiam curat.

Ad vlcera, quæ ægrè ad cicatricem perueniunt. Aloë ſanat vlcera, quę difficiliter ad cicatricem perducun-

ducuntur, præsertim verò in sede & pudendo: & eorum etiam inflãmationẽ præcipuè sedat aqua diluta.

Ad vlcera vetusta facit cera in sole emollita, cui squamę æris ad strigmentũ redactæ quamplurimum potes, aut chrysocollam addas: linteo autem imponendum medicamentũ est, & non sępe auferendum.

Ad maculas & cicatrices exterendas. Gallas immaturas, melanteriam, itemq; malicorium, contusa, vt succum emittant, impone: & ampelopraſorũ succum viridem adhibe, donec teneri cerati crassitudinem habeat. Facies, aut alia corporis pars nitro perfricanda & abstergenda est. Maculæ etiam exeruntur betæ decocto, aut nitro tosto, aut smegmate, quod ex eruo conficitur: si verò nigror ex hoc appareat, floremq; æris quispiã admisceat, aut per se inspergat, satis erit. Tolles porrò maculas & cicatrices, cutim nitro confricando ad hunc modum: Maculas illine resina per dies quinq;, sexto die soluas, acubus maculas densis puncturis punge, vt locum ęquè vellices, sanguinemq; fluentẽ absterge: cumq; horæ dimidium ita permiseris, spongia locum munda, ac medicamentum in quamcunque maculam inde, tertio die iterũ solues, & de ligaturis expedies. Sed propter medicamenti vsum nigror quidam, qui non diuturnus erit, exorietur: ac viginti dierum spatio neq; vlcus, neq; cicatrix vlla, neq; nigror apparebit. Medicamenti autem cõpositio fit ad hunc modum: ceræ, nitri, aphronitri, calcis viuæ, lixiuij, thuris pares portiones contere, & melle excipe, quod sit duplum vnius prædictorum, quodq; cum cera sit liquatum.

Ad vngues scabiosos. Visci quercini vncias duas, farinæ fœnigræci, succi thapsię, vtriusq; vnc. duas, cantharidum vnciam vnam, sandarachæ vnc. duas,

aceti quod satis sit.

Dia halon, hoc est, ex sale, facit ad abscessus, strumas, & ea omnia, ad quæ ferro opus est. Salis ammoniaci, plumbaginis, olei, lixiuij sarmentorum stillatitij, singulorũ vncia, stercoris columbini vnciæ tres: salem in mortarium conijce, itemq; lixiuium, & tandiu læuiga, quandiu sal dissoluatur: deinde plumbaginem, oleum, & stercus adijce, & omnia probè simul contere, donec sordium fiat spissitudo, & in ollam conijce, ac lento igni coque, vt non inquinet, & erue, atque vtitor.

Ad cancrum vlceratũ. Spumæ argenti, ceræ, adipis suilli, singulorum vnciam, vitellos ouorum tostorum decẽ, olei cyathos octo sume. Argenti spumam ex aqua quę satis sit, tere, aliquid olei affundẽs, tum vitellos simul contunde, adipẽ exemptis fibris cum cera eliquato: spumæ autem argenti læuigatæ reliquum olei addito. Vsus eius est si apponas, vt ex rosaceo cum linamento laneo imponas, aut cum pesso laneo, ut conuenire videatur. Si verò vlcus doloris expers sit, addito myrrhæ, ireos, aristolochiæ, singulorũ drach. 3. quod etiam nõ vlcerato cancro conueniet. In quib. verò multa, ac depascens erosio est, admirabile est, quantũ adiumenti afferat hoc, quod habet, uini, quod Adrianum dicitur, sextarios viginti, rhois coriarij, pilularũ cypressi, singulorũ lib. 1. gallarum acerbarum nõ contusarũ vnc. 6. cassiæ optimæ tantundẽ: pilulę confractæ madescant quatriduum, & coquantur ad tertias aut quartas, rudicula ex cupresso versando: deinde expressę auferuntur: succus coquitur vsqueadeo, dum fiat tam crassum, quàm mel, & in uitreo uase seruatur. Hoc ad depascentia ulcera puro utimur: quod si crassius sit, uino erit humectandũ, & præsertim in muliebris pudendi sinu.

Iam

Iam uerò lacte dilutum dolores mitigat, cæterosq; depascentes morbos mirabiliter sanat.

Cerata,& perfusiones,ad parotidas,phymata omnia,& dothienas.Olei,ceræ,saponis,stactæ,nitri,sin gulorum libra: ceram cum oleo liquabis: sapo uerò cum stacte in mortario læuigetur: deinde nitrum in mortarium conijciatur:queq; in mortario sint,in ca cabum conijcito,& idem adiungito.

Ad bubonocœlem.Taurocollę,malicorij,utriusque libra, thuris, succi hypocistidos, utriusque uncia: excipe passo.

Ceratum διὰ τεσσάρων,ex quatuor rebus, habet,ceræ,adipis taurini,frictæ,axungiæ pares portiones.

Azanites ceratum habet,cerę,pineę,adipis suilli, singulorũ libram:picis,œsypi,medullæ ceruinæ, singulorum uncias tres.

Hypochõdriaca anethine.Olei unc.2.marinę lib. una,anethi unc.6.scillę unc.1.adipis recẽtis tantundẽ,ceræ libra. In ardentib.uerò febrib.& fracturis, aqua fluuiatilis pro salsa, & etiam anchusa ponitur.

Ad erysipelata quod illinitur.Cerussę uncię duę, sulphuris uiui drach.duæ,opij drach.quatuor,aceti quantum sufficit.

Perfusio capitis. Vnguenti irini unc.8.opobalsami unc.2.stactes unc.2.cedriæ laconicæ unc.2.

Alia ad percussiones & plagas,ut inflãmatio non subsequatur. Olei partes 4.aceti pars una,anethi ligna alliga,ut uersęs dum coquitur in calido cinere, quoad acetum coctum sit:deinde ceram adde,ut ad strigmenti crassitudinem redigatur.

Ad cardiacos. Ceram cum œnanthino eliquato, rhu syriacum addito,ac totum perungito.

Ad podagricos. Oleum uetustissimũ coque usq; dum emplastri consistentiam acquirat, & aspergens

nitrum subtilissimè tritum, & cõmiscens, ac super linteo extendens vtere.

Ceratium, quod Manus appellatur. Ceræ vnc. v. adipis taurini vnc. i i i i. butyri vnciæ i i i. œsypi vnc. i i. terebinthinæ vnc. i. colliquato.

Perfusio capitis, qua vtimur: irini vnciæ v. nardi vnc. i i i i. opobalsami vnc. i i. laurini vnc. i i.

Ad vlcera serpentia, & erysipelas: mentæ, sulphuris, cerussæ, acaciæ pares portiones, passo excipe: si vsus postularit, aceto: idq; sæpe ego paraui.

Ad saniem. Spumæ argenti vnc. x x. calcis viuæ vnc. x x. aceti hemina, ea ex aceto diligenter læuiga bis, oleiq; lib. addes, excipies, atque vteris.

Vnctio ad neruorum affectus: olei fœnigreci vnciæ i i. ceræ vnc. i i i i. terebinthinæ vnc. i i i. spumæ argẽti vnc. i i i. adipis suilli vnc. i. fricę vnc. v i.

Amythaonis ad hypochondrioruma ffectiones: omnem duritiã soluit. Facit etiam ad articulos qui ægrè mouentur. Guttę ammoniaci vnc. x x x v i. ceræ tantundem, terebinthinę, bdellij, chalbanę, singulorum vnc. v i i i. thuris, myrrhæ, olei cyprini, singulorum vncię i i i i. myrrha, thus, & bdellium in vino madescunt: ammoniacum aceto dissoluitur: omnia verò pistillo, cyprino oleo perfuso, vsque ad perfectam dissolutionem contunduntur.

Quod ex seminibus fit ad omnia interna valens medicamentum, habet, ammoniaci vnc. v i i i. fœnigræci, panacis, iridis, nitri, adipis taurini, singulorum vncię x x v. mellis vnc. x x. aceti heminã vnam, cyprini olei parum.

Quod ex ptisana conficitur, habet fœnigræci, seminis lini, ptisanæ, singulorum vnc. i. meliloti, radicis althææ, singul. vnc. i i. Hęc coquito quousq; succum reddiderint, cuius trãscolati sumito lib. i i. olei antiqui

antiqui lib. I I I. & simul decoque donec oleum tantum remanserit: deinde oleo adde taurini adipis vncias v I. fricte vncias v I. cere lib. I. galbani vnc. I. confice ad ignem ex lignis.

Ceræ vnc. v I. adipis taurini noui vnc. I I I. rosacei vnc. x I I. succi seminis lini quantum capi à cerato possit: quæ eliquari possunt, liquentur, misceantur, ac manu versentur, & succus paulatim adhibeatur, quem succum ita conficies. Lini semen diligenter laua, & ad lini seminis sextarium, tres aquæ sextarios cape, bis coque, & ita vtere. Facit ad eos qui febri ardenti iactantur: item ad eos, qui siti enecti sunt, & ad iecoris lienisq; inflammationes.

Malagma ex fœnogræco: ceræ vncię I I. terebinthinæ vnciæ v I. œsypi vnc. I I I I. farinæ fœnigræci vnc. I I I I. aliquando etiã fictæ resinæ vnc. additur.

Epithema stomacho multiplicis vsus: cerę drachma, nardi drachma, aloës, mastiches, absinthij, singulorum vnciæ quatuor, casiæ, styracis, iunci, singulorum vnciæ tres.

Malagma tonsoris, quod facit ad splenetícos, hepaticos & ischidiacos, habet picis siccæ vncias quatuor, ceræ, pineæ, ammoniaci, baccarum lauri, adipis taurini, singulorũ vncias duas, nitri rubri vnc. I. farinæ fœnigræci sextarios I I I. chamęleontis nigri radicis subtilissimè tritæ sextarium.

Ex micis ad omnem duritiem: Succi fœnigræci, seminis lini, althęæ, singulorum drachma vna, spumę argẽti drachma vna, micarũ panis drachmę tres, fricte vncia vna drach. duę, olei libra vna, iridis, ęruginis, aristolochiæ rotundæ, singulorum vncię duæ, meliloti, mannæ, floris salis, singulorum vnciæ tres.

Ex palmulis, quod διὰ φοινίκων appellatur, habet fœnigręci, seminis lini, vtriusque lib. I. meliloti vnc.

tres,palmularum lib.2.vini odorati sextarios 2.aquę lib.1.panis puri lib.2. spumæ argēti lib.2. cerussæ lib. 2.olei lib.5.ceræ lib.1.colophoniæ lib.2. terebinthinæ lib.1.coque donec non inquinet.

Epithema ad stomachicos, hepaticos,& ad hypo chondrium inflammationes,& ad omnes neruorum affectus.Ceræ drach. c.ammoniaci drach. c.melilotorū drach.12. croci drach.12. myrrhæ drach.12.olei cyprini lib.1.

Aliud,quod διασπλικὸν dicitur, valens ad prædictas affectiones, & ad omnem neruorū affectionem per cōsensum. Ceræ minas tres,ammoniaci minas duas, resinæ fractæ minā vnam,sertulæ campanæ minæ dimidiū,propoleos,myrrhę,styracis,nardi celtici,cyperi Indicæ,iridis Illyricæ,cardamomi,panacis,singulorū drach.20.casiæ,mastiches,opobalsami,amomi,singulorū drach.16.vini Italici odorati quantum satis est:nardini Asiani aromatici lib.1.Sicca vino macerentur,& medicamentum pro more apparetur.

Cyphoides ad hepaticos & omnia thoracis vitia. Vuę passę carnis drach.25.croci drach.1.allij obolos tres,casię obolos tres,nardi tantundē, iunci drach. 1.myrrhę drach.4.terebinthinę drach.4.allij drach. 16. ramētorum aspalathi obolos 12. mellis drach.16. vini quod satis est. Hoc medicamentū potest etiam per suffitum adhiberi.

Ex œnanthe epithema valde efficax ad cibi fastidium,stomachi æstum & dissolutionem. Oenanthes siccæ, gallarum, acaciæ, rosarum siccarum, omphacij, aluminis rotundi, aloës, singulorū vncia 1.olei myrtini,ceræ,picis, singulorū vn.1.rhois syriaci vnciæ quatuor.arida vino aminæo aspergantur.

Ex Galeni commentarijs ceratum ad oris stomachi inflammationē,habet,ceræ ponticæ,aut tyrrhenicæ,

nicæ,aut cuiuſuis alterius lotę,hyeme drach.9.eſtate verò drach.7. nardini vnguenti vncia 1. Liquefiat cera in duplici vaſe, deinde eraſum ceratum miſce aloës & maſtiches diligenter tritarũ drachmæ vni:ſi maiore adſtrictione opus ſit, vt tanta ſit imbecillitas vt cõtinere cibũ non queat, omphacij drachma addatur. Omphaciũ autem primùm miſceatur, deinde alia. Quandoq; etiam abſinthij ſuccum admiſcebis,& quandoq; vtrunq;:vt etiam hypociſtidis, aut œnanthes,aut rhois ſuccũ. Sed & nardini cerati copia ſemper augenda eſt ad proportioné numeri aliorum medicamentorum.

Malagma ad lienem valde efficax. Farinæ myrobalani vnc.tres,nitri vnc.quatuor, ceræ vnc.ſex, terebinthinæ vnc.8. aceti quantum ſufficit. idq; ſplenem eliquat.

Malagma ex baccis lauri ad ſplenicos, hydropicos, diſſoluit omnem duritiem, & omnes abſceſſus qui in profundo ſunt, abſorbet. Ceræ,reſinæ pinus, picis aridæ, nitri rubri, baccarum lauri, ammoniaci thymiamatis, adipis vitulini ſubacti,ſingulorum libra vna:quę liquanda ſunt,liquãtur,ſiccaq; eis adijciuntur,& ſimul contunduntur.

Malagma Apollophanis habet, ceræ, ammoniaci,thymiamatis, bdellij, iridis Illyricæ, ſingulorum drach.octo,reſinæ terebinthinæ,mannæ,thuris,ſingulorum drachmam vnam.ex irino contunduntur.

Ad iſchiadicos. Seminis rutæ ſylueſtris, ſilphij, baccarũ lauri,ſpumæ nitri, abrotoni,colocynthidis medullæ,naſturtij, ammeos,ſingulorum drach.4.rutę viridis minæ octauam partem, ceræ tantundem, picis tantundem, terebinthinæ tantundem,galbani drach.ſex, opopanacis drach.4. Hoc medicamentum magnã calefaciendi vim habet, & humores qui

in profundis corporis partibus nobis moleſtiam afferunt, poteſt elicere.

Ex Philomeni Mnaſæi cõmentarijs Clidion. Gallæ immaturæ, hypociſtidos, aluminis rotundi, acaciæ, rhu obſoniorum, malicorij ſicci, apij ſeminis, ſingulorum vncia, viſci quercini lib. quatuor, ammoniaci drach. quatuor, picis ſiccæ drachmę duæ, ceræ drach. quatuor, olei lentiſcini aut myrtini vnc. quatuor. Gallæ coquendæ ſunt in vini cyathis nouem vſq; ad tertias: deinde frangere, & cum alijs ex vino conterere oportet. Ammoniacũ aceto lęuigandum eſt ad mellis ſpiſsitudinem: viſcum ex modico oleo eſt molliendum: deinde pix, vnà cum cera eliquentur, & cum reliquo oleo cæteris omnibus affundantur, & lęuigentur, ac poſtremò in pila tundantur, donec in vnum omnia conueniant.

Ex Galeni commentarijs epithema infrigidans. Expreſſo humore alicuius infrigidantis, qualis eſt lactuca, aut ſolanum, aut oxalis, cum portulaca miſcemus: deinde contundentes exprimimus, vaſeq; in aqua gelida aut niue conſtituto, farinæ tenuis modicum addimus, & ſubigentes injcimus. Hoc verò ſæpius iterandum eſt, donec ægrotus refrigerationem ſentiat.

De cataplaſmatibus.

Cataplaſma ex fermento, quod cõpacta diffunde re & eliquare maximè poteſt: nam & dothienas & ſuppurationes tardius ad mutationes peruenientes iuuat, ſurculos educit, ſcirrhis auxiliatur, plãtarum pedum contuſionibus ſubuenit: multis modis confi citur. Nam vel fermẽtũ cum oleo emollitur, quod ſatis eſt ad dothienas & tardiores ſuppurationes diſſoluendas: aut tenuis pars nitri toſti cum eo miſcetur, vbi acriore epithemate opus eſt, vt in vehementioribus

tioribus scirrhis: vel quandoq; fermentum diffundimus, & rursus componimus, & coquimus, parum olei aut irini vnguenti admiscentes. Est etiam alia præparatio. Fermentum aceto dissoluitur, vt succi crassitudo sit, id quod ad scirrhos hepatis & splenis est accõmodatum: vel absinthij comam, aut iridem, aut abrotonũ, aut thymum, aut pulegium admiscemus: nam hæc omnia cum fermento satis sunt ad tumores duros iecoris & lienis discutiendos.

De cataplasmate quod ex pane fit.

Cataplasma ex pane efficacissimum est: nam omnibus fermè inflammationibus conuenit. Modi autem eius cõficiendi sunt admodum multi: vel enim frigida aqua madefactus panis & subactus cum rosa ceo illinitur, & inflammationibus quę ad erysipelatis naturam tendunt, planè conuenit: vel ex aqua calida madescit, ac cum oleo emollitur: deinde ita calidus adhibetur, vt durioribus, & non aurẽtibus inflammationibus prosit: vel pro oleo butyrũ addes, atq; ita multò ad easdem affectiones accõmodatius reddes. Atque ita etiam paratur. Panis multa aqua dissoluitur, vt succi spissitudinem acquirat, eiq; oleum aut butyrũ miscetur: deinde ad consistentiam coquitur. Hoc autem est omnium eorum, quę quidem ego nouerim, ad inflammationes vulnerum, & ad suppurationem perducendum ea, ad quę suppuratione opus est, præstantissimum. Vbi verò neruus, aut nerueum aliquid contusum est, ibi ego etiam picis liquidæ parum miscens, noui esse accõmodatum cataplasma. Id verò est etiam podagricis inflammationibus idoneum. Alius efficiendi modus. Hesterni panis medullam manibus cõterimus ad farinæ similitudinem, inde melli in olla calefacto admiscenda est, & coquenda ad mediocrẽ consistentiã, oleiq;

mediocrem portionem affundes. Hoc præcordiorum inflammationibus conuenit. Sed melius etiam fiet, si parum aquæ melli admiscueris: ita enim in coquendo melius diffunditur. Iam verò quod ex triticea farina cataplasma componitur, easdē ferè vires habet, & eisdem etiam apparatur modis.

De cataplasmate ex furfuribus.

Furfures ita parabis. Par est furfures in tenuissimas partes in mortario contundendo redigi, & cribro traijci, atq; itidē contundi, ijsq; vti cùm ad omnium partiū corporis tumores duros, tum verò præcipuè ad eos, qui in iecinore atq; liene sunt fixi. Furfures ex oxymelite, vel etiam ammoniaco sunt parandi, & calidi applicandi. Sed præstiterit etiam, si vicissim imponantur, ne calor vnquā deficiat. Si verò quandoq; testiculus inflammatione tentaretur, hoc esset accōmodatissimum: sed sine aceto fieri deberet. Faciet quoque id cataplasma ad dothienas, & cętera dura tubercula. Sed furfures aceto imbuti, & vicissim impositi, mirum in modum valent contra ictus animalium venena iaculantium.

De cataplasmate ex ficubus.

Multiplex est huius cataplasmatis compositio, & ad multa valet. Ficus igitur diligenter contundūtur, vt nulla pars neq; ficuum, neque seminis, quoad eius fieri potest, non contusa relinquatur. Iis ita confectis, suauitatis gratia, parum irini vnguenti admiscetur. Facit ad duritias neruorum, ad articulos contractos, & præter modum laxatos, & ad scirrhos, ac præsertim hepatis & splenis. Si verò nitri parum adiunxeris, sinus rumpet, & cuspides euellet. Si verò ita ficus cōtundas, & pulegij, aut origani, aut thymi comam, aut absinthij, in tenuissimas redactā partes miscueris, fiet cataplasma hydropicis idoneū: quod præcor-

præcordijs omnibus,& lumbis,& dorſo imponetur.

Alius cõficiendi modus. Coquantur ficus donec facilè & valde diffundantur: deinde cum modico eius aquæ in qua fuerint coctæ lẽuigentur,tum hordeacea farina,aut triticea,aut panis eis miſceatur,& diligenter ſubigantur,& rurſus coquantur ad cataplaſmatis conſiſtentiam. Conueniet hoc phymatis, quę non facilè matureſcunt,& parotidibus, quas ad ſuppurationẽ perducere oportet,& furunculis. Pinguedinẽ autem ſi quis velit admiſcere, butyrũ erit imponendũ: ſed ſi rutę etiam folia ſubtiliter trita miſceãtur, fiet medicamentũ ad dolores inteſtinorum à flatu excitatos valens: pinguedo autem tunc addatur,aut oleum in quo cuminum,aut ruta coquatur.

De Acopis.

Acopum decamęron habet,ſpicæ nardi,folij,euphorbij, piperis, coſti, adarces,ſingulorum vnciam vnam,maſtiches,opobalſami vnciam vnam, nardini vnguenti libram vnam,ceræ vncias tres.

Pentamæron habet, ſtyracis vncias duas, maſtiches vncias duas,ceræ albæ vncias tres,opobalſami vncias quatuor,vnguenti nardini vncias quinque.

Acopon vnguentum ex caſtoreo ad paralyſes, & diuturnas affectiones, habet,œſypi vncias tres,terebinthinæ tantundem, medullæ cerui vnc.4.ammoniaci,galbani,caſtorei,piperis albi,euphorbij,adarces,nitri ſpumę,opopanacis,ſingulorum vnc.unam, olei ſtyracini unciã unam, olei irini uncias nouem, olei ueteris unc.quatuor,ceræ libras duas. confice.

Aliud ſimplex. Butyrũ,reſina,& colophonia,cera alba noua pari pondere capiantur,& eliquentur.

Ad habitus ex ſenectute refrigeratos. Qui ſe lauat,ad ignẽ ſe hoc abſtergat: calaminthę,ſampſuchi, hyſſopi, baccarum lauri, & eius ex qua coronamẽta

fiunt roriſmarini, lapidis pyritę, ſalicis, fęcis vſtę, nitri, pumicis, ſingulorũ ratam portionẽ cape : itemq; parum ſinapi, & vuæ taminię, & gnidij grani : à balneo verò vtatur acopo huiuſmodi, quod habet nardini, amaracini, & comageni, ſingulorum minę quartam partem, cucumeris agreſtis radicis, & bryoniæ, vtriuſq; minę dimidiũ, canchryos, pyrethri, euphorbij, zinziberis, alcionij ſicci, coſti, ſingulorũ drach. quatuor, piperis longi, foliorum ſiccorum rhododaphnes, ſing. drach. duas, ſulphuris viui vnam, liquoris thapſię vnam : omnibus valde contritis vnguenta affunduntur, hoc diu perfricãdus homo eſt, ac nonnulli etiam languidi & ſoluti, hoc prędidio refecti ſunt.

Ad pallorem & liuores valet oleum, in quo bryonię radix diu ſit incocta: id quod etiam corpus rugarum expers efficit. Liuores autẽ tollit hoc, quod habet, ſalis lęuigati lib. 6. pulmonis hircini vſti drach. ſex, ſtruthij drach. octo, adhibe fouens decocto raphanorum, aut abſinthio.

Ex Ruffi commentarijs vnguentum valde efficax ad penem erigendum.

Myrrhę, ſulphuris, cnici interioris, ſingulorum drachma vna, melanthij drach. duę, pyrethri oboli duo, piperis nigri grana triginta, gnidij grana pura viginti contundito, & cum drachma vna ſcillę contrito: cumq; rectè fuerint trita, cerę parũ cum modico cicini olei atq; mellis eliquato, perfundito, & tento. Mellis autem & olei menſura ſit vtriuſq; hemina. Nonnulli etiam hoc vnguento anum illinunt. Poſt concubitũ verò locus eſt linteo diligenter abſtergendus.

Iſchiadicũ. Olei cyprini, axungiæ, olei veteris, ſingulorum vncia, cerę vnc. 6. ſulphuris viui drach. 15.

adarces

adarces drach. x. nitri drach. xii. piperis drach. xvi. pyrethri drach. x. rutę tenerę, origani, singul. drach. x v i. baccarum lauri drach. x i i. euphorbij tantundem. quæ liquari possunt, cùm siccis misceantur.

Ex hedera. Facit ad lassitudines, & omnem neruorum aut musculorum affectionē ex consensu ortam. Fœnigræci lib. i. baccas lauri numero c. cupressi pilulas nu. x x. herbę sabinæ lib. i. roris marini drach. i. olei veteris lib. i. ceræ lib. i. terebinthinæ vnc. v i. pineæ vnc. i. succi hederæ vnc. i i i i. aquæ sextarij i i i. herbę in aqua madescant triduū, deinde oleum infundito, & coque quātum satis est: tum dissolutis ijs quæ liquari possunt, addito, & succum hederę sta tim læuigato & refrigerato, eliquatisque in mortarium coniectis vtitor.

Ischiadicū vnguentum efficax. Euphorbij drach. v. piperis drachmæ v i. adarces drach. i i i. castorei drach. i. sampsuchi drac. i i. succi panacis drach. v i. struthij drach. i i i i. olei cyprini drach. i i i i. olei irini drach. i i i. olei sicini, laurini, singulorū drach. i i i. ceræ, œsypi, resinæ liquidæ, singulorum drach. duæ. confice.

Ischiadicum Antonij archiatri. Olei veteris sextarios v. pilulas cucumeris agrestis numero quinque, coque in oleo donec frigantur: ceræ vnc. sex, pyrethri vnc. i. sulphuris viui vnc. i i i. terebinthinæ vnc. v i. euphorbij vnc. i i. vuæ taminiæ vnc. i. cachryos vnc. i. thapsiæ vnc. i. dictamni vnc. i i. adarces vnc. i.

Metasyncriticum. Opopanacis, ammoniaci, terebinthinæ, castorei, œsypi, euphorbij, galbani, adarces, singulorum vnc. duæ: piperis albi, medullæ ceruinæ, singulorum vncia: laurini, styracini, vtriusque vnc. i i i i. irini vnc. v i. ceræ, olei veteris, amaraci-

ni, singulorum vncia. Opopanax in mortario læuigandus est donec strigmenti crassitudo fiat: cera verò & oleum liquanda sunt: deinde ammoniacũ contusum adhibendũ: tum reliqua eliquata, deinde olla ab igne sublata, arida injice, & in mortarium deposita simul omnia læuigabis, & recondes.

De pastillis, qui τροχίσκοι dicuntur.

Andronis pastillus. Atramenti sutorij, myrrhæ, malicorij, singulorum drachmæ duæ, thuris, aluminis sciscilis, singulorum drachmæ quatuor, aristolochiæ drach. v i i i. ex vino austero coactis, & aceto dissolutis vtere.

Musæ. Aluminis sciscilis, aloës, myrrhæ, singulorum drach. sex, croci, crocomagmatis, æris combusti, atramenti sutorij, capitulorum punici mali, singulorum drach. sex, vino mulso excipe.

Herę ad suggillata, lichenas, maculas, carnem excrescentem, fistulas, & alia permulta. Sinapios, æruginis rasæ, thuris masculi, aluminis sciscilis æquales portiones, aceti quod satis est.

Heræ, ad nomas omnes, & præsertim eas quæ in pudẽdis, & ore pascẽdo serpunt. Croci drach. octo, aluminis drach. c. myrrhę drach. octo, dissolue oxymelite, & linteo duplici madefacto vtitor.

Pastillus ex charta ad nomas. Chartæ combustæ drach. x x x i i. calcis, auripigmẽti, sandarachæ, singulorum vncia vna, succo plantaginis excipito.

Pastillus ad vitiligines, alphos, leucas, lepras, lichenasq;. Ellebori albi, piperis longi, cachryos, alcyonij, sulphuris viui, sandarachæ, calami aromatici, adarcæ, pares portiones tritæ, & cribratæ in aceto dissoluuntur, & pastilli fiunt: partes autem infectæ confricandæ sunt in balneo & vngendæ, ac deinde in sole diu continendæ.

Pastillus

Pastillus croceus cõstat ex myrrhę drach.1.castorei drach.x. croci drach.v 1. succi papaueris, seminis apij, hyssopi, styracis, singulorum drach.1.seminis hyosciami drachmis v 1. aqua excipe,& pastillos trium obolorum confice.

Pastillus ad lichenas.Chalciteos,misyos,sulphuris viui, atramenti sutorij, thuris,sing. drach.1111. ficus foliorum viridium vnc.v 1. vino excipe.

Pastillus ad tormina, & ad sanguinis screatum,& fluxum muliebrem.Succi hypocistidis,terræ samiæ, gallæ omphacitidis,acacię siccæ,singulorum drach. octo,excipe aqua pluuia.Ad tormina vtimur diluto succo orizæ,aut lentis,aut alio eiusmodi: in sanguinis verò screatu adhibetur huius medicamẽti drach. vna ex aquæ frigidæ cyatho. Ad fluxum muliebrem diluitur succo aliquo, aut thapsus lana imbuitur & succo solani,aut plantaginis,aut polygoni, aut alterius similis diluitur.

Pastillus Pasionis habet,squamę æris,drach.x 11. æris combusti, salis ammoniaci, aluminis rotundi, æruginis rasæ, thuris,singulorum drach.octo.æs,& alia in sole terito,posteriore loco thus:pastillos cõfice,cumq; vsus postulabit,aceto dissolue,& inunge.

Pastillus Podagricus Procli:hic podagrã, ischiada,& omnes penitus articulorũ dolores,omnesq; labores annuo spatio potui datus curat,omnesq; sensus magis vegetos reddit:placidè per vrinas purgat, & totũ corpus efficit valẽtius.Sanat etiã epilepsiam, tumoresq; duros iecinoris ac lienis tollit.habet autem,chamędryos vnc.9.cẽtaurij albi & fructũ ferentis vnc.8. aristolochiæ mõtanę vnc.7. gentianæ non contusæ vnc.sex, hyperici vnc.v. petroselini vnc. tres, phu tantundem, agarici vnc.1.mellis heminas duas. Contunde ac cribra singula per se, & misce,

ac cum melle emolli, & deinde contere, ac pastillos conficito drach. vnius. Vsus autē & eius potus esto ei qui bene cōcoxit circa horam tertiā ante cibum, postquam aluus deiecerit. Diluitur autem aquæ calidæ cyathis duob. isq; qui sumpsit, inambulet, aut gestetur. Initium verò sumendi huius medicamenti ne sit æstas, sed aliquo alio tempore initiū sumatur. Interuallum inter sumptum medicamentum & balneum, aut cibū, esto horarū trium. Ei verò qui non concoxit omnino cauendus est hic potus. Complea turq; anni dierum numerus, victusq; ratio ita instituatur, vt cibi boni succi, & facilis ad concoquendum sumantur, neq; ad satietatem cibus ingeratur. Atq; ego quidem eos, quos articulorū dolores exercent, vt brasica vescātur admoneo: crassos enim gigni humores vetat. Vinum mediocre bibendum est, & moderatè mixtum, cùm post cibum potui datur.

Ex electro pastillus facit ad sanguinem spuentes, tusses diutinas, tabidos, cruenta extusientes, cęliacos, dysentericos, & flatu plenos. Valet etiá ad aures. Psyllij mundi drach. x l. iridis Illyricę, ramento rum electri, croci, singulorum * lib. i. opij drach. xv. psyllium in aquam calidam coniectum macerari sinito. Cumq; viscosa ac glutinosa effecta sit aqua, liquorem è psyllio exprimito, ac medicamentum parato. Pastillos conficito, ac dato obolos tres dormitum euntibus. Aquæ verò sextarij tres sunto.

* Gale. drach. xxx.

Pastillus ex acacia faciens podagricis, articulorum doloribus, inflammationibus, & ijs omnibus vitijs, quæ pruritus affert, in principio adhibitus, habet acaciæ nigræ & flauæ vtriusque vnc. i i i i. collæ artificum pellucidæ (sed præstat capere collam piscium) vnc. i i i i. ammoniaci thymiamatis vnc. i i. aloës, glaucij, singulorum vnc. i i. thuris masculi, veratri

ratri albi & nigri vtriusq; vnc.1. coacta aceto scillino in pastillos redige, cùm vsus postulat, eodem aceto dilue, & illine, finitoq; siccari, & in balneum mittito, cùm exierit, dato.

Pastillus ad hemicraniā. Seminis nasturtij drach. quatuor, foliorum rutæ viridium drach.1111. opij drach.quatuor, ex aceto confice.

Siccum medicamentum ad cicatricem inducendam, quod facit etiam ad vlcera maligna, & nomas. Corticis pini drach.sex, cornu ceruini vsti drach. quatuor, æruginis rasæ drach.vna.tritis vtere.

Aliud ad cicatricem inducendā. Ostreorum combustorū drach.11.mannę drach.1.cadmię obol.quatuor.læuigatis vtitor & ad nomas etiam adhibeto.

Cephalicum ad caput accómodatum, aufert squamas, educit ossa, eaq; digerit, & cauas partes carne implet. Iridis drach.1111. panacis drach.1111. aristolochię drach.duæ, thuris drach.duæ, mannæ tantundem. omnia conterito & cribrato, vtitor vel per se, vel ex melle.

Aliud crustas inducens, & vellicans, & abscindens cataplasmatis modo adhibitū, specilloq; ignito contritum. Valet etiam ad excrescentia comprimēda. Chalciteos crudæ drach.octo, cadmię drach. quatuor, aceto acerrimo excipiuntur, siccantur & læuigantur.

Putrefaciens absque dolore. Auripigmenti, chalciteos, sandarachæ, singulorum drach.quatuor, calcis drach.octo.

Rhodiacum ad carnem supercrescentem continendā. Gallæ immaturæ drach.nouem, squamæ æris drach.quinque, atramenti sutorij drach.tres, aluminis scisilis drach.quatuor. gallas ad dimidias adurito, & vino extinguito.

Ex charta. Chartæ cõbuſtæ vnc. ſex, auripigmenti, ſandarachæ, calcis, ſingulorũ vncia & drach. quatuor. Si paſtillos velis conficere, ſucco plantaginis, aut vino auſtero excipito.

Ad nomas. Chalciteos, miſyos, ſquamę, gallarum pares portiones.

Adurens ſine mordicatione ſtatim alterans. Calcis viuæ vnc. vna, fęcis vini drach. vna, nitri vnciam mediã aceto læuiga, coque in ſtillatitia ficulnea donec bis aut ter ferueat. Antequã verò coquatur, habeat paſsi craſsitudinẽ. Si verò ad emplaſtri formam velis redigere, excipe viſco, quod ad vaporem aquæ dulcis calidæ ſit ſolutum.

Anthera ex Philumeni ſcriptis ad vlcera oris. Sandarachæ, iridis, ſingulorum drach. quatuor, cyperi drach. octo, myrrhæ, croci, aluminis ſciſsilis, ſingulorum drach. vna, florum roſarum drach. vna.

De collyrijs.

Libyanum collyrium habet ſtimmeos vſti & loti drach. duodecim, cadmiæ combuſtæ & lotæ tantundem, ceruſſæ cõbuſtæ & lotæ drach. ſexdecim, amyli tantundem, ſpodij drach. octo, aſteris ſamij drach. octo, plumbi vſti & loti tantundem, myrrhæ tantundem, opij toſti drach. octo, gummi drach. vnam, alba ouorum recens natorum viginti, & aquam pluuiam ad excipiendum.

Pſilothrum Apollinaris. Ceruſſæ drach. viginti quatuor, cadmiæ drach. octo, æris combuſti drach. duodecim, myrrhæ drach. vndecim, aloës drach. octo, croci tantundem, acaciæ drach. quatuor, tragacanthæ drach. vndecim, amyli drach. ſex, opij drach. xii. gummi drach. x. aquæ pluuiæ quantum ſatis eſt.

Cnicus flauus Baſsi, ad deſtillationes, doloris vexationes, exulcerationesq;, ouo aut aqua dilutus.

Cadmiæ

Cadmiæ vstæ & lotę drachmę x x x i i. ceruſſæ lotæ drach. x v i. ſpodij tantundē, opij toſti drach. v i i i. acaciæ ſuluæ, amyli, gummi, tragacāthę, ſing. drach. quatuor, aquæ pluuialis quantum ſatis ſit.

Ex erica: habet ericæ ſeminis, myrrhæ, opij, ſingulorum drach. x x x v i i i. atramenti ſutorij combuſti drach. i. gummi drach. v i. acaciæ drach. v i. cadmiæ tantundem, aquæ pluuiæ quantum ſatis eſt.

Vranium collyriū ad vlcera, puſtulas, ruptiones, inuſtiones, prolapſus, ſtaphylomata, ſuggillata, corroſiones, nomas, carbunculos, & omnes magnas affectiones: præſertim verò ad ruborem & glaucedinem oculorum valens. In principijs magis dilutum infunditur: cùm autem fluxio tenuis, mordax, & feruida fuerit, cum lacte vtitor: cùm verò repurgare, ac craſſam fluxionem uelis diſſoluere, cum aqua. Terrę ſamiæ vſtæ & lotę vnc. tres, ſpodij loti vnc. vna, cadmiæ lotæ vnc. duæ, ſtibij loti vnc. duæ, ſquamæ æris lotæ vnc. quatuor, opij drach. ſex, gummi vnc. quatuor. confice ex aqua pluuia.

Collyrium achariſton, facit ad maximas humorum fluxiones, & præcipuè in agreſtiū corporibus. Cadmię drach. ſex, acaciæ drach. octo, æris vſti & loti tantundē, opij drach. quatuor, ſeminis ericæ tantundem, myrrhæ drach. quatuor, gummi drach. ſex, aqua excipito. Vſus eſt cum lacte muliebri. temperatura ſit media. Cùm verò non fluxio, ſed affectio circa oculos ſit, ab hoc collyrio abſtinebimus.

Collyrium ex thure ad fluxiones, & chemoſes, habet cadmiæ vſtæ & lotæ drach. octo, thuris drach. octo, ceruſſæ lotæ drach. x l. opij drach. ſex. aqua itidem excipito.

Collyriū cygnus, ad vlcera oīs generis, fluxiones, doloris vexationes, oculos ſuggillatos, habet ſpodij

loti drach. quatuor, terræ ſamiæ, amyli, acaciæ, opij, ſingulorũ drach. quatuor, tragacanthę drach. vnam, excipe aqua pluuia. vſus eſt ex ouo.

Libyanum collyrium ad puſtulas, inuſtiones, ruptiones, calomata, ſuggillata, chemoſes, ſtaphyloma ta, magnos dolores & affectiones oculorum: cicatrices etiam tollit. Habet autem cadmiæ vſtæ & lotæ, drach. ſexdecim, ceruſſæ drach. tres, myrrhæ drach. duodecim, ſtibij vſti & loti drach. duodecim, bdellij vſti & loti drach. duodecim, aquę verò quantum ſatis ſit, & ad excipiendum alba ouorum x x. In alio exemplari additum erat, opij drach. vndecim.

Collyriũ ex cornu ceruino ad vlcera, puſtulasq; ac cicatrices exterit. Cornu ceruini vſti drach. quatuor, thuris tantundẽ, plumbi vſti & loti drach. duę, opij drach. vna, gummi drach. duæ, aqua pluuia excipiantur.

Collyrium Nilium Demoſthenis ex roſis. Roſarum tenerarum drach. quatuor, croci drach. duæ, papaueris obolus, nardi obolus, gummi drach. II. aqua excipiũtur. Valet hoc ad chemoſes & prolapſus oculorum, & puſtulas, & vlcera etiam ſordida, ad vehementes dolores, & aſperitates palpebrarum.

Madicũ collyrium habet glaucij drach. quatuor, ſarcocollæ tantundem, croci drach. vnam, tragacanthæ tantundem. Cætera in aqua læuigato ita, vt rectè madefacta ſint, & cum tragacantha conterito, & emolliens vtere. Sępe autem ſubungens hoc ſpiſſiore vtitor.

Spodiacum faciens ad inflammationes & defluxus, habet thuris, ſtibij, ſingulorũ drach. c. cadmiæ, ceruſſæ, ſingulorum drach. vigintiquatuor: terræ ſamę, aſteris, ſingulorum drach. tres: papaueris drach. tres, gummi drach. x v. ſubige cum ſucco foliorum oliuæ.

oliuæ. Quem quidem ſuccum ita conficies: Oliuæ folia quæ magis tenera ſint, abluta in mortario contundito, aquæ modicum affundens, exprimitoq́;, ac puro linteo excolato.

Nardinum collyriũ habet cadmiæ drach. xviii. æris combuſti drach. ſex, ſtibij drach. x x. nardi Syriaci drach. quatuor, acaciæ drach. x. gummi drach. x x. croci drach. vnam. ex aqua pluuia ſubigito.

Collyria quędam ſunt quę non condenſant craſſosq́; humores reddunt, ſed diffundunt atq; diſcutiunt: quale eſt aromaticum & chiacum. Aromaticum autem componitur ad hunc modum. Pompholygis drach. tres, ęris vſti drach. duę, myrrhæ drach. tres, vino Chio aut Phalerno exceptis vtere.

Chiacum ita conficitur. Spodij drach. tres, æris combuſti drach. tres, croci drach. i. myrrhæ drach. iiii. meconij tantundem, piperis albi grana octo, gummi drach. vna, cõfice ex vino Chio marina non permiſto, aut aminæo.

Siccum ad oculorũ angulos ſcabioſos, habet chalcitidis drach. octo, cadmiæ drach. quinque. trita in vas fictile ponuntur, & vaſculũ opertum in acetum temperatum conijcitur, vt exterius quidem madefiat, interius verò nihil humoris cõfluat: ita ſeptem dies dimittito, deinde exiccato.

Collyriũ diacenteton. Cadmiæ drach. quatuor, æruginis drach. vna, miſyos toſti obol. tres, piperis toſti drach. tres, gummi drach. i. Facit ad viſus hebetudines, ad incipientes ſuffuſiones, attenuatq́;. eſto autem calidum.

Eraſiſtrati πάνχρηστος, id eſt, omnino vtilis, liquida compoſitio atq; admirabilis, faciens ad oculorũ inflammationes, ad ophthalmias incipientes, & ad palpebras male affectas, & ferme ad omnem ophthal-

miam. Ea etiam vſus eſt ad pudenda cótuſa, & aures purulentas, ad tonſillas, ad vuam, & ad reliqua vlcera corporis, quæ alioqui non ſaneſcunt, & ad nigrores, qui in vlceribus ſunt, & ad morbos in naribus orientes, & quib. etiam os infeſtatur. Habet autem æris combuſti drach. duas, myrrhę drach. vnam, miſyos toſti drach. vnam, piperis obolos * duodecim, croci obol. tres. Vino Chio læuigentur donec medicamentum miſceatur: deinde miſcetur paſsi hemina, & iterum conteruntur, tum in æreum vas conjecta lento igni coquuntur quouſq; medicamentũ ad viſci formam redigatur. Poſtremò in æneam pyxida reijcitur, & ita ad vſus antè dictos adſeruatur.

* Aliter II.

Collyrium ad pura & impura vlcera, & depaſcentia, atque ad eminentias, itemq; ad veteres affectiones, & aſperitates palpebrarum, & ſycoſes, & inuerſiones palpebrarum, ad clauos, ad ſtaphylomata, omnem defluxum, & graues dolores, & ſcabiem palpebrarum, accommodatum. Facit ad recentia & craſſa mala, ad carbunculos, ad puris collectionem: ipſum enim pus cóſumit: &, vno verbo, ad omnia vitia oculorum valet. Spodij drachmę tres, atramenti ſutorij drach. duę, croci drach. vna, myrrhę oboli quatuor, meconij tantundem, piperis albi grana duodecim, gummi drach. 1. vini Chij auſteri quantum ſatis eſt.

Aliud ad pura vlcera, quæ carne implenda, & ad cicatricem perducenda ſunt. Cleonis autem collyrium appellatur, quo etiam nos vtimur, & vehementer laudamur: nam & vlcera profundiſsima replet cerrimè, & tenuibus, & oculorum obtutum penè fugientibus cicatricibus relictis ad cicatricem perducit, vlceraq; abſq; inflammatione conſeruat. Habet ſpodij drach. vnam, bdellij cóbuſti cum ſulphure viuo & loto drach. quatuor, ſquamę lotæ obolos tres,

gummi

gummi drach. duas, aqua læuigans & cogens, vtere cum lacte aut albo oui.

Dionis collyriũ habet, ſpodij drach. quatuor, cor ticis thuris obolum, myrrhæ tantundem, ſquamæ æris, acaciæ, nardi Indici, meconij toſti, ſingulorum obolum, gummi drach. quatuor. excipe aqua pluuia tili, & vtere ex ouo.

Collyrium, quod πεπεισμένον dicitur, præſtantiſsimum eſt ad cicatrices, ad carnem excreſcentẽ, & ad aſperitates palpebrarũ purgandas, ad earum inuerſiones, lithiaſes, chalazia, & ſcirrhoſas affectiones, ad vngues oculorum, ad encanthides, ſcabiem palpebrarum, & membranarum craſsitiem, & ad multos craſſoſq; defluxus tollendos, & ad aquoſas copioſasq; fluxiones cohibendas: nam & abſumit, & perpurgat tutò, attenuat & conſumit vehementer mordens, oculum clarum cõſeruat, ad aſpectum iucundiſsimum & blandiſsimum. Habet hoc, æris & combuſti & loti obol. quatuor, croci drach. 1. myrrhæ obol. tres, vini Chij quantum eſt ſatis. Si verò ſpodij drach. quatuor adijcias, erit ad omnẽ fluxionem, omnemq; lippitudinem accõmodatiſsimum.

Collyrium ad carbunculos aptum, quod ἀνθρακῖτον nominatur. Spodij loti drach. 1 1 1. meconij drach. 1. ſucci ex hyoſciamo expreſsi drach. 1. acaciæ tãtun dem, nardi obol. 1 1. æris rubri obol. 1 1. fuliginis thu ris obol. 1111. gũmi drach. v1. ſucci è cicuta expreſsi drach. 1. Eſt etiam perutile ad carbones hoc, quod habet opij, acaciæ, hyoſciami, aut miſyos, ſeminis myricæ pares portiones: contere, vino craſſo dilue, & carbũculos oculorũ, atq; alias etiã partes inunge.

Collyrium ad tabem: ammoniaci drach. 1. crocomagmatis drach. quatuor, croci drach. 1 1. æruginis drach. 1. aqua excipiantur.

Collyriũ ad ſuffuſiones. Fœniculi viridis ſuccum cum melle miſce pari portione, ac ſimul coque donec mellis habeat conſiſtentiam: hoc autem vngues etiam oculorũ tollit. Nos verò ſubſequẽti collyrio præcipuè vtimur, quòd in pleriſque id effecit quod opus erat. Habet caucalidis ſucci, chamædryos, ceronopidos, ſingulorum pares portiones: contere, ac collyria confice. Quandoque autem othonis ſucci partem vnam miſcui, quam ſanè othonem aliqui magnum chelidonium vocant, vt Dioſcorides author eſt. Paruum autem Chelidoniũ, quod etiam agreſte triticum nominant, vitandũ eſt, quippe quod acres vires habet, & cutim exulcerat, vt etiam Galenus memorauit. mitius autem eſt primũ ad ſuffuſiones.

Archigenis ad oculorum claritatem maximè valens. Aſelli piſcis pinguedinẽ, quæ in ventre eſt, cape pondo vnc. tres, ſcamoneæ vnciam mediam, his æquigatis cedriæ vncia vna admiſcetur. Vngẽdus eſt locus aut in balneo, aut in ſole, fomenti loco.

Demoſthenis collyrium ad veteres affectiones. Lycij drach. tres, æris cõbuſti drach. vndecim, cadmiæ drach. duodecim, opij drach. ſex, croci drach. duodecim, acaciæ tantundem: aqua excipe.

Cleonis gluten fluxionem cohibens: terræ ſamiæ pars vna, myrrhæ pars vna, mannæ pars vna: excipe albo oui, deinde linteo impoſitum, temporibus & fronti applica.

Siccum palpebras pulchras faciens, pueris maximè accommodatum: ſtibij drach. ſexdecim, plumbi vſti drach. octo, ſquamę æris, cròci, florum roſarum, myrrhæ, nardi Indici, thuris maſculi, piperis albi, ſingulorum drach. 1. palmularũ nuclei numero x x x. omnia in vas fictile conijcito, diligenter torrefacito, inde in mortarium reijce, ac contere, & opobalſami

sami cochlearia duo adde, & simul contritis & arefactis vtere.

Aridum ad aridam lippitudinem, sycosin, putredines, & carnes excrescentes, habet, cadmiæ drach. 1. chalcitidis drach. octo, piperis grana xv. nardi celtici drach. 1. cadmiam & chalcitida ex vino contunde, cumq; mista fuerint, nardū & piper adde, & ombus in puluerem redactis vtitor.

Liquida cōpositio ad sycosas eruptiones, & omnes carnis exuperātias, & ad encanthidas, habet misyos tosti drach. sex, atramenti sutorij drach. quatuor, mellis attici cyathos x.

Alia ad callos, & omnem eminentiam: æris combusti, misyos combusti, myrrhæ, croci, vuæ acerbæ, singulorū drach. 1. vini Chij cyathi octo, mellis attici vncia vna.

Collyrium ad visus claritatem & glaucedinem: fellis perdicis pars vna, mellis attici partes tres, succi centaurij pars vna.

Ad oculorū cicatrices, fel leporis cum melle contere, & inunge.

Gluten ad pilos: ceræ, picis, glutinis quo lapides inter se componuntur, singulorum drachma: simul eliquata reponito, vsus tēpore specilli acumine medicamentum cape, & eo dissoluto pilos agglutina.

Ad crithas, & chalazia, sagapenū cum aceto contere, & vtere.

Ad ægilopas, thuris drach. octo, myrrhæ tantundem, ladani drach. quatuor, ceræ drach. octo, aluminis scisilis drach. quatuor, nitri spumæ tantundem, coaguli leporis drach. quatuor, contunduntur omnia, & cum irini vnguenti sedimento molliuntur.

Cataplasma ad vehementes oculorū dolores, habet rosarum siccarum drach. quatuor, opij drach. 1.

croci tantundē. dulci decocto meliloti excipiūtur.

Vnguentum ad vehementes dolores: aloēs, lycij, roſarum viridium, croci, opij, myrrhæ, ſingulorum pares portiones, vino coactas in piſtillos coge, in vmbra exicca, cùm vſus poſtularit, paſſo dilue, oculos, frontem, tempora perunge.

Diarhodon Diagoræ, quod Magnum appellatur. Valet hoc ad dolores vehementes, phlyctænas, aduſtiones, prolapſus, & ſuggillata in oculis, & item ad defluxus, veteres lippitudines, & affectiones curatu difficiles. Cōtinet autem roſarū virentiū reſectis vnguibus drach. L x x i i. cadmiæ drach. x x i i i i. croci drach. ſex, opij drach. tres, ſtibij drach. i i. ſquamę æris drach. ii. nardi Indici drach. i. myrrhę vnc. iii. gummi drach. x x i i i. excipe aqua pluuia.

Croceum, quod Puerile inſcribitur, ad magnas fluxiones, vehementesq; dolores, & ad eas affectiones, quæ ex plagis oriuntur, valens. Cineris pōpholygis drach. 16. croci drach. 15. tragacanthæ drach. 8. aqua pluuia excipe, & ad medicamentum conficiendum alba ouorum numero quatuor adhibeto.

Aſclepiadæ pacianum valens ad doloris vexationes, tenuem multumq; defluxū, feruorem, puſtulas, membranarū eminentias, aſpritudines, affectiones diuturnas, & eos qui multis læſi ſunt illitionib. hoc confeſtim adiuuat. Habet verò cadmiæ, æris, croci, ſquamæ æris, ſingulorū drach. x i i. myrrhæ, lapidis hæmatitæ, roſarū ſiccarum, nardi Indici, opij, ſingulorū drach. tres, piperis albi grana ſexdecim, gummi drach. i x. vini Chij quantū eſt ſatis. vſus ex ouo eſt.

Ad caliginem oculorū. Singulis diebus in oculos imponendū eſt medicamentum, quod ita cōficitur:

* Fœniculum viride diebus & menſibus in uas fictile conijciendum eſt, & foris pice vas oblinēdum, aqua pluuia

pluuia infundenda, fœniculũ deinde eximẽdum, & eo quod reliquum fuerit, vtendum.

Smegmata & Dropaces.

Smegma, quod Aſclepius dicitur. Salis cõmunis, ſalis ammoniaci, ſalis cappadocici, toſtorum, pr[illegible]cis, aphronitri albi, baccarũ lauri ſiccarum, ſingulorum drach. 1. veratri albi, ſtruthij, vuæ taminiæ, ſinapis alexandrini, ſulphuris viui, pyrethri, fœcis, floris iunci odorati, cyperi, ſingulorũ vnc. v 1. ſampſuchi, aluminis ſciſsilis, gallarũ, gummi, thuris, alcyonij, piperis, cachryos, radicis cucumeris agreſtis, chamæleontis, iridis, marrubij ſicci, ſingulorum vnc. 1. vel vnc. 1 1 1. contundito, per cribrũ traijcito, & vtitor.

Smegma caput exiccans, habet cimolię drach. 11. nitri, bryoniæ, ſicci corticis radicis cucumeris ſylueſtris, cumini, farinæ lupinorum, ſingulorũ drach. mediam, trita componito, & in balneo vtitor: auxiliatur vehementer.

Sapo repellendi vim habens. Balauſtiorum vnc. 1. aloës, gallarum, aluminis, thuris, foliorum roſarum, malicorij, vtriuſq; tunicarum, ſingulorum vnc. 1. ſarcocollæ vnc. 1. gallici ſaponis vnc. ſex, decocti lupinorum amarorum quantum ſatis eſt. Quidam addunt myrrhæ & citrinorum vtriuſque vnciam.

Dropax Gallus. Colophoniæ quæ thus redolet lib. 1 1 1 1. pineæ lib. 1 1 1 1. & eius quæ lignoſa dicitur, & in Italia ſolùm naſcitur, lib. 1 1 1 1. reſinæ à nauibus deraſę, quę ἀπόχυμα nominatur, picis ſiccę, ceræ, ſingulorum lib. 1 1 1 1. frixæ vnc. x v. picis brutiæ lib. 1 1. bituminis, galbani, adarces, pyrethri, ſingulorum vnc. v 1. opopanacis, euphorbij, veratri albi, piperis, ſingulorũ vnc. 1 1 1 1. ſulphuris viui vnc. 1 1 1. caſtorij, ammoniaci, vuæ taminiæ, ſingulorum vnc. 11. olei ſicyonij lib. 1. opobalſami vnc. ſex.

Alius simplex. Ceræ lib.1. brutiæ, pineæ, singulorum lib.1. frixæ lib.1. vnc. tres.

Psilothrum. Oryzam, farinam fabarum, ptisanam aqua coquito, horum succo pro aqua vsus misce auripigmenti vnciam, calcis viuæ libram, pumicis tosti semissem, opobalsami cochlearia duo.

Ad corrugationem ex Rufi commentarijs smegma, quod continuò corpori rugoso adhibetur: extenditur hoc cum ficubus pinguib. Bryonia conteritur, & farina erui, itemq; sepiæ testa combusta, melle paulatim instillato excipiuntur.

Al. habet mediam choam.

Smegma splendorem afferens, & situm auferens, habet farinæ fabarum choas * duas, fœniculi in ptisana cocti, & postea in oxymellite loti, deinde cõtusi choas duas, saponis gallici lib.11. misce saponem cum cæteris, subigens manibus, & in balneo vtitor.

Stomaticũ Philagrij ad oris corrosiones: fructus lentisci nondum nigrescentis, drach. x x 1111. gallarum drach. 1111. costi drach.1. folij drach.1.

Anthera, id est, floridum smegma, ad oris vlcera. Sandarachæ, iridis, singulorum drach. quatuor, cyperi vnc. octo, croci, myrrhę, aluminis sciscilis, singulorum drach.11. florum rosarum drach.1. misce.

Smegma odoratũ ad dentes, vt & albi sint, & ne corrodantur: nitri, sepiæ testæ, myrrhæ, singulorum vncia vna, tritis vtitor.

Diamoron, vt Galenus tradidit, habet mellis libram vnam, succi mororum heminas quinq;, croci drachmam, myrrhæ drachmã, & dimidium alterius, omphacij drachmam, vini austeri heminas quinq;: si omphacium desit, in eius loco rhois succum pone. Succus per se ipse coquendus est, donec sordium habeat spissitudinẽ, deinde sic mel adijciendũ: cumq; lebetẽ ab igne sublaturus eris, omnia agitato, vt in vnum

vnum probè componantur. Ac coctura quidem & symmetria huius medicamenti, quod facultate medium est, moderatis inflammationibus congrua est, & in maiorum etiam inflammationum statu, itemq; in principijs & incrementis conuenit. Cæterum ad induratas inflammationes, cùm iam status cessat, nihilq; præterea fluit, venit autem tempus in quo discutiendum est, aliquid eorum quæ discutiendi vim habent, stomatico medicamento admiscendum est: sufficit autem ad prædictã medij medicamenti com mensurationem nitri semissem, thuris verò vncias duas adiungere.

Diabesasa, hoc est, ex ruta syluestri medicamentum stomaticũ, quod inungitur, celebre ad anginas desperatas. Seminis anisi, floris iunci odorati, alumi nis sciſsilis, iridis, rutę syluestris, quam nõnulli harmala appellant, cinnamomi, myrrhæ troglodytidis, aristolochiæ longæ, casiæ, crocomagmatis, rosarum siccarum, singularum vnc. 1. hederę, pullorum hirundinis cineris recentis, sing. vnc. tres, croci vnc. 1. nardi Indici, amomi, sing. vnc. dimidiũ, gallas tres: leuigatis ex melle vtitor, & vbi vtendũ est, melle diluito.

Cancri fluuiatiles in hemina aquæ frigidę contusi & contriti gargarisma faciunt ad anginam præstantisimum: crassorum enim eductio anginas statim lenit.

Ad anginam. Stercus caninum album cape, exicca, læuiga, cribra, & paratum habe: cùm vsus postulabit, melle dilue, & inunge. Hoc medicamento nullum melius cognoui, neq; in anginæ, neq; in tonsillarum magna inflammatione, neq; in glandulis, quę suffocationis periculum minantur. Cùm verò canes ossibus vescuntur, eorum stercus candidum est, atque optimum.

Ad columellam laxatam. Mellis lib.1 1. aluminis liquidi lib.1. florum rosarum tantundē, succi hypocistidos vnc.v. coque alumē cum melle, deinde sicca conijce, & ita vtere: coque autem modicè. Hoc enim medicamentum bonum est, tribusq; modis eo est vtendū. Vnus modus est, & præsertim in principio, vt medicamentū aqua calida dissoluatur, vel ex aqua mulsa succus medicamēti exprimatur: id enim & dolorem sedat, & quantum opus est, proficit. Interea verò dum hoc ita vtimur, conuenit etiam puro medicamento vti, idq; tum digitis inungendo, tum verò cochleari cōtingendo, & cōprimendo, & colu mellam foras trahendo: cōfert enim vel maximè ad linguam ipsam vergere, & à rectitudine deflectere.

Aliud. Lina multa, & præsertim quę à marina pura sumuntur, in viperæ collum conijce, ijsq; vipe ram suffoca: deinde vnumquodq; linum collo appli cabis. mirum est, quantum tonsillas, cęteraq; quæ in collo vitia sunt, adiuuent.

Galenus hoc medicamentū ad dentes conseruan dos commendat, quod habet cornu ceruini, & vsti, & loti partē vnam, mastiches Chiæ partem mediam, cyperi parem portionem. his diligenter contusis, & cribratis vtitor.

Ad dentes tremētes. Alumen rotundum cum altero tanto salis dentibus adhibe: aut vlmi corticem ex vino decoctū admoue. Gallam omphacitida læuigatam excipe terebinthina, hyssopo, aut melle: & inunge.

Ad stuporem autem dentium arcendū, pinguedine aliqua expurgata bubula, vel anserina subunge.

Philagrij ad oris erosiones. Lentisci fructus nondum nigrescentis, gallarum, singulorum drach. quatuor: costi, solij, vtriusque drach. vna.

De an-

De antidotis.

Antidotum ad colicos. Lupinum ſtercus quidam colicis potui dedit, non tamen in acceſsionibus, ſed reliquo tempore: ex quo eſt effectum, vt qui ſine inflammatione hoc morbo laborarent, eorum aliqui morbo capti amplius non fuerint, neque etiam vehementes dolores ſint paſsi, neq; breui pòſt tempore ijſdem correpti. Accepit is candidiſsimum ſtercus, quale eſt eorum qui oſſa comedunt. Qua in re mirari ſoleo, quòd ſæpenumero ex ſolo contactu, magno quibuſdā fuit adiumento. Stercus verò ſumendum eſt, quod in terram non cecidit: id quod facilè comperies. Eſt enim huic animali perinde atq; cani, natura comparatum, vt altero ex poſterioribus cruribus elato, & veſicam & aluum exoneret edito ſupra terram loco. Porrò in hiſce ſtercoribus oſsium quoq; particulæ inueniuntur: quæ ipſa itidem contundenda, conterendaq; ſunt, & colicis in potu propinā da. In ijs verò quæ puriora ſunt, alius quidā piper commiſcuit, & ex vino puro tenui, & quandoq; ex aqua bibendum dedit. Quod autem lumbis imponitur, habere condimentum debet, præcipuè verò excretum à lupo, qui bouem, aut ouem comederit. Si id non ſuppetat, corio ceruino ad excipiendū vtemur.

Philonis antidotum ad colicos, dolorem ſedans, conſtat ex his. Croci drach. v. pyrethri drach. quatuor, euphorbij drach. i. ſpicæ nardi drach. i. piperis drach. i. hyoſcyami drach. x x. opij drach. x. eſtq; hoc medicamentum percelebre.

Trigonos, reſiccans & dolorem leuans, habet: ſeminis hyoſcyami drach. i i i i. aniſi drach. i i. opij drach. i. cum aqua paſtillos efficito, & mane vnum, & veſperi alterum ex aqua frigida propinato.

Catapotiū Dioſcoridę ad exuſtos. Cucumeris ſa-

tiui seminis drach. octo, tragacãthæ drach. quatuor: dilue tragacantham ex albo oui crudi & recentis: cumq; ea fuerit dissoluta, cõterens diligenter & miscens, catapotia conficito, & in vmbra exiccato, datoq; vnum sub lingua tenendum, vt humor qui inde emanat, deglutiatur.

Ad quartanarios Galeni. Liquoris Cyrenaici, piperis, myrrhæ, rutæ foliorum, singulorum drach. 1. tritis & mixtis vtitor. Ante accessionẽ obolos duos tantùm in oxymelite dato.

Ad eos qui à cane rabioso morsi sunt, Galeni. Fluuiatilium cancrorũ cinis ad rabiosi canis morsus mirabiliter valet, isq; & solus, & cum gentiana atque thure. Esto autem thuris vna pars, gentianæ quinq;, cancrorum decem. Comburendi suut cancri ita, vt in patella æris rubri positi vsque eò comburantur, donec in cinerem redacti, facilè læuigentur. Commodum est hoc facere post Canis exortum, cùm Sol in Leone est: Luna autem est decimaoctaua. Bibant qui à rabido cane morsi sunt hoc medicamentũ quotidie ad quadrageſimũ vsq; diem, mensura cochlearij magni aqua inspersum. Si verò non protinus ab initio, sed aliquot post dies curam huiusce demorsi susciplas, quotidie duo cochlearia inspergas. Ad ipsum autem vulnus medicamento quod ex brutia pice conficitur, vtêris. Habet verò, picis libram vnam, acerrimi aceti sextarium vnum Italicum, opopanacis denique tres vncias. His Aeschrion vsus est, nec quisquam vnquam est mortuus.

Galeni, ad eos qui ab esu fungorum strangulantur. Valde prodest ab esu fungorũ suffocatis aphronitrum, & nitrum, similiterq; stercus gallinaceum. Atque ipse quoq; vsus sum eo ex tribus aut quatuor oxycrati, & oxymelitis cyathis lęuigato: nam & per

spicuè

ſpicuè, & celeriter profuit. Qui enim fuerant ſtrangulati, paulò pòſt ſuccũ pituitoſum craſsiſsimumq́; euomuerunt, ex quo planè ab eo caſu ſunt liberati. Iam verò calaminthæ etiam ſuccus, aut eius decoctum, potui datum ſanat.

Ad comitiales medicamẽtum ex ſcilla. Cape vas melleum, à quo mel ſit extractum, ſcillam in tenues partes manibus diſcerptam in id conijce, vas operculo firmo obtura, & extrinſecus totum os vaſculi pelle circundans diligenter liga, idq́; in loco aliquo conſtitue, qui meridiem ſpectet, quiq́; à Borealibus ventis ſit remotus, vt ab illis nulla ex parte perfletur. Ego verò id facere conſueui quadraginta caniculæ diebus: in quibus quidem diebus paulatim vaſculum ad ſolem cõuerto, vt ex omni parte æquè incaleſcat: tranſactis quadraginta diebus vas aperio, corpusq́; ſcillæ elixato ſimile comperio, ſuccum verò ex ea fluxiſſe, quem collectum optimo melle iucundũ facio, eiusq́; do quotidie cochlear vnum plenum, ac pueris quidẽ paruũ, adultis verò magnum. Quinetiam ſcillæ ipſius partium contuſarum, & ex melle læuigatarũ do cochlear vnum. Sed hoc quantum ad efficaciam pertinet, ſecundum à primo medicamento locum tenet.

Paſtillus ad vocem firmandã. Sinapi toſti & contuſi, & tenuiſsimo cribro cribrati partes tres, piperis tenuiſsimi pars vna: melle incocto excipiuntur, & paſtilli vnius oboli effinguntur, quorum vnus comedendus eſt: nam & morſum & feruorem non exiguum excitabit, & arteriam etiam lenem efficiet.

Alius, cuius ſub lingua tenetur quod fabæ magnitudinem impleat, vt liquor inde emanans paulatim deglutiatur. Hoc arteriam valde lenit, & ei vim addit. Eius hæc eſt cõpoſitio. Dulcis radicis drach. 11.

caſiæ drach.quatuor, croci,myrrhæ,folij,nardi celtici, thuris, ſucci hypociſtidis, lycij, gummi,ſingulorum drach.11. partim contunduntur, partim teruntur, & omnia melle attico, cui terebinthina ſit admiſta,in vnum commiſcentur.

Medicamentum δι' ὀπώρων, hoc eſt, ex fructibus pomaceis confectum ad dyſentericos, & cœliacos accommodatum. Mala punica integra xx. mala cotonea x. roſarum ſiccarum ſextar.1. prunorum agreſtium ſextar.11.ſorborum maturorum ſextar.11.pira Tarentina xx. poma Scandiana xxx. rhu ſyriaci ſextar.111.muſti aminæi cocti tertia coctione ſextar.XLVIII. coque ſimul, donec mellis habeant ſpiſsitudinem,& in teſtaceum vas repone.

Antidotum Quinti,doloré leuans.Styracis,opij, aſari, ſeminis hyoſcyami, caſtorij pares portiones. melle excipito.

Dioſpoliticũ aliàs ex paribus omnibus, cumino, pipere longo vel albo,ruta,& nitro conficitur:itaq; magis ventrem ſoluit. Aliàs verò cùm cætera paria ſunt omnia,nitri dimidiũ ponitur. Cuminũ autẽ in aceto acerrimo maceretur,deinde cõtinuò contundatur,aut etiã prius modicè frigatur:rutę quoq; folia ſunto modicè ſiccata. Quatuor his aliquãdo mel ſubactũ & deſpumatũ admiſcetur, quandoq; nihil: ſed ſola ſine melle reponuntur, ac ptiſanæ cremori, aut alijs eſculentis,quibus conuenire videatur,inijciuntur.

Διὰ τριῶν πιπέρεων, quod ex tribus piperis generibus ſimplex cõficitur,hoc modo paratur. Ad cuiuſque trium piperum drach.L. ſatis eſt addere aniſi,& thymi,& zinziberis,ſingulorum drachmas octo.

Ex calamintha medicamentũ habet:calaminthæ, pulegij,petroſelini, ſeſeleos, ſing.drach.octo,ſemi-

nis

nis apij drach.quatuor, cacuminum thymi tantundem, libystici drach.x v i. piperis drach.x l v i i i. mel optimum & despumatum.

Ex succo cydoniorum medicamentum componi tur ad hunc modũ.Succi malorũ cotoneorum sexta rios binos capimus : his mellis quamoptimi tantun dẽ miscemus,acetiq; sextariũ addimus: hæcq; prius coquimus mediocriter ad ignitos carbones, & spuma abiecta zinziber admiscemus: & iterũ ad carbones igne cãdentes ad mellis spissitudinẽ coquimus.

Antidotum Zenophili ad vesicam vlceratã, ad renes,& lapides frangens,à Deo donatum.Casiæ fistulæ vnc.i.saxifragi vnc.i.betonicæ, cyperi,petroseli ni,costi,singulorum obol.tres, seminis pastinacæ,seminis lini tosti, singulorũ vnc.i i. folij,spicæ nardi, asari, dictamni, baccarũ lauri, ocimi seminis,singul. vnc.i.pineæ vnc.v i.mellis lib.i i.Vbi vtendum est, id quod atticæ fabæ magnitudinem impleat,in balneo vel ante balneũ in potione vini mulsi diluitur.

Galeni picra. Aloës drach.c. cinnamomi, spicæ nardi, xylobalsami, mastiches, asari, croci,singulorum drachmæ v i. Ego verò aloës drach.x c. croci drach.v. pono,& ita vtor.datur drach.vna.

Quæ subducunt ventrẽ aut purgant. Zinziberis, scamoneæ,vtriusq; vnc.i.salis ammoniaci vnc.iiii. aloës totidem:aceti,gari,singulorum heminæ duæ.

Coccaria salubria,apta stomacho,aluum maximè subducentia,quę typos etiam denotant.Aloës vnc. i.succi absinthij vnc.tres,scillæ arcadicæ vnc.i.scilla in fermentũ conijcienda est, & assanda ita, vt coquatur.Scillã extrahe,& facito vt eius par põdus sit, atq; in mortariũ coniectã vehementer cõtunde,absinthij succũ affundens:deinde aloën tenuissimã adiunge,& emolli,vt medicamentũ perficiatur.Facito

fermẽtum,& excipito, & compone coccaria, id eſt, granula,quę ciceris magnitudinem impleant,& dato ijs qui ex longo morbo vires difficiliter recolligunt. Aliud. Scamonij vnc.1.aloës tantundem,colocynthidis interioris vnc.dimidiũ, bdellij drach. tres,abſinthij ſucci,braſsicæ ſucci,ſing.drach.11.excipe,& ad erui magnitudinem confice,dato valentibus x v 11. aut x 1 x. aut x x 1. ægrotantibus autem v 11. aut x 1. aut x v. aut x 111. idq; deinceps diebus quinq;,vel ſeptem,vel nouem. Si verò pituitam ab his duci aut validiora eſſe velis, adde fermẽto in totum euphorbij drachmam vnam.

Medicamentum purgans,quod κοπ]αχρίον, hoc eſt, placentula nominatur. Similæ drach.1.coni drach. quatuor,piperis drach.11.ſcamoneæ drach.11. exci pe melle attico. Perfectũ pondus quod dari queat, eſt drach.11. Vtere etiam ad morbum regium.

Paſtillus purgans. Scamoneæ,euphorbij,ſingulo rum drach.quatuor, piperis drach.11. folij vnc.11. mellis lib.vna.datur vncia vna.

Grana. Scamoneę vnc.11.aloës vnc.quatuor,euphorbij drach.quatuor. Confice ex aqua ad erui magnitudinem,datoq; v 11. aut 1 x. aut x 1. aut x 111. aut x v. aut x v 11. aut x 1 x.

Medicamentum ad colicos,purgans. Euphorbij, cyperi,petroſelini,iridis,pares portiones.

Symbiotarium.Scamoneæ vnc.1.piperis,zinzibe ris,ſalis,petroſelini,ſingulorum vnc.vna.

Medicamentum purgans,ad eos qui elephantiaſi detinentur. Colocynthidas duas paris magnitudinis circũſcalpe, foramenq; facito, & ſemina omnia abijcito,interiorẽ verò partẽ relinquito,oleum impone, & operculo proprio occluſas vnam noctẽ ita ſinito,die autem ſequenti euacuato:oleo coquendę

ſunt in

sunt in aqua colocynthides donec flaccescant, deinde eas abijce: oleo verò & aquæ mixtis, adde veratri nigri obolos tres, scamoneæ drachmam vnam, & vnà cum his polenta ex simila incoquitur, & ex hoc datur laboranti, qui tenui victu vtatur, quàtum 24. nucum ponticarum magnitudinem impleat, & aqua potui detur.

Medicamentũ purgans ex iure veteris galli compositum. Interiora abijcienda sunt, & sal inijciendus ita, vt gallus impleatur, & consuendus est, multaq; aqua in qua parum olei sit, multumq; anethi & porri incoquendus: his colliquatis ius suaue, & stomacho aptum, magisq; accõmodatum ad purgandum redditur: eius colati dentur ad minus heminę duę. Summè facit ad inueteratas ad somnum propensiones, quæ καταφοραὶ nominantur.

Inunctio sedis ad flatus emittendos. Ruta cum melle cocto leuigatur & teritur, vt succi plena efficiatur, & ex ea sedes interior confricatur. Efficacissima erit, si cumini parum accedat, itemq; nitri, aut cyclamini succi. Cæpa quoq; non salita apposita ad id valet: flatus enim satis multi, & aluum leuantes erumpunt.

Hiera Rufi. Sicyoniæ siue colocynthidis interioris drach. tres, chamædryos drach. x. agarici drach. x. sagapeni drach. octo, opopanacis drach. octo, petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi, singulorum drach. v. cinnamomi, aut duplum casiæ fistulæ, spicæ nardi, croci, myrrhę, singulorum drach. IIII. polij drach. tres & dimidia. Hæc omnia misce, in tenues partes redige, melle excipito, dato ad summum drachmas quatuor.

Lyci purgans medicamentum. Scamonea cum sale candidissimo quantum satis est læuigatur, deinde

in pyxide plumbea in duplici vase coquitur. Modus autē duplicis coctionis est huiusmodi: pyxis duplex modius est, eius operculū aut foramen, aut meatum habere debet: in eum meatum scamonea cum sale lę uigata conijcitur, & in vas imponitur, atque ita coquitur: estq; non iniucunda stomacho, & nihilominus purgat.

Aliud purgans eos, quos elephantiasis exercet. Cape colocynthidis succum, atque oleo persperge, ipsamq; colocynthida in vase nouo cum aqua donec flaccescat, coquito: deinde tantum similæ addito, quantum capere aqua possit. Cumq; cocta fuerit, admisce ellebori nigri drach. vnam, & surculo anethino agita, & versa vsquedum calescat: dato autem in potione, quantum nucis ponticæ magnitudinem impleat.

Inunctio purgans, quæ aluum ciet. Alumen cum melle læuigatum vsque coquitur, dum giluum fiat, ex quo sedem inungunt: hocq; medicamentum ξηράγκη, hoc est, quod aluum cogit deijcere, nominatur: multa enim, sed non sine labore, educuntur.

Suffitus.

Rosarum nouarum lib. I. siccarum lib. II. folij, croci, casiæ, singulorum semis: styracis vnc. I. amomi, onychis, singul. vnc. I. myrrhę vnc. I I. bdellij vnc. I. carpobalsami vnc. I. chiæ vnc. I. opobalsami vnc. I I.

Rosarum semuncia, myrrhę vncia: myrrham cum vino læuiga, & omnia emollens cum modico opobalsami confice.

Costi, amomi, myrrhæ, casiæ, sing. vnc. I. styracis, chiæ, bdellij, onychis, musci, ladani, sing. vnc. I. rosarum expurgatorum vnc. x x I x.

Rufi hiera simplex. Colocynthidis drach. I I. marrubij, chamædryos, stœchados, singul. drach. x. gentianæ,

tianæ, agarici, ſing.drach.x i i. bdellij, ſpicæ nardi, croci, cinnamomi, ſing.drach.v i i i. caſię, iunci odorati floris, piperis albi, piperis longi, ſcillę toſtę, ſingulorũ drach.v i. radicis centaurij drach.i i i i. omnia trita bdellio eliquato, & decocto panacis, & mel le cocto admiſcentur.

Xeromyron compoſitio Arabica. Foliorum amomi, coſti, zanazi, ſing.vnc.i. carpobalſami drach.i.

Suffitus ad ſomnum cõciliandum: Styracis, amomi, coſti, ammoniaci thymiamatis, bdellij Scythici, radicis mandragoræ, ſucci papaueris.

Suffitus ex cypreſſo, quod cyphi Lunæ dicitur. Bdellij vnc.v i i. helenij tantundẽ, floris iunci odorati vnc.i. ſphagni vnc.v. baccæ iuniperi paruæ i. aſpalathi vnc.v i i. naſturtij vnc.v. ſpicæ nardi vnc. * v i. cyperi vnc.i x. radicis aſphodeli vnc.i i i i. ſeminis cupreſſi vnc.i i i. ſabinæ vnc.i i i i. nardi celtici vnc.i i i. coſti vnc.i i. myrrhæ vnc.v i i. caricarum pinguium lib.i i. vuarum paſſarum ſine acinis lib.i i. ſorborum vnc.i i i. terebinthi lib.i. roſarum ſiccarum vnc.i i i. ſtyracis vnc.v i i. palmularum pinguium lib.i. mellis lib.v. vini odorati quantum ſatis eſt.

* *Alius habet vnc.L*

FINIS TERTII
LIBRI.

QVARTI LIBRI ARGVMENTVM.

Quartus liber facultates alimentorum continet: vt, quæ attenuent, quæ boni succi sint, quæ calefaciant, quæ frigefaciant, quæ facilè & distribuantur et concoquantur, quæ apta stomacho, quæq; flatus sint expertia, quæ abstergeant, aperiant, dissecent, quæ crassa sint, quæ difficulter corrumpantur, quæ emolliant, quæ inter hæc media, & contraria sint, ac quomodo sorbitiones coquendæ: itemq; iura, esculenta, & potiones, & quomodo lac potui detur, & quæ aquarum vis & natura sit, intelligamus.

LIBRI CAPITA SVNT HAEC.

Quæ res extenuent. Cap. I.
Quæ crassos succos gignant. II.
Media inter attenuantia, & crassum succũ factiẽtia. III.
Quæ viscidum succum in nobis faciant. IIII.
Quæ crudos humores in nobis pariant. V.
Quæ frigidos humores creent. Caput VI.
Quæ pituitam gignant. VII.
Quæ melancholicum succum pariant. VIII.
Quæ succũ bilioſum faciant. Caput IX.
Quæ gignant excrementa. X.
Quæ multum nutriant. XI.
Quæ minus nutriant. XII.
Quæ res boni succi sint. XIII.
Quæ mali succi sint. XIIII.
Quæ res facilè concoquantur. Caput XV.
Quæ difficiliter cõcoquantur. Caput XVI.
Quæ res stomacho idoneæ sint. Caput XVII.
Quæ res stomacho alienæ sint. Caput XVIII.
Quæ res capiti noceant. XIX.
Quæ res non inflant. XX.
Quæ res inflant. XXI.
Quæ res abstergant, incidant, aperiantq;. XXII.
Quæ res obstruant. XIII.
Quæ tardi transitus sint. Caput XXIIII.
Quæ facilè corrũpũtur. XXV.
Quæ difficulter vitiantur. Caput XXVI.
Quæ res in cibis aluum moueant. XXVII.
Quæ res mediæ sint inter aluum purgantia, & subducentia. XXVIII.
Quæ res aluum supprimunt. Caput XXIX.

Quæ

Quæ res calefaciunt. XXX.
Quæ res sint acres, & calidæ. Caput XXXI.
Quæ res refrigerent. XXXII.
Quæ res exiccent. XXXIII.
Quæ res humectent. XXXIIII.
Quomodo sorbitiones coquendæ sint. XXXV.
Quæ res loco olei in sorbitiones injiciantur. XXXVI.
De confectione alimentorum. Caput XXXVII.
De aqua mulsa. XXXVIII.
De potionibus quæ vtiles sunt ægrotantibus. XXXIX.
De lactis potione ex Rufo. Caput XL.
De aquis ex Herodoto. XLI.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER QVARTVS.

Quæ natura ac proprietas cuiusque rei sit qua vescimur: ac primùm quæ res extenuent. Cap. primum.

IN alimentis extenuant, allium, cæpe, nasturtium, porrum, sinapi, piper, smyrnium, pyrethrũ, origanũ, calamintha, hyssopum, sisymbrium, pulegium, thymum, satureia, viridia: nam exiccata nõ amplius alimenta sunt, sed iam medicamẽta. Id enim est perpetuũ, quicquid siccius est, vehemẽtius esse, quàm id quod est virens: itemq; omnia quæ in collibus, aut in agris durioribus creuere, ijs, quæ in pratis, aut hortis, aut locis palustribus nascuntur, esse robustiora: atq; hæc quidem in omnibus sunt communiter cognoscẽda. Porrò eas res, quæ dictę sunt, subsequuntur eruca, sium, apium, petroselinum, ocimum, raphanus, brassica, beta, carduus, iringium, coriandrum, vrtica, fœniculum, anethum, ruta, ligusticum, cuminum, capparis, & terebinthi fructus, cari

semen, anisi, sinapi, ameos, dauci, siseleos, trochisci, & omnium deniq; odoratorũ, & acrium, & planè calidorum semina. Inter ea verò quæ valde attenuant, est rutæ semen, & cannabis, quippe quod ad medicamenti naturam accedat. Ex cerealibus seminibus ad victum attenuantẽ sine molestia solum hordeum valet: post hoc, triticei panes in clibano cocti: à cæteris danda est opera vt abstineamus, nisi fortasse quispiam per longa tẽporis interualla pisum, aut lentem gustare velit. Plurimá autem, eamq; innoxiam eduliorum copiam, si velis, ad victus attenuantis rationem tibi suppeditabunt pisces saxatiles, & auiculæ montanę: omnia enim animãtia quę degunt in mõtibus, & sicciore, & calidiore natura sunt prędita, eorumq; caro minimè est pituitosa. Passeres igitur & turdos, merulos, perdices licet edere: aues etiá quæ turricolæ vocantur, & quæcunq; in vineis degunt, aptæ sunt. Ex colũbis, agrestes domesticis præstant, & omnino agrestia domesticis præcellunt, quæque sicciorib. alimentis, quàm quæ humidiorib. vescuntur: & item quæ purũ ac tenuem aërem inspirant, ijs quæ hoc nõ faciunt, meliora censentur. Ex piscibus autem saxatilib. vesci poterimus iulide, phænicide, merulo, turdo, & scaro: & vno verbo, ijs omnib. quorum est mollis caro, atq; friabilis: ab ijs cõtrà, qui duram & glutinosam carnem habent, abstinendũ omnino. Asellorũ autem caro mollis quidé est, sed minus friabilis: at mullorũ est friabilis illa quidem, sed non mollis: ex quo fit, vt mollities & friabilitas sint indicia, quæ nobis de cuiusq; animalis carne suppetant: ad quæ animum diligenter aduertentes, in quo vtrunq; inesse cõpertum fuerit, eius carne, quantam velimus, vescamur. cæterorũ carnes in quibus neutrum sit, omnino vitemus: in quibus alterutrũ, ex ijs interdum

interdum comedamus, cùm aliarum nobis non suppetat copia: in quo cauendũ est, ne eas ad satietatem ingeramus. Quocirca cùm saxatiles desunt, asellos, & mullos, cæterosque pelagios pisces, ac præsertim eos qui cum sinapi manduntur, qualis est scorpius, præbere possumus. Sunt porrò quædã animaliũ genera, quibus altera ex ijs quas dixi, ineſt nota, sed ea propter alterius exuperantiã non sunt ad cibũ adhibenda. Anguillę autem & pisces cartilaginei, etsi carnem mollẽ habent, tamen propter succũ lentũ & pituitosum qui in eis redũdat, satis noxiæ afferunt. Iis verò qui attenuante victus ratione indigent, ex cartilagineis sola torpedine & turture vesci licet, cùm saxatiles non suppeditentur. Eadẽ facultate præditi sunt bugloſsi, & passeres. Non veto autẽ gallinarum esum ijs qui se exercent, itemq; columbarũ & turturum, non recens, sed pridie ad minus interẽptarum: quod etiam in cæteris omnibus quæ carnem modicè duram habent, obseruandũ est. Pisces autem saliti exquisitissimè extenuant. Ex his eligẽdi sunt, qui tenera carne suapte natura sunt. Cetaceũ genus est cauendum. Iam verò suillas carnes sale conditas gustare quispiam tutò poterit. Ex fructibus, ij qui ventrem molliunt, minimè nocebunt. Molliores igitur magis quàm duros, & eos qui tardè transeunt, comedere licet, non tamen ex vllo genere ad satietatem. Qui autẽ vehementer austeri & adstringentes sunt, huic rationi victus sunt contrarij. magis verò omnino accõmodantur caricæ, nuces, pistacia, & amygdala subamara. Oliuæ eiusmodi sunt, vt eas neque laudem, neq; vituperem. Ex dulcibus autem nõ modò esculentis, sed etiam poculentis solum mel, vt ita dicam, succum tenuem gignit. Vina autem huiusmodi succum faciunt alba & tenuia: atque alba qui-

dem crassos succos incidunt, & per vrinas expurgant. Iam verò serum lactis inter ea numeratur, quæ attenuandi vi sunt prædita: sed oxymel ad victus rationem attenuantem multò est accommodatius.

Quæ res crassos succos gignant. Cap. II.

CRassos succos gignunt panes qui sub cinere coquuntur, quiq; rite non conficiuntur, & qui tragus appellatur, & placentæ ex musto & simila, & lagana, & placentæ quæ itria dicuntur, & quodcunq; ex triticea farina sine fermento conficitur: & placētæ quę ex eadem materia elaborātur. Præterea simila & alica abundè crassi sunt succi: amylum verò mediocriter. Lobi quoq; crassi succi sunt, & lupini, & interna lentis pars, fabæ frictæ, sisami semen, erysimi semen, pisces qui molles appellantur, loligines, sepię, polypi, cetaceum genus. Satis verò crassi sunt succi patellę, pectines, & omnia testa intecta: itemq; anguillæ, cochleæ, carnes ceruinæ, caprinæ, bubulæ, leporinæ, porcinæ, iecur, renes, pudenda, cerebrum, spinalis medulla, glandulæ, lingua mediocriter: lac nimis coctum, casei omnes: recentes verò, & qui ex acido lacte sunt facti, minus: lac acidum igni decoctum: ex ouis, quæcunq; ad perfectam cōcretionem sunt cocta, & assata etiam magis, & longè maximè quæ in sartagine fricta sunt: palmulæ, castaneę, glandes, bulbi, rapa, fungi, ari radix, tubera, nuces pineę, ficus non probè maturæ, citrij caro, cucumeres vberius sumpti. Inter vina, quæ dulcia sunt, ea crassum sanguinem gignunt, & magis etiam id quod defrutum nominatur, & mustum eodem modo: itemq; crassa & nigra vina.

Quæ media sint inter attenuantia, & crassum succum facientia. Cap. III.

EIusmodi sunt optimè confecti panes, carnes gallinarum,

linarum, gallorum gallinaceorũ, phasianorum, perdicum, columbarum, attagenum, turturum, turdorum, merulorum, & paruarum auicularum omnium: itemq; saxatilium piscium, & pelagiorũ, gobiorum, murænarum, bugloſſorum, & absolutè omnium piscium, quicunq; neq; lentorem, neq; fœtorem edendo referant: & ficus, & pepones, & ex oleribus agreſtibus, seris, id quod est commune multorum genus. Singulorũ autem speciales appellationes apud Atticos sunt, vt lactuca, chondrile, & alia sexcenta. Huius verò sunt generis corruda, myacáthinus, & chamædaphnes, asparagus, & bryoniæ. Vinum flauum simul & dulce & pellucidum, quale est Aruisium, & Lesbium, & Falernum, & Tmolite. Hæc enim omnia & bonum, & moderatè crassum sanguinẽ gignunt.

Quæ viscidũ succũ in nobis faciant. Ca. IIII.

TRiticum omne, quod graue, densum, & interius flauescens est, viscidũ succum gignit: quod verò leue, rarum, candidumq; intus est, minus est huiusmodi. Simila quoq; & alica abũdè viscidæ sunt: itemq; tendines, musculorum extremitates neruæ, & partes quę circa labra sunt, & lingua, omnis suilla caro, itẽq; agnina: sesami semẽ, bulbi, & pingues palmulę.

Quæ crudos humores in nobis pariant. Ca. V.

PAlmulæ virides crudis humorib. replent eos, qui ipsis vescuntur, vt rigoribus, quæ calefieri difficiliter possint, capiãtur: & radix rapæ, si quis liberalius ea vtatur: & caro testaceorũ, quorum caro dura est, & salsum succum ex nimia coctione amisit: & quæ mollia nominantur, polypi, sepiæ, & quæ sunt generis eiusdem: cetaceum genus in mari degens: animalium ventriculi, intestina, vteri, acidum lac, panes in sartagine cocti cum caseo, lupini, vua in ventriculo contenta & non excreta.

Quæ res frigidos humores creent. Cap. VI.

QVi se cucumeribus valde explent, ijs vt frigidum succum coaceruent natura comparatũ est, cùm non facilè possint in bonum sanguinem cõmutari. Eiusmodi etiam succũ ventres, intestina, vteri, mala non dum matura, & bulbi pariunt.

Quæ pituitam gignant. Cap. VII.

SVccum absolutè pituitosum gignunt neruea animalium particulæ, cerebrũ, pulmo, spinalis medulla, glandulæ, agnina caro, boleti, fungi amanitæ, caro testaceorum, mala non matura.

Quæ res melãcholicũ succũ pariant. Cap. VIII.

CArnes bubulæ, caprinæ, & his multò magis hircinæ & taurinæ melancholicum succum faciunt: & magis etiam asininæ, camelinæ, vulpinæ, caninæ, leporinæ, & suum agrestiũ. Ex piscibus huiusmodi succum pariunt thynni, balenæ, cete, canis, delphin, & omne cetaceum genus: itemq; cochleæ, brasicæ, arborum germina quæ muria, vel ex acida muria sint condita, vt lentisci, & terebinthi, & rubi, & canini rubi germina: cinaræ etiam caro, & lens edulium, est succum melancholicum gignens vel maximè: post hanc panes furfuracei, quiq; ex tipha conficiuntur: casei vetusti, & vinum crassum & nigrum.

Quæ succum bilio sum pariant. Cap. IX.

SIliquæ & cinaræ succus amaram bilem facit: præstat igitur cinaram coctam edere. Mel quoq; facilè in bilem vertitur in calidis corporibus: omnia enim dulcia alimenta, & vina item dulcia, materiam flauæ bili gignundæ suppeditant.

Quæ gignant excrementa. Cap. X.

PAlumbi, anseres, præter alas: viscera omnia, spinalis medulla, cerebrũ, aues palustres, & quæ in stagnis ac pratis vitam ducunt: cicer, fabæ virides, fa-

ba

ba ægyptia, porcelli nuper in lucem editi, caro pecudum, & omnium animantiũ recens natorũ, quæq; in ocio vitam transigunt: & piscium fluuiatilium, & palustrium, & qui in limo degunt, & omnes cetacei generis in mari, excrementa faciunt.

Quæ res careant excrementis. Cap. XI.

ANimalium colla, caudæ, alæ, agrestiũ animalium caro, & eorum quæ in siccis locis viuunt, excrementis carent.

Quæ multùm nutriant. Cap. XII.

SVum domesticorũ caro præ omnibus edulijs maximum alimentum præbet: bubulum cerebrum, testes, cor, spinalis & alia etiam medulla, alæ anserum, & magis adhuc gallinarum: omnium volucrium ventres, cochleæ, ac præcipuè bis coctæ. Ex testaceis, quæ dura carne sunt prædita, vt chymæ, purpuræ, buccina, & cætera generis eiusdem plurimum alimenti afferunt. Iam verò astaci, paguri, cancri, locustæ, sepiæ, squillæ, & ijs similes: & ex cartilagineis torpedo & turdus moderatè nutriunt: itemq; bati, liobati, & rhina magis: muli autem & gobij minus. Lac magis alit quod crasius est: quod verò liquidius est, id minus alit. Ex panibus magis nutriunt siliginei, deinde ij qui ex simila parantur, tertio loco ij, in quibus etiam furfur sit. Triticũ coctum, simila, alica, fabæ, carnem gignunt non firmam illam quidem & densam, sed potius laxiorẽ. Cicer magis nutrit quàm fabę: magis phaseoli: & ochri magis quàm fœnumgræcum. Dolichi quos lobos & phaselos vocant, non minus quàm pisi nutriunt. Egregiè etiam alunt lupini, castaneæ, lentes, palmulæ dulces, vuæ dulces & pingues, glandes, rapa quam napum nominant. Bulbi maxime nutriunt, & præsertim bis cocti: mel despumatũ & ad distributionem & ad nutritio-

nem redditur accommodatum, & melicratum probè coctum. Omne vinum pro portione crassitiei nutrit. Rubrum igitur, & crassum maximè omnium ad sanguinem gignendum accommodatum est: secundo loco id quod nigrũ, crassumq; sit, & adstringens. His minus nutrit album simul & crassum, & adstringens. Minimè verò omniũ, album, & tenue. Ad summam, omnia quæ crassi succi sunt, si probè concoquantur, & conuertantur in sanguinẽ, alimenti multum præstant.

Quæ res minus nutriant. Cap. XII.

PArum nutriunt extremæ animalium partes, vterus, venter, intestina, cauda, aures, pinguedo, adeps. Omne volucrium genus terrestrium generi comparatum, minus nutrit. Caro eorum quæ senio cõfecta sunt, minus alit, quàm caro eorum quæ adhuc augescunt. Alimentum quod pisces dant, tenuiorem sanguinẽ gignit, vt neque abundè nutriat, & citò etiam digeratur. Ex ijs quæ testa intecta sunt, quæ molli sunt carne, velut ostrea, exiguum alimentũ prębent. Panes hordeacei, quomodocunq; cõficiantur, minimè omniũ aliorum nutriunt: minus verò alit polenta quæ ex ijs efficitur. Itemq; panes furfuracei, ac impuri omnes, & loti, amylũ, maza ex polenta hordeacea, auena, millium, eoq; magis panicum, oryza, fabæ virides, semen papaueris, ormina, mora, rubi canini fructus, iuniperus, myrta, amygdala, pistacia, pruna, persica, armeniaca, præcocia, oliuæ, & præsertim maturæ: nuces auellanæ, & magis etiam regiæ: nuces, serica, corna, pruna sylueſtria, zizipha, iuglandes, halicacabus, capparis, & præsertim sale cõdita: terebinthi partes omnes: brassica, beta, lapathum, portulaca, solanum, raphanus, napi, cardamum, pyrethrum, asparagi omnes, pastinaca, daucus, carus:

cæpa

cæpa autem & allium, & porrum, & ampelopraſum, cruda quidem alimentum nullum præbent: bis autem tęrue cocta, pauciſsimum. Mala punica parum nutriunt: pira verò, & pręſertim magna, neſcio quid alimenti in ſe continent. Cucurbitæ quoque modicum alunt, itemq; vuæ paſſæ auſteræ, & nō pingues. Porrò inter ea quæ multū, & ea quæ parū nutriunt, medij interiecti ſunt phaſeoli, ochri, araci, cicerculæ, & ficus, quæ non æquè ac alij æſtiui fructus, parum nutriunt: laxam enim carnem faciunt, id quod faciunt etiā vuæ: ipſæ verò minus quàm ficus alunt, laxamq; & humectam carnem gignunt. Omnia autem edulia in quibus aliqua vehemens medicamenti qualitas inſit, cùm eam qualitatē aut aſſando, aut decoquendo, aut parādo depoſuerint, exiguum alimentum corpori dant, prius verò nullum præbent.

Quæ res boni ſucci ſint. Cap. XIII.

OMnium fermè eorum, quibus veſcimur, lac optimi eſt ſucci: optimum autem lac eſt animalium integrę valetudinis, cùm nuper expreſſum potatur. Ouа tremula & ſorbilia boni ſunt ſucci: itemq; gallinæ, & piſces ferè omnes, præter eos qui in paludibus & ſtagnis, & fluminibus limoſis degunt: ac præſertim ſi aqua è ciuitate aliqua prodeat, cuius cloacas & balneas expurget, vel aquam admiſtam habeat quæ fullonib. ad veſtes tingendas vſui fuerit. ergo tutius erit ſemper eos piſces offerre, qui de mari, quod aquę dulci mixtū non ſit, excepti fuerint: quales ſunt qui pelagij, & ſaxatiles appellātur: hi enim tum ſucci bonitate, tum iucunditate cęteris longè pręſtant. Si verò quidam ſint, qui vtraq; in aqua ſoliti ſint viuere, vt capito, lupus, aſellus, gobius, murena, & cancri, & anguillæ, ſtatim quærendum erit, vbi nam ſint capti: deinde odoratu & guſtatu diſcernere: etenim

qui in aqua vitiata vitam duxerunt, etsi cæteris sunt pinguiores, tamen & male olent, & insuaues ac mucosi sunt, & statim putrescunt: atq; etiam ex consuetis piscium alimentis, aut meliores, aut deteriores esse ex gustu atq; odore facilè cognoscuntur: quem admodũ mulli omnium pessimi sunt, qui cancros comederunt. Aliorũ verò caro durior est illa quidem, sed non mali succi: fidicula, rhombus, hepatus, buglossum, psitza, & lacertus medij quodãmodo sunt inter eos, qui tenerã carnem habent. Alimentumq; eorum est optimum ijs, qui se non exercent, qui imbecilli sunt: ijs verò qui cõualescunt, friabile & molle alimentum est ad bonam valetudinem accommodatissimum. Omnium autem optimi succi sunt carnes quadrupedũ animalium, quę si probè cõcoquantur, optimum sanguinem gignunt, & præsertim eæ, quæ boni succi animaliũ sunt, quale suillum est genus: suum enim caro, & ad iucunditatẽ, & ad concoctionem est præstantissima, & eorũ vel maximè, qui in media ætate sunt cõstitui: vetustissimi nanq; suis caro deterior est, itemq; eius, qui nuper natus comeditur: nimis enim humidæ sunt carnes eorũ, qui recens sunt nati, & pituitæ plurimũ faciunt: sed tamen iecur boni succi est: at partes quæ circa labia sunt & alæ, minus boni succi sunt, quàm caro. Glandulę probè concoctę æquè ac carnes boni sunt succi: cor non mali succi esse censemus: meliores sunt pedes porcorũ, & rostrum, & aures. Cęterorum animantium, quanto carnes à porcorũ carnibus in alimenti viribus superantur, tanto partes extremæ in eisdem, partibus suillis cedunt. Cerebrũ volucrium longè præstat cerebro terrestriũ. Ferarũ caro melioris succi est, quàm cicurũ. Panis purus ritè cõfectus boni succi est, itemq; alica, ptisana probè cocta. fabæ, ca-

bæ,caſtaneæq; nō mali ſucci ſunt:nec ficus maturę, & vua matura,penſilis verò reprehēdi nō poteſt.Caricæ ſtatim diſtributę boni ſucci ſunt: quæ verò diutius in vētriculo morātur,mali ſucci euadūt,& pediculos generāt.Hæ cum nucibus in cibo acceptę prę ſtantiſsimū eduliū faciunt: qui verò ficus & caricas cum alijs edulijs comedunt,nō mediocri detrimento afficiuntur.Lactuca,vt olus,bonū gignit ſanguinē:ſecūdo poſt eam loco,intyba.Vina odorata boni ſucci ſunt:optimi verò ſunt ſucci falerna,& potiſsimū dulciſsima,itēq; aruiſiū,& fuluū Tmolite dulce.

Quæ res mali ſucci ſint. Cap. XIIII.

MAli ſucci nō vna ſpecies eſt,alius enim frigidior eſt,alius calidior,alius biliоſior,alius denique ad aquæ naturā propius accedit, vt etiam magis melancholicus eſt alius. Ab omnib.autem mali ſucci edulijs,etiam ſi facilia cōcoctu ſint, abſtinendū eſſe conſulo . Succus enim malus ex eis coaceruatus diu latet in venis : cùm verò occaſionē aliquam ad putredinem nanciſcitur,febres malignas gignit. Mali autem ſucci ſunt hæc : pecudū caro & caprarū ex acrimonia.hircorum caro peſsima eſt:proximè ſuccedit caro arietina, deinde taurina. inter hæc omnia caro caſtratorū eſt potior,ſeniorū verò ſunt peſsimę.Leporū caro gignit illa quidē ſanguinem craſsiorē,ſed tamē qui melior ſit ad ſuccos bonos faciēdos,quàm boum,aut pecudū:& tamē ipſa quoq; mali ſucci eſt. Ceruina caro mali eſt ſucci. Renes & teſtes adultorum animaliū,præter teſtes gallorū gallinaceorum, mali ſucci ſunt.cerebrū, ſpinalis medulla, cor, lien, omnia viſcera animaliū,oua frixa, caſei veteres,boleti,amanitæ,fungi,mali ſucci ſunt: cæteros fungos non eſſe tutius eſt. Fœnumgræcū,lens,tipha,auena, & panes ex his cōfecti nō bonū ſuccū pariunt. cicer

bonum ſuccum non gignit: olyra verò peſsima eſt. panicum, millium, & cætera generis eiuſdē bonum ſuccum non creant. Piſces verò, dracones, cuculi, callionymi, ſcorpij, trachuri, muli, orphi, glauci, & cętera animalia cetoſa quę in mari degunt, mali ſucci ſunt omnia. Fructus omnes, qui horæi dicuntur, mali ſucci ſunt: ficus verò minus quàm alij fructus. at caricæ, ſi quis frequentius eis veſcatur, nō admodum probum ſanguinem gignunt: ex quo fit, vt ex eis magna pediculorū copia conſequatur. Mala non matura, pira antequam matureſcant, terebinthi fructus, mali ſucci ſunt: cinara quoq;, & præſertim cùm durior eſt: itemq; cucumeres & pepones, ſed minus. cucurbita his omnib. præſtat, ſed hæc quoq; in ſtomacho corrupta abundè eſt mali ſucci. Ex oleribus nullum boni ſucci eſt. mediū inter vtranque partem locum tenet lactuca, & intyba, & malua: deinde atriplex, & portulaca, & beta, atq; lapathū. Radices autem plantarum, olerum, mali ſucci ſunt quæcunque acres ſunt, quales ſunt cæparum, porrorum, & alliorum, & daucorū, & raphanorū: mediæ ſunt, radices ari, rapæ, quæ napus appellatur, & eius, quem carum nominant. Ocimum ſucci eſt peſsimi. Rapa cruda, braſsica, bulbi non probè cocti: cæpæ, porra, allia, ampelopraſa, bis cocta ſucci prauitatem deponunt. Peſsimi verò omnino ſucci ſunt olera omnia, quæ ſylueſtria nominantur, vt agreſtis lactuca, chondrile, ſcandix, gingidium, ſeris, & cichorea. Vina, quæ craſſa ſunt & fœtida, & adſtringentia, quale eſt vile Bithynum, quod in magnis dolijs cōportatur: nam quod in paruis conuehitur, neque boni neque mali ſucci eſt, ſed medium inter vtrunque locum tenet.

Quæ res facilè concoquantur. Cap. XV.

FAcilè concoquitur panis probè confectus, piſces ſaxa-

saxatiles omnes, gobius, torpedo, turtur, si auium generi cõparetur. Volucrum caro terrestrium carni comparata, facilius cõcoquitur, præsertim verò perdicis, attagenis, columbæ, gallinæ, galli gallinacei, phasiani. alæ anserum faciles ad concoquendũ sunt, sed gallinarum sunt faciliores: & ad summam, alę bene educatorũ, & iuniorum, optimè concoquuntur, pessimè verò macilentorum, & seniorum. quæ verò sero lactis educata sunt, iecurq; anserum, & cęterorum quæ similiter aluntur, itemq; gallinaceorũ gallorum testiculi, facilimè cõcoquuntur. extremæ porcorum partes sunt concoctu facillimæ: ex bubulis, & caprinis carnibus, meliores ad concoctionẽ sunt vituli: atque hœdi capris omnibus præstant. Carnes eorum quæ adhuc crescunt, facilius cõcoquuntur, quàm carnes eorum quæ declinant: quæque in siccis locis sunt educata, carnibus ad concoquendum facilioribus prędita sunt, quàm quę alijs in locis. Iuglans facilius, quàm auellana, concoquitur: bulbi facilius concoquuntur, qui bis cocti sunt: itemq; oua tremula & sorbilia, lactucæ, intyba, malua, cucurbita cocta, cùm non corrũpitur in ventriculo. Vinum dulce facilius quàm adstringens concoquitur. porrò ex ijs quæ æquè salubria sunt, id esse concoctu facilius sciendum est, quod sit iucundius.

DQuæ res difficiliter cõcoquantur. Cap. XVI.

Difficulter cõcoquitur caro caprę, bouis, ceruiq;: difficillimè autem caro hircorum, deinde arietum, postea taurorum. animalium verò annosorum pessimè cõcoquitur: itemq; suum, si seniores fuerint. ventriculus quoq; ægrè concoquitur, intestina, vterus, cor, iecur, aures, caudæ, renes, viscera omnia, cerebrum, spinæ medulla, adultorum animalium testes, sanguis deniq; omnis. Anserum verò præter alas, &

item palumborum, ſturnorum, merulorum, & paruarum auium caro eſt durior: ac magis etiam caro turturis antiqui, & anatis: & his magis caro pauonum, & otidum. Ventres omnes volucrum ægrè concoquuntur: qua in re quidam ſtruthiocameli & mergi ventrem quaſi medicamentũ ad concoquendum valens falſo laudant: ſiquidem neq; ipſe facilè concoquitur, neq; aliorum ciborum concoquens medicamentum eſt. Cochleæ difficiliter concoquuntur, atq; etiam lac acidũ, & caſeus vetus: at recens & ex acido lacte confectus, eſt præſtantior. Purpurarum autem caro, & buccinorum, & aliorum teſta intectorum, quorum dura caro eſt, difficulter cõcoquitur: aſtaci verò, paguri, cancri, locuſtæ, ſquillæ, & cæteri generis eiuſdem: polypi, ſepiæ, loligines, & omnes quæ molli cute præditi nominãtur: bati, liobati, rhinæ, dracones, cuculi, calionymi, ſcorpij, trachuri, mulli, iphi, glauci, zygænæ, ſalpænæ, gongri, phagri, amiæ, aquilæ, oua toſta, cocta, fricta, triticũ coctum, tragus, cui ſoli ineſt vt ſit quàm polenta concoctu difficilior: tipa, auena, panes ex eis confecti, fabæ, ochri, dolichi, phaſeli, cicercula, araci, cicer, oryza, lupini, panicũ, milium, & cætera huius generis: lens, tuſsilago, ſeſamum, eryſimum, caſtaneæ, glandes, poma, pira, & ficus antequam maturuerint: vuæ acidæ & auſteræ, palmulæ omnes, ſiliquæ, citriũ, cuius parte exteriore ſi quis pro medicamento vtatur, ea ad concoctionem faciet, quemadmodum alia pleraque acria faciunt: ocimum, rapa minus cocta, bulbi crudiores, paſtinaca, daucus, carus, & omnes olerum radices, & ipſa itidem olera omnia, præter lactucam & intybum, ſunt eiuſmodi. Vinum quoq; craſſum & nouum, atque etiam aqua omnis difficiliter concoquitur.

Quæ

Quæ res stomacho idoneæ sint. Cap. XVII.

STomacho autem aptæ sunt palmulæ austeræ, mala cydonia. Oliuæ sale conditæ præstantiores sunt quæ ex aceto sunt paratæ, vuæ passæ austeræ, vua in vinaceis reposita, nux regia, & magis quàm auellana, & multò magis si cum caricis comedatur. Spinosa omnia stomacho apta sunt mediocriter: huius generis sunt, carduus, atractylis incisa magis quàm cõueniat: cinara, siseris radix cocta, gingidium ęquè ac scandix, quod crudũ & coctum si edatur, stomacho mirum in modum idoneum est, longioré autem coctionem non fert: napi, raphanus, rapa, cardamũ, pyrethrum, regius asparagus & palustris, myrtus sylue stris, chamædaphne, oxyacanthæ, & bryoniæ. Bulbi appetitũ excitant, itemq; capparis sale condita. Extima citrij pars stomachum roborat in medicamenti vicem sumpta. Vinum austerum os ventriculi firmat, atque ipsum ventriculum, præsertim calida affectum intemperie. Vt medicamenta verò, absinthium, & aloë eundem corroborant.

Quæ res alienæ stomacho sunt. Cap. XVIII.

STomachum lædunt baccæ iuniperi, magis verò cedriæ, fructus arbuti, amaranthus, viticis semen: beta verò ita stomacho aliena est, vt si estur largius, morsum etiam inducat: itemq; lapatiũ, ocimũ, rapa crudior, blitum, atriplex, nisi ex aceto, oleo, & garo comedantur. Fœnum gręcum stomachum subuertit, & eodem etiam modo sesamum. Lac, in ijs qui frigido ventriculo sunt, acescit: in ijs verò qui calido sunt, in nidoré transit: ex quo fit, vt febricitantibus iurè noceat: si quis verò cum melle propinet, vomitum ciebit. Pepon nõ probè cõcoctus cholericos induce re morbos cõsueuit: etenim priusquàm corrũpatur, ad vomitum prouocandũ est idoneus: siq; copiosius

eo quiſpiam veſcatur, neq; quicquã quod boni ſucci ſit, poſt comedat, omnino vomitũ mouebit. Idem melopepon facit. Iam cerebrũ omne ſtomacho non conuenit, & nauſeã ciet: quemadmodũ facit etiam oſsium medulla. Vinum nigrum & auſterum facilè aceſcit: craſſum verò & nouum ad vomitum impellit. Inter medicamenta, abrotonum, ſeriphum, ſpuma nitri, ſtomacho non conueniunt.

Quæ res capiti noceant. Cap. XIX.

MOra, rubi fructus, caput lædunt: iuniperi baccę, fructus arbuti, cedriæ, cánabis ſemen, radix mei, pal mulæ omnes, eruca, fœnum græcum, lini ſemen, vinum fuluum & auſterũ, caput lædit, & mentem tentat magis, quàm nigrum & auſterũ. odoratum quoque caput petit. at vinum aquoſum neq; capitis dolorem excitat, neq; neruos lædit. Lac non eſt aptum capiti, niſi quis caput admodũ validũ habeat. Aqua in qua vuæ madefactæ ſint, quæ fæx etiam appellatur, capiti dolorem infert: itemq; vua, quæ fuerit in vinaceis repoſita.

Quæ res non inflent. Cap. XX.

NOn inflant cuminũ, liguſtici radix & ſemen, viticis ſemen, fructus cannabis. Præterea ex ijs quæ alioqui inflandi vim habent, non inflant fabæ elixatæ aut frictæ, bulbi aut multũ aut bis cocti, & cum oleo, garo, & aceto ſumpti. Mel deſpumatum, oxymel, flatus diſcutit. Panes hordeacei quomodocunque cõficiantur, minimè flatus excitant. Inter ea verò quæ inflant, aut non inflant, medij ſunt phaſeli, ochri, cicerculæ, araci.

Quæ res inflant. Cap. XXI.

INflant autem hęc: piſa, phaſeli, fabæ, cicerculæ, lentes, caſei, cicer, lupini, ochri, panicum, milium, cæteraq; generis eiuſdẽ. Faba freſa magis inflat cùm per ſe ſo-

se sola, quàm cum aliter cocta estur. Maza ex polenta flatum gignit, subacta verò, diuq; contusa, magis per aluum ducit, præcipuè verò si mellis portio ei fuerit indita. Succi omnes inflant, præ cæteris cyre naicus, satyrium, silphij liquor, & radix. Ex ficubus breuis flatus excitatur, quia facilè deijciuntur: quæ verò exquisitè maturæ sunt, parum abest quin nihil penitus noceant, veluti caricæ. Palmulæ virides ita flatum excitant, vt ficus, rapa cruda. Lac in ventriculo facilè ciet flatum, bulbi crudiores, mel non perfectè coctũ. Vina dulcia diuturniores flatus excitant, dulcia simul & austera quæ neq; distribuuntur, neq; digeruntur, sed in ventre superiore manent, flatum inducunt. Mustum verò ipsum quoque inflat.

Quæ res abstergant, incidant, aperiantq;.

Cap. XXII.

ABsterget verò ptisana, fœnumgræcum, melopepon, pepon, vuæ passæ dulces, fabæ, cicer, ac magis nigrum, quod lapides etiam in renibus egregiè confringit. Capparis satis tenuium partium est: quæ verò sale condita est, absterget, & pituitam quæ in ventriculo est, deducit, & lienis atq; hepatis obstructiones expurgat: ad quem vsum adhibẽda est cum oxymelite vel oleo ante alios cibos omnes. Betarũ succus abstergendi vim habet, easq; obstructiones quibus hepar infestatur, dissoluit: sed præsertim cùm ex aceto & sinapi estur. Lapatia quoq;, & vrtica. Ari verò & asphodeli radix tenuiũ partium est. Bulbi vim habent extergendi, attenuandi, & aperiendi: quocirca & asparagum, & asphodelum ictericis vt summum remedium præbent. Cæpæ, allia, porrum, ampeloprasum, attenuant, secantq; crassos & glutinosos humores qui redũdant in corpore: atqui bis aut ter cocta acrimoniam deponunt, & tamen etiam at-

tenuant. Serum lactis humorum crassitudinem attenuat. Ficus abstergent: quam ob rem multæ arenulæ ex ficuũ vsu in nephriticis excernuntur. Caricæ extenuant, & incidunt: ex quo renes expurgant. Baccę iuniperi ea quę in iecinore & renibus sunt purgant, crassosq; ac tenaces humores attenuant. Amygdala extergent, & attenuant, visceraq; expurgant, & humorum reiectiones quæ per sputũ ex pectore & pulmone fiunt, expeditiores reddunt. Pistacia ad iecoris firmitatem vtilia sunt, & ad purgandos humores qui in eius meatibus infarcti sunt, valent. Raphanus attenuãdi vim habet. Mel habet maiorẽ attenuandi vim, quod ex calidis & siccis plantis factũ est: quocirca etiam aqua mulsa ad sputũ educẽdũ est accommodata. Oxymel ea facilè deducit, quæ neq; tenacia, neq; crassa admodũ sunt: visceraq; sine molestia expurgat, morbisque thoracis & pulmonis mirificè cõducit. Ijs qui succũ crassum aceruant, vina tenuissima conueniunt. quòd si frigidi quoq; humores illi fuerint, tenuia & antiqua & cum acrimonia cõferẽt. Vinum verò aquosum ad humorũ ex pulmone eductionẽ aptũ est: roborat enim, & succos humectat, & secat mediocriter. Vinũ dulce in morbis acutis, veluti in peripneumonia, atque pleuritide, cùm iam sit facta cõcoctio, est ad vires reficiendas accõmodatũ.

Quæ res obstruunt. Cap. XXIII.

LAc in quo plurimũ seri sit, minimè periculosum est, etiam si semper eo vescare: quod verò seri parum, caseiq; multum habet, non tutum est ei, qui in eius vsu diu perseueret: renes enim, qui ad calculos generandos apti sunt, lædit: & iecinoris obstructiones facit in ijs, qui in eiusmodi morbos facilè possint incidere. Caricæ sunt iecori & spleni inflammatis noxiæ, veluti etiam ficus, nõ aliqua propria & excellen-

cellenti earum facultate, sed communi omnium dul cium ratione: omnia enim dulcia lienem & iecur ob structa, & scirrho laborantia lædunt: ipsæ verò suapte natura neq; obsunt, neq; prosunt vehementer: additæ verò ijs medicamentis in quibus abstergendi & incidendi vis est, non mediocrē vtilitatem affe runt. Aqua mulsa incómoda est ijs, quorū viscera in tumorem elata, aut scirrho, aut œdemate, ant inflam matione laborant: siquidem mel natura sua in biliosum succū celeriter mutatur. Papaueris semen ea re tinet, quæ ex thorace prodeunt. Palmulę pingues et dulces obstruūt: id quod virides magis faciunt. Præterea omnia liborū genera, et quę ex simila cóficiuntur, obturant, et lienem augent, et lapidē in renibus pariunt. Idē facit triticea farina ex lacte. Alica etiam incómoda est ijs, quorum iecur obstructū est, et quibus renes sunt lapidi generando idonei. Vinū dulce obturat, et viscerū tumoribus incremētum præstat.

Quæ tardi transitus sint. Cap. XXIIII.

Arde autem transeunt omnia quæ ex itrijs et similia conficiuntur, fabæ frictæ, panes puri, lens detracto cortice, cerebrū, spinalis medulla, iecur, cor, triticum coctum, oua cocta, et magis assata, et magis etiam fricta: lupini, phaseli, pisi, sesamum, erysimum, glandes, mala, pira non matura: siliquæ, vinum dulce, et magis quod austerum est, et nigrum sine dulcedine, itemq; crassum et nouum omne. Aqua omnis tardi transitus est.

Quæ facilè corrumpuntur. Cap. XXV.

Persica, armeniaca, pręcocia, facilè corrumpuntur. Omnes itē fructus horæi, quorū natura humida est, in ventre facilè vitiātur, nisi prius citò deijciantur, idcirco ijs ante cętera omnia vesci oportet: ita enim celeriter deijciuntur, et alia etiā deducunt. q; si post

alias dapes comedantur, eas etiam simul corrũpunt.

Quæ difficulter vitiantur. Cap. XXVI.

CHamulæ paruæ, purpuræ, buccina, & cætera omnia testa intecta. Quæ duram carnem habent, ijs qui propter humorũ malitiam cibos corrumpunt, dare consueuimus: eaq; bis & ter in optima aqua incoquimus, & in aliam puram transferimus. Eiusmodi quoq; sunt astaci, paguri, cancri, locustæ, squillæ, & quæcunq; carnem habent quæ difficiliter vitietur, non secus quàm testa contecta, quorũ caro dura est.

Quæ res in cibis aluũ moueant. Ca. XXVII.

ALuum subducunt, lens, brassica. Marina verò ferè omnia quæ testacea nominantur, compositam ex contrarijs facultatibus naturã habent: ipsum enim solidum vniuscuiusque corpus tardi transitus est, & ventrem sistit. Humiditas verò ad excernendũ irritat. Si quis igitur aut lentem, aut brassicã, aut aliud quoddã ex ijs marinis animalibus, quę dixi, coquat, deinde eius decoctum oleo, garo, & pipere cõdiat, tum potui det cui velit, ventrẽ eo potu subduci conspiciet. Quin etiam marinorũ erinaceorum, & conchularum omniũ, & veterum gallorũ iuscula cient aluum. Brassicam, si velimus aluum subducere, cacabo vnà cum aqua in qua fuerit cocta, propè collocata, extrahimus, & statim in oleum & garũ inijcimus: ea enim non est admodũ coquenda. Mouent aluum panes furfuracei, & quia in ventre multũ excrementi faciunt, & quia furfur abstergendi vim habet. Fœnigræci succus cum melle coctus, & sumptus, ad omnes vitiatos humores, qui in intestinis sunt, subducendos idoneus est: ea etiam vi abstergendi, quæ in eo est, cæteros ad excretionẽ trahit. Mel verò quod ei miscetur, parum esse oportet, ne morsum excitet. Oliuæ salitæ si ante alios cibos ex garo comedãtur,

aluum

aluum mouent. Quemadmodum testa intectis, ita etiam cochulis inest succus ventri subducendo idoneus: & propterea nonnulli eas ex oleo, vino, & garo parant, & iure, quod inde fit, ad aluum ciendam vtuntur. Lac, quod liquidius est, magis subducit: quod crassius est, minus. Serum lactis valde aluum mollit, eiq; tantum mellis addendum est, quantum satis sit ad condiendū citra stomachi subuersionem: eodemque modo tantum salis adijciendum, quantum satis sit, ne gustus offendatur: quod si velis magis subducere, plurimum salis in tenuissimum lęuorem redacti indito. Carnes animaliū quibus parum admodum ętatis accesit, ac magis etiam eorum extremitates, per aluum transeunt. Simili quoq; modo ex piscibus cartilagineis torpedo & turtur mediocriter transeunt. Beta & lapatium, vrtica, caseus recens cum melle, atriplex, blitum, cucurbita, pepones, melopepones, ficus, caricæ, vuæ dulces, & præsertim cùm humidæ fuerint, sicamina pura in ventriculum incidentia, & prę cęteris cibis sumpta, celerrimè subducuntur, & cæteris etiam cibis viam parant: post alios verò cibos accepta etiamsi vitiosum succum in ventriculo cōperiant, tamen æquè ac cucurbita, celerrimè corrumpuntur. Nuces recentes ad alui excretionem faciunt: sed & siccæ, si prius in aqua permaduerint, æquè ac virides faciunt. Pruna humida subducunt, sicca verò in aqua mulsa, in qua multum mellis sit, infusa, etiamsi quis ea sola comedat, satis abundè ventrem leniunt: sed multò magis si mulsam etiam ebibat. Est enim perspicuum facere ad ventris subductionē, vt postquam ea sumpseris, aliquo post tempore vinum dulce bibas, neq; statim prandeas. Mora, cerasia, præcocia, persica, & omnia humida, & aquea, & omnino quæ nullam insignem

habere qualitatē ea gustantibus & olfacientibus videntur, si rectè affectus sit ventriculus, facilè per infernas partes deijciuntur: si verò non, & ipsa supra cætera manent, nihil ventrem ad expellendum iuuant, quia nulla in eis inest acrimonia, aut nitrosa qualitas. Hæcq; eduliorum materia est quodammodo media, inter ea quæ aluum subducunt, & ea quæ sistunt, parum ad alteram partem vergens cùm vsuenit, vt neq; languidè ventrem subducat, neq; vali dè ad distributionem faciat: quandoque enim aluus sistitur, & ea quibus cohibetur, in alteram partem parū quid vergunt. Ex quo fit, vt aqua mulsa in quibus celeriter distribuitur, in ijs nō solùm aluum ad excernendum excitet, sed cæteros etiam cibos commistos deducat: si verò non properet distribui, statim irritet ad excretionem, quia habet aliquid acrimoniæ. Quin ipsum etiam mel solum, si quis non coctum lambat, aluum rectè subducit: aqua autem mulsa, parumper vel nihil cocta, antequam distributio fiat, subducetur. Oxymel imbecillius intestinum radit. Vinum dulce nonnihil adiuuat ventris excretionem: passum aluum subducit, itemq; oua recentia, si ex multo oleo primo loco sorbeantur.

Quæ res mediæ sint inter aluum purgantia, & subducentia. Cap. XXVIII.

MEdium verò locū inter purgantia & mollientia tenet mercurialis, per se, vel cum alijs oleribus cocta, & primùm in cibo sumpta, & cum eius iure absorpta. Itemq; polypodium, similiterq; alypum, cuius semen in potione acceptum ad cochlearis quantitatem, nigram bilem purgat. Pari quoq; modo cnici semen cōtusum, & succosum redditum cum aqua mulsa, aut iure gallinæ, aut amygdalis, & nitro, & aniso, & melli, & caricis commixtum.

Quæ

Quæ res aluum ſupprimunt. Cap. XXIX.

Almulæ auſteræ, vuæ auſteræ, mora rubi aluũ ſupprimunt. Rubi canini fructus magis etiã ſiſtit. Myrta ſylueſtria, pruna agreſtia, quæ etiam pruna appellantur, mala adſtringentia ventrẽ detinent: acida verò cùm in ventriculo ſuccũ craſſum inueniunt, eundem incidẽdo aluum ſubducunt, & ob eam cauſam fęces liquefaciunt. At ſi purũ ventriculũ inueniant, eum magis ſupprimunt. Quæ dulci ſucco ſunt prædita, ea ſine acrimonia facilius deſcẽdunt: aquea verò, & quæ expertia ſunt qualitatis, iniucunda ſunt, neq; quicquam commodi in ſe habent. Quod de malis dictum eſt, idem quoque de malis punicis, deq; piris dictum puta. Si quis lac excoquat ſerumq; conſumetur, aluum non ciebit: nam ſi lapides ignitos toties in lac immittas, vt ſerum conſumptum ſit, lac ita paratum adſtringet: idq; ijs, quorum acria excrementa ventrem morſu infeſtant, dare conſueuimus. Sed nõ minus etiam quàm ex lapidibus ignitis id facies ferreis orbiculis igne candentibus. Verùm lac, quod ita confeceris, in caſeum facilè coit in ventre: idcirco ei mel & ſalem admiſcemus: ſed tutius eſt aquam affundere. Neq; mirum videri debet, ſi cõſumpto ſero lactis, aquã adhuc affundimus: quia nõ ſeri humiditatẽ, ſed acrimoniam, qua ventrẽ ſubducit, vitamus & fugimus. Aſtaci, cancri, paguri, locuſtæ, ſquillę, & cętera omnia quę molli teſta intecta ſunt, aluũ ſupprimunt, ſed minus quàm ea quæ teſta ſunt intecta: habentq; hæc ſalſum in ſe humorem, quem ſi in aqua depoſuerint, non minus quàm oſtreorum, & aliorum teſta intectorum caro, ventrem compriment. Lenticula quoque & braſsica bis coctæ, & cùm ſuccum depoſuerunt, ventrem ſiſtunt: cúmque humidum vẽtrem exiccare in animo habemus,

brasicam mediocriter coctam, prima aqua abiecta, statim in aliam calidam inijcimus, & in illa iterum eam coquimus, donec flaccescat: idq; quod bis coquendum est, neq; aërem, neq; aquam frigidam debet contingere: si quidem nó poterit exquisitè flaccidum reddi, etiam si plurimum decoquas. Si corticem à lenticula auferas, vehementem adstringendi vim amittet, neque ita fluxiones quæ in ventriculo sunt, exiccabit. Si verò eam contundas, bisq; excoquas, priorem q; aquam abijcias, deinde modicũ salis, aut gari cõmisceas, & aliquid eorũ quibus aluus constringitur adijcias, ita vt gustus non lædatur, iucundissimum vtilissimum q; & medicamentum, & eduliũ parabis. Polenta ex vino austero pota exiccat. Oryza cohibet aluum, item q; panicum, milium, fricta omnia, leporis caro, vinum austerũ, & nigrum vacans dulcedine, album q; & austerũ, fuluum quoque & austerum.

Quæ res calefaciunt. Cap. XXX.

AT calefaciunt triticum coctũ, & panes ex eo confecti, tipha, auena, fœnum græcum, iuniperi baccæ, palmulæ dulces, poma dulcia, sesamum, erysimum, & ob id sitim inducunt: cánabis semen, vuę dulces, vuæ passæ dulces, malua mediocriter: apium, smyrnium, eruca, raphanus, rapa, radicula, napi, cardamum, pyrethrum.

Quæ res sint acres & calidæ. Cap. XXXI.

PAstinaca, daucus, carus manifestò calefacit. Allium, gummi, porrũ, ampelopra sum satis acria sunt, sed tamen bis terúe cocta deponunt acrimoniam. Caseus vetus calidus est, & idcirco sitim affert: vinum dulce mediocriter: fuluum est nigro calidius: flauum verò est omnium calidissimum, deinde fuluum, tum rubrũ, postea dulce: postremo album, minus

nus quàm cætera omnia calidum est, vetustissimum verò abundè calefacit.

Quæ res refrigerent. Cap. XXXII.

REfrigerat hordeum quibuscunq; modis conficiatur, milium, panicum, tubera, cucurbita cocta, melopepones, cucumeres, pruna, sycomora, austeræ & acidæ vuæ, & passæ. Mala non adstringentia frigidi & terrestris succi sunt, acida verò frigidum & tenuium partium succum habent: quę perfecta ἀπαθεῖα, hoc est, qualitatum expertia sunt, & veluti aquea. Idem de piris, & malis punicis iudicato. Non pauci quoq; sunt aliorum arborũ fructus qui refrigerent, & præsertim ij qui reponi & asseruari non queunt. Palmulæ adstringentes frigidum succum habent: lactuca, intubus, sed hæc moderatius: portulaca, papaueris semen, cuius si plurimum sumatur, soporiferum fiet. Eos autẽ quibus tenuis destillatio fluit à capite iuuat: in quo casu id quod candidius est, cæteris præstat. Myrta refrigerant, sed non vnà cum adstrictione: quandoquidem acrimoniam quandam habent. Solanum efficax est in refrigerádo & adstringendo. Aqua, vinum aquosum, nõ apertè calefacit: quam ob rem cum minore periculo febricitãtibus præbetur. Vinum autem album & austerum, minimè, vt inter vina numeratum, calefacit: quod verò album simul, & austerum est, itemq; crassum, & nouum, apertè refrigerat. Acetum quoq; tenuium partium est, & idcirco cùm intimas partes penetret, magis quàm alia refrigerantia neruos lædit. Porrò media quodammodo inter calefacientia & refrigerátia sunt panes loti, amylum, & vinosæ vuæ.

Quæ res exiccent. Cap. XXXIII.

LEns & brassica pariter siccant, & ob eam causam aspectũ obtundunt, nisi fortè cõtingat vt totus ocu-

lus sit humidior. Asparagus verò minus quàm brassi ca ipsa siccat: at aliorum olerum caulis est siccior. Contrà fit in raphano & rapis, & napis, cardamoq;, ac pyrethro, atque omnibus quorú acrem esse asparagũ contingit. Polenta siccat: viticis semen, eruum bis aut sæpe in aqua coctum, edulium exiccans fit: præstantius autem est album. Quod verò assatum, aut frictum estur, siccius alimentum præbet. Quæcunq; autem in aqua prius elixantur, humidius alimentum præbent: quæcunq; verò in sartagine condiuntur, medium inter hæc locum tenent: quodcunque autem plus vini & gari habet, siccius est, quàm id quod nõ habet. Alia sunt his longè inferiora: nam quæ defruti plus habent, aut in simplici & puro albo iure coquuntur, multò sunt prædictis humidiora: quæ verò ex sola aqua coquuntur, sunt etiam his humidiora: magnum enim discrimen ex ipsa conditura accedit seminibus, oleribus, & plantis: omnibus quidem exiccantibus, sed alijs magis, alijs minus, iuxta facultatem eorum, quæ eis adijciuntur.

Quæ res humectent. Cap. XXXIIII.

PTisana, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucumeres, nux viridis, pruna, sycomora, & sycamina non corrupta omnino humectant: non refrigerant autem omnino, nisi frigida sumantur. Humectat quoque lactuca, intubusq;, sed his debilius portulaca. maluà autem, & blitum, & atriplex magis aquea sunt olera. quinetiam alij plerique fructus aliorum arborum humidi sunt, ac præsertim ij, qui reponi non possunt. Iam & lactucæ, & papaueris semen humectat, itemq; fabæ virides.

Aqua humectat & refrigerat: ac calefacta, humectat, & calefacit.

Quo-

Quomodo sorbitiones coquendę sint. Cap. XXXV.

Quod quidem totum est deprauatum, & in eo multa desunt, nec restitui coniectura satis tutò poterant.

PTisana, vt decet, parabitur, cùm coquendo in tumorem fuerit elata: deinde lento igni coquatur, donec per multum ocium in succum abeat. Quo quidem tempore cùm planè intumuerit, acetū ei misce tur: cumq; probè fuerit cocta, sub edendi tempus sal tenuissimus est inijciendus: si verò oleum ab initio imposueris, coctioni nihil incōmodabis: aliud verò nihil admiscendum est, nisi porri modicū, & anethi, idq; in ipso statim principio. Quæ verò ex lentibus & ptisana cōponitur, rectè paratur, si maior lentium imponatur copia, & eodem coquatur modo: prętereaquam quòd satureia, aut pulegium ei adijcitur, fitq; edulium suauissimū. Ex cucurbita quoq; iucundissimus fit cibus, si cum aliquo salsamento ex ponticis, quæ mylla dicuntur, mandatur. Iis verò qui sunt ad continendos cibos imbecilliores, neq; sumere crassius alimentū queunt, optimum erit, alimentū aqua macerare, deinde coquere, deinde contundere. Potest ergo quispiam polentā, panemq; calidū macerare: panes enim cōfracti & macerati, plurimū facultatis, veluti caliditatis, amittunt: eorum verò decoctorum potio longè præstat, & multò etiam melius alimentū præbet. Hordeū verò quod febricitantibus dandū est, non est confricandum, sed lauandū, & in aqua coquendū: ac primùm quidē cùm intepuerit, aqua abijciēda est, tum alia adiecta coquendū: rectè autem coquetur, si decē aquæ heminas in vnam hordei heminā inijcias: coquitur autē donec hordeum crepet, deinde abijciatur tenuissima aqua, & melle admisto id per se potui detur: hoc enim & vētriculo

commodum eſt,& vrinam cit,& abundè nutrit.Datur item hordeum in polenta frictum, quod etiam καγλύδα appellant: ſed antequam maceretur,leuiter fricandum eſt, vt præuſta palea abſtergeatur: deinde macerãdum,& coquendũ eſt: magis enim,quàm quod antè dixi,ventrem cohibet. Ita etiam alimentum quodcunq; ægrotanti eſſe accõmodatum cenſetur,coqui poterit. Quæ verò ſubtrita ſunt,ea maceratis & coctis eſſe craſsiora & validiora videntur. poſſet autem omne ferè alimentum ſubteri. Similiter quoq; in potionibus,quæ dãtur. Panes verò ſiccos & recentes infundimus, & aqua emollitos conterimus,& ex linteo percolamus. Vt verò id album non videatur, addimus cucumeris ſemen frictum, itemq́; amygdala, & nuces pineas, & ſorba, & cum his ſingulis, vel cum aliquo eorũ, vel cum omnibus aniſi vel fœniculi ſemẽ admiſcetur, daturq́; id febri citantibus ex aqua mulſa:qui verò febrẽ nõ habent, ijs datur ex vino. Milium verò & panicũ contuſa,& maximè fricta,& detracto cortice,præcipuè conueniunt ijs,quibus venter bilioſa laborat affectione,& quibus multæ tenuesq́; excretiones per aluũ fiunt. Hæc autem cõtuſa in aqua ſunt reſoluenda. Nec minus eſſe horum debet,quàm quod acetabulũ contineat: aquæ verò acetabula decẽ. Cumq́; in ſuccum ſint redacta, per dẽſum linteũ excolãda ſunt, & vini auſteri modicũ eſt perfundẽdũ, & poſtea coquẽda: tum ita cõfecta ieiunis exhibẽda.Quinetiam accommodatũ fuerit vnà cum milio nuces Euboicas cum internis membranis vſquedum nõ admodũ ſuccoſæ reddantur,ſicuti miliũ contundere. Auena maximè omniũ leguminũ eſt ad concoquendũ accõmodata: & eius optima eſt ſorbitio.Fit eodẽ modo quo ptiſana,vt hemina in decem aquæ heminis incoquatur.

Quæ

Quæ res loco olei in sorbitionibus imponantur. Cap. XXXVI.

IN omni sorbitione, præter eam quæ ex lentibus fit, pro oleo aptum erit cucumeris semen crudũ eliquatũ. Ptisanæ verò ac cæteris decoctis, vel conus, vel nux, vel auellanæ, vel thasiæ nuces, vel amygdala miscentur. Iis verò quos perturbata aluus exercet, pro oleo papauer album leuiter frixum: idq; robur addet. Iam ad fluxum ventris castaneæ quoque cum interioribus membranis contritæ adhibentur.

De confectione alimentorũ. Cap. XXXVII.

SImila coquitur vt quartupla eius portio in decem aquæ heminas imponatur, parumque olei & anethi addatur. Pridie verò lauanda simila est. Panis aqua calida maceretur, quæ aqua cõtinẽter subinde commutetur: nõ omnis tamen panis pars infundenda in aquã est, sed interior. Huiusce rei terminus esto, vt non solùm panis intumescat, sed etiam vt fermentum euanescat, nec panis fermentũ redoleat. Ptisana coquitur, vt in vna eius parte quindecim aquæ partes sint: vsq; aũt coquitur, dum quinta pars remaneat, eaq; dissoluta sit. Itrium verò, & panẽ aridum coques donec in partes admodũ teneras abeat, & in mortario teres, & iterũ ex aqua, sale & oleo coques. Oua coquẽda sunt ex aqua, ea semper mouẽdo: mota enim neq; simul cohærent, neq; dẽsantur. Sed melius in posca coquũtur: nã ita remanent humidiora.

De aqua mulsa. Cap. XXXVIII.

MVlsa non admodũ vtilis est biliosis, in ipsis enim in bilem mutatur: ergo eiusmodi naturis mulsa dilutior cõueniet. Est etiã incõmoda mulsa ijs, qui viscera habẽt morbis opportuna. Porrò ita parãda mulsa est, vt octupla aquę portio melli admisceatur, coquaturq; donec spumam desinat emittere. Spumã verò

ſimulatq; orta eſt,ab ea perpetuò tollere conuenit.

De potionibus quæ vtiles ſunt ægrotantibus.

Cap. XXXIX.

FEbricitantibus optima potio eſt mulſa, vel oxymel,& aqua omni morſu vacans. Quæ verò adſtringendi vim habent, in ventris turbationib. non ſunt incómodæ. Porrò ad vomitũ ciendũ etiam mel admiſceri illis poteſt. Ac ęſtiuo quidẽ tempore mala in fruſta diſſecta in aqua infunduntur, donec ea colorem inde cótrahat. Similiq; modo cydonia mala matura ſecãtur in partes,& macerãtur: hęcq; pręcipuè dantur ijs qui bilẽ vomunt. Pira verò in aqua infunduntur, quæ adſtringẽtia,& dulcia ſunt. Myrta verò recentia vino dulci infuſa potionẽ quidẽ inſuauem, ſed tamen non mordentẽ,& lenẽ faciunt. Acini quoque vuarũ aridi in aqua macerantur: ſed eorũ decoctũ, cùm neq; acre neq; acidũ ſit, multò eſt vtilius.

De lactis potione ex Rufo autore. Cap. XL.

QVi lac potat, ab alijs abſtinere cibis debet, donec fuerit cócoctũ,& ad partes infernas deſcẽderit. Præſtat autẽ manè bibere lac recens mulctũ, & pòſt nihil ſumere: eoq; tempore nimios labores vitare. Neceſſe enim eſt vt in ijs aceſcat, qui ſe tum laboribus dedũt. Sed melius eſt quietè inambulare,& interim vigiles quieſcere: nam hoc pacto quamprimũ per aluum deſcendit. Vbi hoc deiectũ fuerit, aliud bibendum eſt: cumq; hoc deſcenderit, aliud deinde bibendum. In initio autem, nó quidẽ ex reliqua corporis mole, ſed quę in vẽtriculo ſunt, vtiliter purgat. Quare cófecta, venas mox ingreditur, ac optimè nutrit, neq; amplius deijcitur. In biliosis autẽ fluxionib.& cùm ad ventriculũ colliquationes confluunt, decoctum lac dandũ eſt: ac primũ quidem lentè & paulatim coquetur, vt pars deſcẽdat, pars cõſumatur: deinde

inde multò magis coquetur, adhibita diligentia ne aduratur, néue in caseũ coalescat: quod sanè diligentissimè curabitur, si leniter coquamus, & agitando quod secesserit, ex omni parte detrahamus. porrò serula leni & tenui agitãdũ erit. Si quid verò labris ollę adhęserit, id etiã spongia erit abstergẽdũ. Sępe. n. vsuuenit, vt ex eo totũ pręterea lac fuerit corruptũ. Quemadmodũ igitur dictũ est, lac vsquedũ crassius æqualiter dulciusq; crudo euaserit, percoquatur.

De Aquis, vt ab Herodoto autore traditum est. Cap. XLI.

QVæ autem virtus aquarũ sit, quodque vitiũ, scire nos oportet. Aquæ enim multiplicioris vsus sunt, quàm reliqua fermè omnia, ad victus rationem instituendã. Ergo sciendũ est optimã aquã esse eam, quæ nullã omnino qualitatẽ neq; gustatui, neq; odoratui afferat: quæ quidem est bibentibus iucundissima, & ad aspectũ pura videtur. Cùm verò præcordia celeriter permeet, nulla est quærenda præstantior: nam quæ in præcordijs diu moratur, ventremq; ferit, flatu implet, & prægrauat, licet ea bona quæ dixi habeat, ea tamen * semiuitiata existimanda est: siquidem neque citò calescit, neque citò frigefit. Quinetiam quæ in ipsa coquuntur, tardissimè coquuntur & peius: ergo melius est huiusmodi aquã experiẽtia iudicare. Aquæ, is qui iudicare voluerit, ex his ipsis signis facere coniecturã poterit: Aquæ enim quæ ad Septẽtrionẽ vergunt, Solemq; auersum habẽt, cùm tardiores sunt, tum verò etiã difficilius coquuntur, & tardè refrigerantur & calefiunt. Quæ verò ad Orientem Solem sitæ sunt, & per meatũ aliquem, aut terram ipsam fluunt, celerrimeq; calefiunt & frigefiũt, eas esse optimas sperãdũ est. Illę etiã bonę sunt, quę ęstate frigidiores sunt, hyeme verò calidiores.

* *Alius codex habet* ὑμῖν μοχθηρὰ, *id est, nobis mala.*

Nonnulli aquas põdere metiuntur, easq; quæ leues sunt, potiores putant: hoc si aquis, præter cętera, accedat, laudabile est: solum verò nó satis argumento est aquas bonas esse. Pluuiales autem, inquit Hippocrates, leuissimæ sunt, itemq; dulcissimæ, tenuissimæq; & limpidissimæ: quia Sol quod leuissimum tenuissimumq; est trahit: id quod non ex alijs aquis solùm, sed ex ipso etiam mari, & ipsis itidem corporibus facit. Quo circa aqua pluuia citissimè omnium putrescit, vtpote quæ ex diuersis & plurimis sit permista qualitatib. Sed nemo existimet aquam quæ facilè putrescit, esse pessimam: nam facilitas mutationis, potius virtuti, quàm vitio attribuitur. Ex quo conficitur, vt cùm aliæ optimarũ aquarũ notę adfuerint, etiam si facilè putrescat, ea sit cęsenda optima: & tamen cùm mutari incipit, bibentibus raucitates, tusses, & vocis grauitates affert. Ex pluuijs aquis æstiua, queq; ex tonitruo fit, prestãtior est, quàm quę ex nimbis est demissa. Quæ verò ex glacie & niue fiunt, pessimæ sunt: in aquæ enim cõcretione tenuis pars omnis excernitur. Porrò palustres ac fœtidæ, quæq; qualitatib. absurdis præditæ sunt, coquendo meliores fiunt: & bibẽdæ sunt vino mistæ, vt adstrin gentibus dulcius vinũ misceatur, alijs verò id quod magis adstringat. Vtile est etiã palustres, salsas, bituminosasq; percolare: at quæ valde frigidæ sunt, à cibo sunt potui dandæ, sed neq; confertim, neq; affatim, neq; sine vino. Nónulli potus atq; pastus inuenerunt, quibus aquarum vitium emendant: alij cicerum decoctũ prius bibunt, ciceribusq; vescuntur: alij caucalida comedunt cum aliquo piscículo cõctã: simili quoq; modo fœniculũ: alij deniq; betã & cucurbitã cum muria & vino diluto antè comedũt.

FINIS QVARTI LIBRI.

Quinti

QVINTI LIBRI ARGVMENTVM.

In quinto agitur de grauidis, nutricibus, infantium educatione, & de omni ætate, & de dentium, auditus, oculorumq; curatione: itemq; quomodo caro auferatur & reficiatur: & ibidem etiam temperaturarum cognitio, & curatio traditur.

HVIVS VERO LIBRI CAPITA SVNT HAEC.

Quæ grauidis eueniant. Ca. I.
De nutrice eligenda. II.
De lacte nutricis. III.
Quomodo lac vitiatum corrigatur. IIII.
Educatio pueruli. V.
De pustulis, quibus puellus afficitur. VI.
De tussi et grauedine eiusdem. Caput VII.
De pruritu gingiuarũ. VIII.
De ortu dentium. IX.
De vlceribus, quæ ἄφθαι dicuntur. X.
Ad femorum intertrigines. XI.
Ad aurium humores. XII.
De adustione, quæ siriasis nominatur. XIII.
Ratio victus infantium, & aliarum ætatum vsq; ad declinantes. XIIII.
De lassitudinibus, quæ ab exercitatione oriuntur. XV.
De adstrictione. XVI.
De lassitudinibus quæ per se obueniunt. XVII.
Senum victus ratio. XVIII.
Ad eos qui venereis vti non possunt. XIX.
De corpore rugoso. XX.
Vt corpus suauiter oleat. XXI.
Vt habitus calefiat. XXII.
Ad vitiatum colorẽ emendandum. XXIII.
Ad liuores. XXIIII.
Quæ dentes cõseruent. XXV.
Vt ne grauis auditus fiat. Caput XXVI.
Ad caliginẽ oculorũ. XXVII.
De repletione. XXVIII.
Ratio victus eorum, qui sunt negotijs occupati. XXIX.
Quibus cibi vitiantur in stomacho. XXX.
Victus eorũ qui iter faciunt. Caput XXXI.
Ex Erasistrato, quid faciendum peregrinãtibus in aquis cõmutandis. XXXII.
Victus nauigantiũ. XXXIII.
De ebrietate. XXXIIII.
De ijs qui rebus venereis ni-

mium vsi sunt. XXXV.
De refrigeratis. XXXVI.
De exustis. XXXVII.
Ex Galeno de pituita, quæ in ventriculo est. XXXVIII.
Ex eodem, quid in constitutionibus intemperatis faciendum sit. XXXIX.
Ex eodem, de carne minuēda. Caput XL.
Quomodo graciles reficiendi sint. Caput XLI.
Quomodo attenuatæ particulæ curari debeant. XLII.
Optimæ temperaturæ dignotio. Caput XLIII.
Corporum intemperatorū notæ. Caput XLIIII.
De capitis formatione. XLV.
Temperaturæ cerebri signa. Caput XLVI.
Vētriculi temperaturæ signa. Caput XLVII.
Pulmonis signa. XLVIII.
Temperaturæ cordis notæ. Caput XLIX.
Iecoris tēperaturæ dignotio. L.
Calidioris, siccioris, atq; humidioris intemperiei corporis correctio. Caput. LI.
Intemperiei frigidæ correctio. Caput LII.
Curatio siccæ intemperiei ventriculi, quæ velut exemplum reliquarum curandarum proponitur. LIII.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER QVINTVS.

Quæ grauidis eueniant, deq; earum victus ratione. Cap. primum.



VONIAM hæc præcipuè grauidas infestant, nauſea, continuus vomitus, ſputa, ſtomachi eroſiones, & cibi faſtidium, nō ab re fuerit, eis remedia prę-ſcribere. Ambulationes ergo, cibi neque admodum dulces, neq; admodum adſtringentes, vina fulua, odorata, quinque annorum, maxima ſunt remedia. Vt medicamentum autem herbæ ſanguinalis

guinalis decoctũ bibant. Prodest eodem modo anethum & pǒtica radix, quam rha patrio vocabulo nominant: hęc & ante & post cibum sumi possunt. Extrinsecus autẽ præcordijs imponitur cataplasma ex œnanthe, balaustio, cytiſi, & smyrnij coma, fœniculi semine promiscuè: poteris eadem cum palmulis & vetere vino permiscere. Stomachi autem erosiones aquæ calidæ potus leuabit: cõfert etiam quietè ambulare, præcordiaq; lana molli fouere. Eas verò quę cibũ fastidiunt cohortaberis, vt varios & iucundos cibos, & amylum siccum edant: idq; magis erit offerendum ijs, quę terram edere cupiunt. Appetitũ excitant etiam labores, & longior peregrinatio. Quæ verò quietã agere vitam consueuit, ea cùm grauida est, ægrè repẽtinos motus fert. porrò acria quãdoq; gustare, præsertim sinapi, conueniet ei, quæ cibi fastidio teneatur. Ad magnos autẽ pedũ tumores confert anthyllis aceto excepta: itemq; cõmodũ est superimponere folia brasicæ latiora, & affectũ locum creta cimolia ex aceto illinire: alumen quoque cum aceto erit accõmodatũ. Iam verò mala quæ medica nominãtur, aquę incocta pedib. vtiliter admouẽtur.

De nutrice eligenda. Cap. II.

NVtrix eligenda est nullo affecta morbo, quę neq; nimis iuuenis sit, neq; nimium ætate processerit. Iunior autem sit quinque & viginti annorum, & vndetriginta: quæ verò grandior sit, trigintaquinque annos sit nata. Pectore amplo sit, mammis magnis, papillis neq; conniuentibus, neq; auersis. Habeat autem reliquum corpus neq; admodum pingue, neq; nimium gracile. Magnum etiam est infanti commodum, nutricem nõ multò antè peperisse: & maius, si marem. Caueat nutrix valde siccantia, salsaque, & acria, & acerba, & acida, & amara, quæq; vehemẽter

calefaciunt: itemque odores fœdos, & præter modum suaues, & condimenta, & cætera acria. Iam verò à venereis abstineat, manusq; & humeros exerceat, id quod molendo, texendoq; faciet. Puerulum verò trimestrem, aut quadrimestrem vlnis gestet.

De lacte nutricis. Cap. III.

LAc præstantissimum est, quod spissitudine, copia, colore, odore, & gustu moderatum est. Illud etiam commendatur, quod in vnguem pollicis stillatum, & in luce spectatum, vngue inclinato, neq; citò, neque tardè defluit. Probari autē hoc etiam pacto potest: lacti in vas vitreum infuso, coaguli portio misceatur, digitisq; agitetur, atq; ita permittatur donec cogatur: deinde inspiciendum est, vtrum minor sit pars, quæ in caseum concreuit, quàm ea, quæ in serum abijt. Quod si sit, vtile erit lac: si contrà, erit concoctu difficile. Quod verò æquam vtriusq; portionem habebit, id erit probatissimum.

Quomodo lac vitiatū corrigatur. Cap. IIII.

LActis vitia corrigenda sunt hoc modo. Si crassius sit, pituita vomitu eliciatur: optimum verò erit oxymelite vomitum ciere. Eadem quoq; laboribus, qui cibum præcedant, tenuanda est: ac tunc quidem origanum, hyssopū, satureia, scandix, & thymū, itemq; radiculæ parum, & vetus salsamentum cum oxymelite accōmodata sunt. Si verò acrius, tenuiusq; fiat, multis laboribus alleuanda nutrix est: sorbitionibusq;, ac suillis carnibus est reficienda, sapaq; & vinum dulce potui dandum. Si diminutum lac fuerit, & sorbitiones erunt offerendæ, & vberius erit alenda: vinum dulce propinandum, pectus & mammæ confricandæ: nonnullis etiam affixa cucurbita mirum in modum auxiliata est. Medicamenta verò, etsi ad lac gignendum proficere aliquid cognoui, tamen

men ijs continenter esse vtendum nō censeo: vehementius enim liquefaciunt. Ea sunt, fœniculi radix & semen ptisanæ incocta, cytisi folia in vino nigro, aut ptisana: melanthium in vino dulci, itemq; anethum, pastinacæ radix, & fructus: hæcq; calida prius persperſa ita sunt prębenda. Omne verò lac malum, siue crassum sit, siue acre, siue fœtidum, puerum qui ipsum prius suxerit, eadem inficit qualitate: acre autem lac ieiuno nunquā dandum est. Corrigere verò lactis fœtorē vinum odoratū, & cibi suaues possunt.

Educatio pueruli. Cap. V.

PVer nuper in lucem editus melle primùm nutriatur: deinde lacte bis in die, aut ter ad summū: cumq; id alacriter puer assumit, spesq; est eum esse concocturum, tum cibus iam offerri potest, qui ipsum non impleat. Si verò nobis ignaris impleatur, statim ad somnū procliuior & segnior efficitur, venterq; intumescit & inflatur, & vrina redditur aquosior: quibus notis perspectis, nihil dandum est prius, quàm quod in ventre habet, consumpserit. Satis erit biennū lacte nutrire: deinde verò ad cibos trāseūdū est.

De pustulis, quibus puer affectus est. Cap. VI.

PVstulas quæ circa pueri cutem oriuntur, primùm ita sinemus: cùm verò valde creuerint, tum est ei adhibenda curatio: ea fiet balneis, in quibus myrti, aut lentisci folia, aut rosæ incoquantur: deinde rosaceo, aut lentiscino erit vtendum, & item cerato cerussato, leniterq; nitro abstergendum: neq; enim puer ferret vehementiora. Erit etiam accommodatissimum, nutrici victus ratione ex dulciorib. instituere. Optimum quoque fuerit, si pueruli ipsum ita educemus, vt neq; expleamus, neq; nimis tenuem victum præbeamus. Si pueri aluus adstringatur, mel cibo erit affundendum, & simul coquendum. Si verò neq; ita

deijciat, terebinthinæ quantum ciceris magnitudinem impleat, adijciemus. aluo autem humectata, milium præcipuè offerendum est.

De tussi, & grauedine infantis. Cap. VII.

SI verò tussis aut grauedo quandoq; puerum exerceat, linctus ex melle, qui mellitissimi dicuntur, offerēdi sunt. Puero igitur multa aqua calida loto, caput eius copioso melle calido illinendum est, deinde lingua digito comprimenda: ita enim magnam pituitæ copiam vomet.

De pruritu gingiuarum. Cap. VIII.

SI quis puritus gingiuarum puero contingat, fotu vtendum est, & liberaliore etiam vnctione ex oleo non cocto, in quo parum ceræ liquefactum sit.

De ortu dentium. Cap. IX.

DEntes septimo mense oriuntur, ac tum quidē inflāmationes gingiuarū, maxillarū, & tēdinū, & quandoq; etiam cōuulsiones subsequūtur: tunc nihil puero dandū est, quod masticatione indigeat. Gingiuas autē continēter digito præter lauacrū contrectare, adipeque gallinaceo, vel leporis cerebello emollire oportet. Vbi verò dētes iam eruperint, ceruix, caput atq; maxillæ delicatis lanis puris inuoluūtur, oleoq; dulci & calido fouebūtur, quod etiam in meatus auditus instillabitur: quo sane tēpore puer eritvberius alendus, & aqua calida lauādus. Si verò profluuium ventris fiat, id epithematib. quæ præcipuè sistunt, cuminū, aut anethū, aut apium lanę inspergendo, inhibere tētabimus. Proderit etiam rosarū semen admiscere, & summatim calidis exiccare: at si nihil vēter deijciat, melle in glandis formā coacto leniter irrita bitur: aut calamintha cum melle trita illinetur. Conuulsionib. autē puerorū auxiliari potissimū videtur heliotropiū aqua incoctū, si in ea puer lauetur. Vtile quoq;

quoq; est irino, aut cyprino, aut sicyonio perungere, & totũ calefacere. Cùm verò exortis dentib. digitos vulnerat, benefaciet iridis radix derasa, nec multum sicca ore detẽta: id quod etiam vlcerib. auxilio est. Iam verò butyrũ etiam cum melle illitũ prodest.

De vlceribus, quæ aphthæ dicuntur. Cap. X.

VLcus oris, quod aphtha dicitur, puero oritur modò subalbidum, modò subrubrum, modò nigrum veluti crusta: ac nigrum quidem pessimum est, & maximè mortiferum. Succurrit autem iris cum melle, & si velis siccam inspira: & rosarum folia contusa, & rosarum flos, & crocum, & myrrhæ portiuncula, & galla, & thus, & cortex thuris: & simul, & singula per se melle intincta. Præterea mulsa, & mali punici dulcis succus conuenit.

Ad femorum intertrigines. Cap. XI.

FEmorum intertrigines myrto arida, cypero, & rosis inspergendæ sunt.

Ad aurium humores. Cap. XII.

AVrium humores exiccat lana ex alumine imposita, aut vinum mulsum, aut vinum vetus instillatum, aut crocum ex vino tritum.

De adustione, quę siriasis appellatur. Cap. XIII.

ADustio est inflammatio partium circa cerebrum & eius membranas, in qua sinciput cauum efficitur, & caui cum pallore oculi, corporisq; siccitas fit. Remedio est, vitellus oui cum rosaceo sincipiti impositus ad modum linamenti, vt cõtinenter cõmutetur.

Ratio victus infantium, & aliarum ætatum vsq; ad declinantes. Cap. XIIII.

INfantes, quiq; lactentes nõ sunt, sinendi sunt vt liberius & hilariter viuãt: exercitationes, atq; alimenta lenia sunt eis præscribẽda: ab anno sexto & septimo pueri & puellę literatoribus blandis humanisq;

tradentur:ita enim quieto animo,& iucundè perdiscent. Atq; animi quidem quies ad bonam corporis educationem valet plurimùm. Cùm duodecimum annum agunt, ad grâmaticos iam & geometras adducendi sunt,& corpus exercendum est. A quartodecimo anno vsq; ad vigesimumprimũ annum, exercendi erunt in mathematicis disciplinis, & philosophiæ studio: & propter corporis robur plures exercitationes erunt eis imperandæ,vt animo & corpore laborantes, venereis vti prohibeantur: his etiam auferendum vinum est. Aetati florenti absoluta victus ratio animi & corporis conuenit:idcirco omnibus exercitationibus,ac præsertim quibus quisq; assueuit, itemq; cibo pleniore, & qui boni alimẽti sit, vtendũ. Declinantibus verò cõuenit victus ratio & animo & corpori debita. Exercitationes enim,qualescunq; sint,pro horum ratione subtrahendæ sunt: cumq; eorum habitus frigescere incipiat, alimẽtum est diminuendum.

De lassitudinibus quæ ab exercitationibus contrahuntur. Cap. XV.

LAssitudo quę vlceris sensum inuehit,ex copia excrementorũ tenuium simul & acrium oritur:quę verò tensionis sensum repręsentat,in qua tendi partes corporis videntur,nullum quidem excrementũ notabile inesse in corpore indicat,sed in neruis & musculis affectio quædam exiſtit, qua videntur tendi, etsi minimè tenduntur. Ea verò quæ inflammationi similis est, in qua veluti contusas, & inflammatione obsessas partes sentimus, tum solet incidere, cùm musculi nimium excalfacti quippiã ex circunfusis sibi excremẽtis attraxerunt.Est etiam alia quarta quę dam affectio,quę oritur cùm musculi vltra debitum exiccantur: vt cùm se homines exuerint, squalens con-

contractumq; corpus & ad motus pigrum videatur. Remediũ verò eius quæ vlceris sensum præ se fert, erit excremẽtorũ euaporatio, quę fiet frictione multa, molliq́ue cum oleo copiosiore, in quo nulla adstringendi vis insit. Altera verò lassitudo, in qua tensio sentitur, pro remedio relaxationem postulat. Relaxatur autem quod distentum est, tum pauca molliq́ue frictione ex oleo dulci, & apricato, tum verò omni intermissione & quiete, & balneis tẽperatis, atq; in aqua calida mora diuturniore, adeò vt si bis, & ter etiam laueris, plus sis profecturus. Sanationi verò tertiæ lassitudinis sunt tria proposita: superua canei euacuatio, distenti remissio, & inflãmationis refrigeratio: ergo & oleũ copiosum, & tepidũ, molliſsimæq; frictiones, & in aquis tẽperatis mora longiſsima, huiusmodi lassitudines curat. Multa itidem quies, assiduaq; inunctio idem præstat. Quarta denique affectio primo die nihil sanè diuersum à superioribus postulat, nisi calidiorẽ aquam, quæ sensim contrahat & roboret cutim, secundo die apotherapiæ exercitationẽ. In balneis verò ex calido solio in frigidam protinus exiliant. Porrò quicunq; lassitudine grauantur, boni succi nutrimentum postulant.

De adstrictione. Cap. XVI.

ADstrictio oritur aut obstructis meatibus, aut densatis. Deprehẽditur autem protinus, vbi se exuerint ex colore albo, & cutis duritie ac densitate: in exercitatione verò ex eo, quòd ægrè incalescant. Remedium huius affectionis est calefactio: ergo valentiore exercitatione, & balneis calidioribus vtendũ est. Mora verò in frigido solio diuturna ne sit: sed nec ipsa aqua valde sit frigida. Induendi autem vnguntur aliquo, quod mediocriter calfaciat, vt oleo dulci & tenui. Cutis etiam densitati sanandæ satis est

oleum anethinũ, præsertim si ex anetho viridi fiat. oleum quoq; ex populo nigra cõfectũ ad idem facit.

De lassitudinibus quæ sponte sua nobis irrepunt. Cap. XVII.

QVoniam lassitudo quę vlceris naturam refert, ex acrium excrementorum vitio oritur: si vitiosus humor paucus omnino fuerit, apotherapię exercitatio sufficiet: si copiosior sit, & altius in corpore resideat neq; exercitationem hanc, neq; aliud genus exercitationis, neque motum vllum penitus iniungemus, sed quies, somnus, & inedia diei totius imperabitur: deinde vesperi pingui vnctos, & temperato balneo lotos, exiguo boni succi cibo & sorbili alemus. Sed neq; à vino erunt abstinendi: hoc enim, si quid aliud, semicrudos humores cõcoquit. Si ergo ex his malum conquieuerit, homo ad consueta munia paulatim erit adducẽdus. Si verò postero etiam die perseueret, iam validioris remedij ineunda est ratio. Si vires constiterint, duorum alterum erit faciendum, aut sanguis mittendus, aut exhibenda purgatio distinctione adhibita, vtrum magis oporteat. Si vires sint imbecillæ, sanguinẽ quidem nullo pacto detrahemus, sed tamẽ moderatè purgabimus. Si verò permagna sit humorum crudorum copia, tum neq; sanguinem mittere, neq; purgare, neq; exercere, neque penitus mouere, neq; lauare conuenit: sed in omni quiete seruandi sunt, dandaq; esculenta, & poculenta, ac medicamẽta, in quibus attenuandi & incidendi absque manifesto calore vis insit: ergo victus ex oxymelite, portiunculaq; ptisanæ instituetur, nonnunquam verò aquæ mulsę parum offeretur. Et quoniam omnibus his turgida, inflataq; præcordia sunt, & quicquid sumpserint in flatus facilè conuertitur, præstabit cibo piper admiscere. Sed erit etiam accommo-

commodatius vti medicamẽto, quod dioſpoliticon dicitur: & eo, quod ex tribus piperibus ſimplex conficitur. atque oxymel eſt eis vtiliſsimum. Pro potu vtãtur apomelite, & præſertim vbi coacuit: & vino quod leuiter aceſcit: & cibis veſcãtur attenuantibus ſine calore, qualis eſt capparis, ſi ex oxymelite, aut oxeleo ſumatur. Laſsitudo verò tenſionis ſenſum referens, cùm ſine exercitationibus incidit, copiam ſolidas corporis partes diſtendẽtem indicat. Cùm verò ſanguinis copia ſubſit, perſpicuũ eſt, optimũ eſſe aut venam incidere, aut malleolos ſcarificare. Spontanea autem laſsitudo, in qua vlceris ſenſus nobis ſe offert, ne paucis quidẽ horis, nedum duobus aut tribus dieb. ita lentè occupat, ſed protinus febrim vehementiſsimã inducit, niſi præueniendo ſanguinem detrahas. Melius autẽ erit, ſi fieri poterit, bis eodem die ſanguinem mittere: primùm autem ita euacuabimus, vt ne animi defectionẽ inducamus: ſecundo verò loco, ne ipſa quidem animi erit formidanda defectio. Qui verò ita affecti ſanguinis miſsione vacuati non fuerint, ij vt ſeruentur, bona fortuna indigent.

SEnum victus ratio. Cap. XVIII.

SEnectus ſicca & frigida eſt: calefacientibus & humectantibus corrigitur. Eiuſmodi ſunt calida dulcium aquarum balnea, vini potio, & cibi omnes humectandi ſimul & calefaciẽdi facultate præditi. Fricandi ſunt ſenes poſt ſomnum cum pinguedine aliqua: deinde ambulare & geſtari citra laſsitudinẽ debent. Imbecillioribus ter in die dandus cibus eſt: ac tertia quidẽ hora panis modicũ cum melle attico: ſe prima verò cùm frictione, & exercitationib. cõgruis vſi fuerint, atq; loti, primũ ſument quæ aluum molliunt, deinde piſces, vel aues: poſtea verò in cœna aliquid optimi ſucci & quod nõ facilè vitietur. Nõ pro

hibeo etiam eis vinorum ex melle paratorum vsum, præsertim ijs senib. quibus suspicio est calculi in renibus gignendi, aut podagræ: tuncq; petroselinum in vinum conijciendum est. Si quãdo verò ob pituitam in ventriculo obortam, cogimur aliquid ex ijs quæ eam incîdant, eligere, ad humectantem victum sine mora est reuertendũ. Eis verò ficus maturas ante alios cibos dabimus, hyeme verò caricas, si nullum vitium in dextra præcordiorum parte sentiant. Quoniã autem tum serosa, tum pituitosa excrementa in senum corporibus aceruantur, vrinas moueri quotidie cõuenit, & aluum soluere, præsertim oleo ante cibum absorpto. Perspicuum autem est, omnia olera ex oleo garoq; ante cibum sumi oportere. Si verò aluus præter modum sit adstricta, mercurialis, & cnicum, ad eam ciendam sufficient. Facit etiam terebinthina, eaq; sumenda est quãdoq; ad vnius auellanæ, quandoq; ad duarũ, quandoq; verò ad trium magnitudinẽ. Oleum quoq; clysteri infusum ijs, quibus aluus adstricta est, summam affert vtilitatem.

Ad eos qui venereis vti nõ possunt. Cap. XIX.

PVdenda continenter pinguedine vngenda sunt, cui adiuncta sit exigua narcissi radicis portio, aut grani gnidii, aut pyrethri, aut vuæ taminiæ, aut viticis. Erigetur etiã penis, si quis succi cyrenaici quantum milij magnitudo est, ei imponat. Ante cibum verò prodest bulbos assatos, rubentes, exiguos, cum sale & oleo: aut mazam frictam cum salsamento, aut denique scillæ tabefactæ modicum edere.

De corpore rugoso. Cap. XX.

RVgas corporis expellit erui farina viti albæ admista. Aliud smegma, quod continuè illinitur. Ficus pingues cum bryonia contusas, farinam erui, aut sepiæ testam vstam cum modico melle instillato.

Vt cor-

VT corpus suauiter oleat. Cap. XXI.

VT verò corpus suauiter oleat, eidem vnctioni mi scenda est cupressi coma arida & contrita, aut pini cortex. Illud verò meminisse oportet, vt manè postquam stolam induerint, parum casiæ, aut herbæ sabinæ gustent.

VT habitus calefiat. Cap. XXII.

AD habitum corporis calefaciendum hoc puluere in balneo vtitor. Habet verò nepitam, sampsuchum, hyssopum, lauri baccas, rorem marinũ, lapidem pyritem, salem, fęcem vstam, nitrum, pumicem, pro cuiusq; ratione: itemq; modicum sinapi, vuæ taminiæ, & grani gnidij. A balneo verò vtendum erit acopo, quod calefaciendi vim habeat.

VT Ad vitiatũ colorem emendandũ. Cap. XXIII.

VItiatum corporis colorẽ vita iucunda, cibus suauis emendat: cibo autem admiscere oportet radiculam, porra, viride cicer. Bonum etiam colorem facit dulcis mali punici succus absorptus. Prodest etiam oleum, cui bryoniæ radix diu sit incocta: id quod ad corporis quoq; cutim intendendã valet. Smegmatis porrò admiscenda sunt glutinãtia, quę ex aliquo abstergentiũ fiunt, farina, bulbo narcissi, & bryonię radice: quæ res corpus etiam intendit. Bene etiam colorant, si copia suppetat, amaræ amygdalæ radix & semen in aqua cocta, & in balneo adhibita.

Ad liuores. Cap. XXIIII.

LIuores constare prohibebimus, si cutem crassam, & iniurijs minus patentem, & habitum valde admodum calidum effecerimus. Quod vt celerius fiat, sale in balneis super ea parte, quæ nigrorem contraxerit, vtemur: deinde verò eandem partem spongijs in decocto radiculę aut absinthij madefactis fouebimus.

Quæ dentes conseruant. Cap. XXV.

DEntes integri manebunt, si quis faciat hæc. In primis caueat ne cibos corruptos edat, ne continenter vomat. Caueat escas dentibus incommodas, quales sunt ficus siccæ, mel coctum & valde durum: palmulæ quæ difficiliter franguntur: quæcunque glutinosa sunt & vix frangi possunt, ita vt dentes moueant: quæ denique stuporem dentibus inducunt. Post cibum verò dentes quoque purgare oportet.

Vt ne grauis auditus fiat. Cap. XXVI.

NE grauis auditus fiat primũ conducit sordes quę in auditus meatu sunt, abstergere: per interualla autem linum dropaci intinctum in meatum inijcere, & expressum euellere: meatus enim ita valde purgatur, & auditus auribus restituitur. Deinde autem aliquid ad erui magnitudinem indere, & meatum per vnum diem obturare conuenit: eo exempto vngere diebus quinq; oleo amygdalino, aut nardino, aut chamæmelino, aut pinguedine anseris, cum exiguo fellis bubuli. Post verò id tempus sinapi & ficus conteres, factumq; ex eis collyrium ad duas horas imponas: deinde eximes, oleumq;, quod in asphodeli radicis succo deferbuerit, infundes.

Ad caliginem oculorum. Cap. XXVII.

NE tenebræ oculis offundantur, cùm in aquam frigidam quispiam se mergit, oculos in eadem apertos diu teneat: aspectus enim inde robur sumit. Oculi non sunt lectione fatigandi. Vinum crassum & dulce vitent, itemque cibos qui in ventre superiore diu morantur: qui difficiliter cõcoquuntur, humoresq; lentos & crassos gignunt: atque etiam erucam, porrum, & omnia, quorum acrimonia ad superiores partes fertur. Supinum quoq; decubitum diuturnum, frigus, ventosq; contrarios, & fumum & puluerem fugiant.

fugiant. Porrò aquam ita confectã quotidie ad mensem & diem vnum oculis instillent. Fœniculum viridein vas fictile foris picatũ cum aqua pluuia conjicitur: fœniculo extracto reliquum reponitur.

De repletione. Cap. XXVIII.

MAxima ex repletione in cibis noxa contrahitur: quamuis enim vẽtriculus probè concoquat, tamen venæ supraquam par est expletę laborant, distẽduntur, rumpuntur, obstruuntur, & flatu implentur. Tibi verò planè persuadeas repletionem pessimarum ægritudinum causam esse. Cùm igitur venter expletus est, id quod superfluit, tum per superiores partes vacuatur, tum per infernas excernitur. Sed id omnino est imbecillius ea repletione quæ in venis est, non tamen est admittendũ: sed si quis plura ingessit, statim debet euomere: periculum enim est, ne facta concoctione venę expleantur: atq; etiam magis, cùm immoderato potu atq; pastu se cõtinenter expleat, nec vllam interim inanitionem moliatur. Vomitus autem ciendus est antequam cibus corrumpatur: quòd si aliquid impediat ne vomitus excitetur, aluus soluta sępe iuuit: si ea non fluat, plurimum dormiendum est, & aqua calida potui frequenter danda. Cùm verò abundè sit facta concoctio, præsertim si aluus deiecit, tum & lauare, & fomentis vti, & parum cibi dare, & potionem dilutam offerre licebit: at si neq; aluus deiecerit, neque statim sit facta concoctio, ad hæc verò, reliquum corpus graue, segne, & somniculosum sit, & aliqua etiam inertia præter rationem mentem occupet, hæc inquam omnia repletionem in venis esse commonstrabunt. Qui verò præterea lassitudine premuntur, eos, dum ventriculus concoctionem obiuerit, quiescere oportet: deinde verò laboribus inaniendi sunt.

Ratio victus eorum, qui sunt negotijs occupati,
Ex Galeni commentarijs. Cap. XXIX.

CVm quispiam negotijs occupatam vitam ducit, considerandum est, vtrum superiore vitæ tempore exerceri cõsueuerit, an exercitijs peractis lauari, an minimè exercitatus, huiusmodi consuetudinem moderatè ferat, vt cùm trãspirabile corpus habeat, non continẽter ægrotet. Hæc enim corporis natura non est ad aliam consuetudinẽ traducenda: vt nec etiam eorum, qui ex lõgo temporis interuallo in morbum incidunt. Si verò quispiam ægrotare cõtinenter videatur, si ex humorum redundantia id eueniat, tibi propositũ sit, rationem victus salubrem ita instituere, vt semper moderatos humores habeat: si verò ex vitiatis humoribus, vt optimos. Qui igitur succos omnes æqualiter coaceruant, ij plane in balneũ sunt ducendi, deinde fricandi, & paululum prius dimouendi: qui verò hęc antea facere cõsueuerant, ijs eadem parũ augere, cibi aliquid subtrahere, & cibos, qui parum nutriant, esse consulemus. In ijs verò qui humores prauos colligunt, nõ vnum propositũ est, quia neque etiam vna est prauorum humorum species: nonnulli enim frigidiores, magisq; pituitosos colligunt: ergo & à cibis, & à potibus ijs arcebũtur, quicunq; collectum in eis humorẽ promptè genera re consueuerunt. Sed & alui subductio horum omnium est commune præsidium.

Quibus cibi vitiãtur in stomacho. Cap. XXX.

CIbis in stomacho vitiatis, si quæ corrupta sunt deijciantur, erit maximè compẽdiaria ad sanitatem via: sin minus, ijs quæ leniter subducunt, irritãda aluus est. Ijs, qui ita sunt affecti, vomitus ante cibum, isq; vini passi potione excitus, prodest. Hoc etiam consilij dandũ eis est, vt nihil assumant, quod nidorem

rem afferat, vel grauiter oleat, aut omnino cibũ, qui facilè corrumpatur: ea verò quæ boni succi sunt, deligant. Eis etiam ex moderato tẽporis interuallo aluũ subducere, rebus moderatè purgantib. expediet.

Victus eorum qui iter faciunt, ex Dioclis sententia. Cap. XXXI.

ITer facilè cõficiet qui vnctus sit, & nõ magno impetu proficiscatur: per æstatem verò fascia tenui sex aut septem digitos lata, non minus autem quinq; cubitis longa, lumbos ad ilia vsq; complectatur. Baculus quoq; ad iter est vtilis: in decliuibus enim locis præmissus, corpus quod præceps ruit, tanquam basis quędam continet: in accliuibus verò eidem innixi, corpus facilè ad ascẽsum promouemus: nam hoc scitũ est, minus labi eum, qui tribus, quàm qui duobus firmamentis nixus incedit. Cùm verò in itinere cessamus, eo tempore vnctio, & parum cibi ex fructibus, qui æstate suppetunt, & modica potio conuenit. A prandio requiescendũ est antè quàm in viam se dare. Quòd si necessitas cogat festinare, sitisq; vrgeat, tenuis polenta ex aqua & exiguo sale potui detur. Iam verò Solis æstus, atq; ardores cauendi sunt, neq; corpus nudum ei est exponendum, sed contectum, ne siccescens indurescat, præterquã quod ex itinere fit: ita enim & minus lassitudine fatigatur, & nullam ex affectionibus antè dictis pari ratione persentit. At hyberno tẽpore cùm frigus est, antequam viæ te committas, aluum subducere, inungi, hyberni cibi non multũ sumere, atq; exigua potione contentum esse oportet. Fascia quoq; longiore non modò lumbos, sed etiam spinam & pectus rectè & diligenter obuolues. Cùm verò requiescis, tali prędio firmatus, si vehemens frigus sit, neq; vngi, neque cibum, neq; potũ gustare est melius: quin neq; etiam

alia quauis ratione te fouere, nisi ibidem sis perman surus. Post longiverò itineris confectionem, aliosq; vehementes labores, etsi lassus quispiam non est, tamen non secus quàm ij qui lassi sunt, curandus est: sic enim minus incommodi quidpiam accidit.

Ex Erasistrato quid faciendum sit peregrinantibus in aquis commutandis. Cap. XXXII.

AQuis in quibus nitri qualitas & salis inest, plurima eorum quę odorata sunt, quęq; vrinam ducunt, miscere optimũ est ei, qui potaturus est: qui verò to tam aquam immixtã bibit, non multum debet bibere: hac enim ratione ab aquarũ malitia minus ei molestiæ afferetur, cùm ipsi aquæ succos consuetos, & aquarũ malitiæ plurimùm repugnantes miscebit, & totius aquæ non multũ potabit: cæteraq; quæ ad victum pertinent, cõuenienter aquæ mutationi simul etiam cõmutabit. Decet quoq; eos qui peregrinantur, aëris, & cæterorũ omnium, quæ offeruntur, habere rationẽ: quæ enim aduersam valetudinẽ allatura sunt, vel ex nimia copia alimenti, vel ex succorum malitia, vel ab aëris inspiratione causam ducunt.

Victus nauigantiũ ex Diocle. Cap. XXXIII.

VOmitibus, qui nauigantes infestos habent, quiq; primùm oriuntur, neq; facilè, neq; vtile est succurrere: omnino enim iuuare cõsueuerunt. A vomitu autem neq; multi, neq; quiuis cibi sunt offerendi: sed vel lenticula sicca & decocta, cui pulegij modicum additũ sit, vti: vel pane macerato in vino diluto, atq; odorato, potuq; modico, eoq; vel ex vino prorsus diluto, vel aceto mulso. Lentes autem coquendæ sunt, deinde cùm molles fuerint, ad læuorem redigendæ, tum siccandæ, atq; ita in vas fictile reponendæ. Si verò vomitus diutius & crebrius infestent, cibo qui vehemẽtius eos cohibeat, vtẽdũ erit, itemq;

modica

modica potione, quę ex aceto mulso cum aqua constet, in quo thymũ, aut pulegium fuerit infusum: aut ex aqua cum polẽta diluta, aut etiam vino odorato. Ad graues autem nauiũ odores, vel mala cydonia, vel thymum, vel pulegiũ naribus admouebunt. Mare verò intueri minimè debent, vsquedũ in nauibus versari assueuerint. aquis præterea est adhibenda diligentia, ne turbidæ, ne fœtidæ, néue salsæ sint.

De ebrietate. Cap. XXXIIII.

EBrijs vomitus statim excitatus conueniet: aqua autem & mulsa liberalius pota, vomendum est vsq; dum plurima reiecta sint, & ventriculi morsus obtundãtur. Post vomitum, solium ingressi largè perungantur: reliquum verò tempus quiescant, & vestibus tecti plurimùm dormiant, quousq; discutiatur vinolentia.

De ijs qui immoderatè venereis vsi sunt. Cap. XXXV.

QVi immodicè coiuerunt, ijs vestimenta calida, quies, somni longiores conueniunt, quousq; ab imbecillitate seipsos vindicent.

De refrigeratis. Cap. XXXVI.

QVi in nimio frigore versati sunt, locis calidioribus cyprino aut irino perunctì decumbant: deinde verò cùm parum fuerint excalfacti, piper & myrrha in potione cum vino veteri odorato, aut liquor cyrenaicus cum vino, vel aceto, aut pyrethrum, aut castoreum cum aceto dabitur: cibo autem calidiore & moderato nutrientur.

De exustis. Cap. XXXVII.

QVi verò in sole sunt exusti, ij decumbant in locis perflabilib. faciesq;, manus & crura sunt aqua frigida perfundẽda. Si sitis vrgeat, frigidã bibãt: qui ei assueuerunt: hancq; nõ confertim, sed paulatim. Cibo

vtantur exiguo, quiq; facilè distribuatur: isq; humidior sit potius quàm densior.

Ex Galeno de pituita, quæ in ventriculo est.

Cap. XXXVIII.

SI vnquam in aliquem incidisti, qui cibos valde nutrientes auersaretur, ab ijsq; mirum in modum abstineret, siq; cogeres assumere, nausea corriperetur: ea verò solùm quæ acriora sunt, expeteret, atque ijs quidē oblectaretur, sed tamen & venter inflaretur, distēdereturq;, ac nauseabundus fieret, parumq; ructibus solis leuaretur, ipsiq; cibi assumpti corrumperentur, & in acorem potissimùm cōuerterentur: nosti omnino auxiliorum caput esse, vt pituitam à ventriculo abstergeres. Equidem noui quandoq; homines ita affectos, qui cùm radiculis ex oxymelite sumptis magnā crassissimæ pituitæ copiā euomuissent, integræ valetudini statim sint perfectè restituti.

Ex eodem, quid in constitutionibus intemperatis faciendum sit. Cap. XXXIX.

IN omnibus constitutionibus ætas, naturaq; singulorum hominum, quam relationem ad constitutionem habeat, considerandū est. Constitutiones enim quæ naturis similes sunt, morbos pariunt: contrariæ verò iuuant. Ac temperatis quidē corporibus, temperatę constitutiones sunt salubres: intemperatę verò noxiæ. Sed quemadmodum nulla ex intemperatis constitutionibus est bona temperatis, ita etiam non est magnopere dānosa, veluti intemperatis esse solet. Corpora enim quæ inibi sunt, vt in talē quempiam morbum propter familiarem eis intemperiem cadant, ea à simili aēris nos ambientis intēperie corripiuntur: quæ verò contrà atq; aēr ambiens, affecta sunt, præterquàm quòd nihil offenduntur, ad melio rem etiam statum perducuntur, cùm præsertim contraria

traria constitutio temperaturę naturalis intęperiem corrigat. Id qui norit, is victus rationem constitutioni aduersam instituens, corpora in bona valetudine conseruabit.

Ex eodem de carne minuenda. Cap. XL.

CVm nimia carne auctum corpus fuerit, liquādum erit, & comprimendum. Porrò autem calidius siciusq; temperamentū corpus gracilè reddere oftensum nobis est: ergo tale temperamentum obesis hominibus est inducendum, si eos ad mediocritatem velis perducere. Nosti autem veloces exercitationes, victum attenuantem, & similia medicamenta, & animi curas totam temperaturā sicciorem, & ob id etiam corpus tenuius reddere. Quis autē victus attenuet, perspicuum est. Medicamēta verò vehementiora sunt hęc: rutę semen, pręsertim syluestris, cum ipsis etiam corymbis, aristolochia rotunda, tenuis centaurea, gentiana, & polium: quæq; ad ciendam vrinam multum valent, quale est petroselinum: hæc enim & singula per se, & omnia inter se mixta attenuare & vacuare humores possunt. Sed & sal ex vipere crematis valde extenuat, & ipsa itidem theriace. Discutit etiam & extenuat inunctio olei, in quo radix cucumeris agrestis, & althæa, & gentiana, & panacis radix, & aristolochia sit incocta. Polium quoque & centaurea idem faciunt. Cibus non statim à balneo dandus est, sed somnus est prius imperādus. Prestaret autem aquam balnei vim habere discutiendi, si naturalem habere possent, vt Mitylenæ est: sin minus, flos salis marinæ admisceatur. Vino vtēdum albo & tenui. Iam verò sicca frictio ex linteis crasio ribus ad attenuandum multum valet. Cibus prætera non est pro ratione exercitationum offerendus. Apricatio quoque obesis prodest. Potus non est eis

ante cibum permittendus, præstatq; semel in die cibum capere. In balneo quoq; corpus ex multo nitro fricare, ipsum attenuat: paucum verò, irritamentum est vt probè corpus nutriatur. Attenuat etiam hoc, quod habet piperis & petroselini duplum, asari & anisi simplum: id quod ciere vrinam, & subducere aluum potest.

Quomodo graciles reficiendi sint. Cap. XLI.

CVm attenuatos renutrire volumus, vinum crassum, eduliaq; multi succi dabimus: exercitationes tardas, & frictionem moderatam, & vt summatim dicam, omnia suprà dictis contraria iniungemus. Iisdem quoque accommodatum est, tribus quatuórue diebus pice oblini. Si quis ieiunus lauetur, ante balneum fricare corpus linteis debet, donec ruborem acquirat: pòst verò frictione nó admodũ dura vtendum erit, ne cõstringentes, densam duramq; cutim efficiamus. Decoloribus verò, quiq; nõ nutriuntur, opus est neq; ad iram impelli, neque animi commotionibus affici.

Quomodo attenuatæ particulæ curandæ sint. Cap. XLII.

EX gracilitatibus quæ particulis eueniunt, quamplurimæ ex diuturna ipsarum quiete, aut ex deligationis fracturæ modo oriuntur: ergo vis extenuatæ partis firmanda est, sanguisq; ad eam copiose attrahendus tum moderatis frictionib. tum motibus accommodatis, & moderata calentis aquę perfusione. Hæc autem eousque facienda sunt, quousq; pars rubra facta extollatur. Cessandũ verò est prius, quàm collabatur. Medicaméto etiam picatorũ, vt dictum est, vti oportet. Cùm verò particulam frigidiorem esse senseris, tunc linteis confricanda est, & medicamentum aliquod calefaciens adhibendum. Ego verò

rò etiam thapsia quandoq; vsus sum, quam tum cum melle, tum verò cum cerato illinebam.

Optimæ tẽperaturæ dignotio. Cap. XLIII.

TEmperatissimus homo est, qui corpus habet in medio omnium extremitatũ exquisitè constitutum, vt inter gracilitatem, crassitudinem, mollitiem, duritiem, caliditatem, frigiditatẽ, humiditatem, & siccitatem, atq; vno verbo, cuius naturales animales q; actiones culpa vacant. Is quoq; medius est inter glabrum & pilosum, nigrum & album: atq; in pueritia rufos magis, quàm nigros capillos, in florente verò ætate contrà habebit.

Corporũ intemperatorũ notæ. Cap. XLIIII.

CCorpora quæ iustò calidiora sunt, dentes citius emittunt, & similiter augentur. Tangẽtibus calidiora, & minus pinguia videntur. Eorũ color rubidus, capilli nigri, modicè hispidi, venæq; latæ. Si quis verò & pinguis & crassus sit, venasque latas habeat, is non natura, sed consuetudine pinguis euasit. Frigidioris autem temperaturæ notæ sunt, vt corpus frigidum tactui appareat, glabrum sit, & pingue, color vnà cum capillis rufus. Si frigiditas multa sit, liuidus quodámodo & plumbeus color est, & venæ angustæ. Cui autem venæ angustæ sunt, ipseq; est gracilis, is nõ necessariò talis est, sed ex cõsuetudine ad eum statum est redactus. Arida temperatura durior, graciliorq; est, quàm quæ tẽperata est atq; hispida. Ac durities quidẽ à sicca temperie separari omnino non potest: gracilitas verò non solùm naturales temperaturas, sed etiam lõga acquisitas cõsuetudine sequitur. Siccitatis signũ est, si corpus difficiliter moueatur, squalidumq; ac siccum ab exiccantibus fiat. Humida verò temperies in cæteris quidẽ est similis tẽperatę: sed tamen est mollior, & maiore carnis co-

pia referta, atq; ab ea separari mollities non potest: sicut etiam crassitudo, quę non modò innatam temperaturam, sed eam etiam, quæ ex longa consuetudine contracta sit, comitatur. Proprium verò humiditatis signum est, corpus ab humectantibus grauari. Quæ verò calida & sicca est, hirsuta maximè est: capilli in capite celerrimè nascuntur, ijdemq; nigri, & iuuenili ætate copiosi. Temporis verò progressu cal uitium consequitur. Venæ amplæ sunt, veluti etiam arterię tum magnę sunt, tum verò etiam pulsant vehementissimè. Totum præterea corpus robustum, articulatum, musculosum, & expers pinguedinis est. Cutis verò durior est, atq; nigrior. Cùm verò temperies frigida atque humida sit, pectus erit omnino peranguſtum, totumq; corpus pilis vacans, cutis tenera atq; alba, capilli subrufi, & præsertim in iuuentute: cumq; senectus aduenerit, caluitium nõ sequitur. Huiusmodi autem homines statim timidi, pusillanimes segnesq; sunt, venasq; latétes habent, crassi sunt & pingues, & femoribus & musculis non aspectabilibus sunt: itemq; inarticulati sunt & blesi. Síque frigiditas & humiditas magis aucta fuerit, color vnà cum capillis rufus erit: si verò plurimùm augeatur, liuescit. Calida verò atq; humida temperies mollior est, & plus carnis habet, quàm optima temperatura. Cùm verò plurimùm aucta fuerit, statim morbis putridis corripitur. Cùm autem paulò humidior est, multoq; calidior, tum ea prædita & paulò molliores sunt, & plus carnis habent, quàm temperati: hispidiores verò non paulò, nec paulò sunt tangentib. calidiores. Si verò frigiditas & siccitas æquè augeantur, corpus suapte natura erit gracilè, nõ musculosum, nec articulatũ, nec coloratum, & pilis vacans: tactuiq; frigidum apparebit. Pinguedo tamen,

licet

licet graciles sint, carni insperſa erit. Capillorum color pro portione frigiditati reſpondebit. Quantum verò ad animi mores pertinet, puſillanimes, timidi, & triſtes erunt: & vt ſummatim dicam, in temperaturis coniugatis qualitatis exuperantis ſigna, cæterarum ſignis ſemper præſtabunt.

De capitis formatione. Cap. XLV.

PAruum autem caput prauæ cerebri cõſtitutionis proprium indicium eſt: magnum verò non neceſſariò bonæ eſt indicium. Sed ſi ob innatæ facultatis robur, quæ bonam multamq; materiam effecerit, hoc eueniat, bonum ſignum erit: ſi verò ob ſolius materiæ copiam, non item bonum. Sed hęc diſtinguenda ſunt ex forma, & ex ijs quæ inde oriuntur. Atque ex forma quidem, ſi concinna ſit: hoc enim ſemper bonum eſt ſignum. Ex ijs verò quæ oriuntur à capite, ſi optimè ſint affecta: ſiq; neruea ipſorũ pars bene alatur, robuſtaq; ſit: ſi denique oculi acriter aſpiciant. Capita autem acuminata mancá habent circa frontem aut occiput, aut vltra debitum auctam eminentiam. Ita plerunq; fit, vt quemadmodũ magnum caput, ſic etiam ea quæ ſunt huiuſmodi, vitioſa compariamus: & tamen quandoq; nonnulla ex ijs, cùm virtus efformans valida ſit, bona inueniuntur.

Temperaturæ cerebri ſigna. Cap. XLVI.

TEmperatum cerebrũ actiones animi habebit moderatas, & excrementa itidem moderata, minimeq; ab omnib. externis rebus offendetur. Qui hoc prędi ti ſunt, capillos in infantia ſubrufos, in pueritia ſubflauos, in perfecta ætate flauos, & medios inter exquiſitè criſpos & ſimplices habent, nec facilè calueſcunt. Si cerebrum calidius temperato ſit, omnia ea quæ circa caput ſunt, rubicũdiora & calidiora erũt, venæq; in oculis apparebunt, ijsq; in lucẽ editis ca-

pilli statim in capite nascentur. Qui verò multò calidiores sunt, ijs capilli nigri, & robusti, & crispi, in primisque non multum subflaui: deinde verò nigri fiunt, & cùm ætate procedunt, caluitio afficiuntur. Horum pauca sunt excremẽta, cùm valetudine, quæ vitio & culpa omni vacet, perfruũtur. Caput ijs impletur, grauaturq; à cibis potionibusq; calefacientibus: itemq; odoribus, & rebus foris incidentibus. Modicus somnus atq; is non profundus huiusmodi naturis satis est. Frigidioris porrò quàm par est cerebri notæ sunt, magna excremẽtorũ copia per meatus peculiares manantium, capilli recti, rufi, ac stabiles: facileq; à frigidis causis lædi: destillationibusq; atq; grauedinibus cõtinenter corripi: venasq; oculorum non apparere: & ad somnum fermè procluiores esse. Sicciores autem cerebri signa sunt, si nihil excrementorũ in meatibus fluit, si sensus acres sint, si vigilãtes, si capillos robustiores, & celerrimè exorientes: cumq; orti fuerint, potius crispos habeant. Hi verò citò calui fiunt. Humidioris verò cerebri, capilli plani, nulla caluities, sensus obtusi sunt, excrementorũ copia redundat, somnus multus & profundus. Qui calido siccoq; cerebro sunt, ij carẽt excremẽtis, sensibus sunt exquisitis, & vigilantissimi, & celeriter calescunt: & tamen capilli in eis primo quoq; ortu celerrimè nascuntur, & optimè nutriuntur: nigro crispoq; capillo sunt: caput tangenti calidum est: rubri verò sunt ad vigentem ætatem vsq;. Vbi verò humiditas accesserit caliditati, & vtraque mediocritatem paululum excedat, tum & bonus color, & calor adest, venæq; in oculis magnæ videtur: excrementa plura sunt, & mediocriter cocta: capilli recti subflauiq;, nec facilè caluitium patiuntur. Caput verò impletur atq; aggrauatur calefacientibus.

Cumq;

Cumq; humor & calor plurimùm increuerint, mor bosum caput redditur, ac facilè à calefacientibus & humectantibus læditur. Eiusmodi tamen diu vigilare non possunt, neq; sensus exquisitos habent. Frigidæ verò, simúlque siccę cerebri temperaturæ, frigidum & coloris expers caput efficiunt: quiq; hac natura præditi sunt, venas in oculis nõ habent. A frigidis causis statim offenduntur: ex quo fit, vt inæquali valetudine fruantur. Sensus in iuuentute exquisiti sunt, & culpa omnino vacãt: at progressu temporis, celeriter contabescunt: atq; vt vno verbo complectar, quantũ ad totũ caput pertinet, citò senescunt. His in lucem editis capilli vix prodeunt: atq; ij quidem nõ aluntur, flauiq; sunt. Humida verò & frigida cerebri natura facit soporosos, somniculosos, & sensibus obtusos: itemq; capita excremẽtis redundantia, frigori & repletioni opportuna, & destillationibus ac grauedinib. obnoxia. Hi tamẽ nõ caluefiunt.

VVentriculi temperaturæ signa. Cap. XLVII.

VEntriculi, qui natura siccior sit, notæ sunt, si celeriter sitibũdi fiant, paucaq; eis potio sufficiat, largiore grauentur, fluctuationib. infestentur, aut quod re dũdat, superfluitet, cibisq; ficciorib. delectẽtur. Humidior natura vẽtriculus cognoscitur, si eo præditi, siti nõ afficiantur, & copiosiorẽ humorem sine mole stia ferant, & cibis gaudeant humidioribus. Calidiorem atteſtãtur hęc: vt eo prędíti melius cõcoquant, quàm appetant, & dura potius, & item ea, quę immutari difficulter possunt: cibis prẽterea potionibusq; calidiorib. oblectentur, neq; à frigidis, nisi immodicè eis vtantur, noxam vllam percipiant. Ventriculus autem natura frigidior ad appetendum quidem valet, ad concoquendũ verò non item, præsertim verò si edulia, quæ difficulter immutantur, quæq; frigida

sunt,assumpserit:statim enim in ea coacescunt.Itēq; frigidis quidem gaudet,sed tamen ab eorum vsu nimio læditur. Intemperies autem ventriculi ex morbo contractæ,ab ijs quæ ei natura insitæ sunt, differunt, quòd contraria, non autem similia expetant. Ventriculus ergo qui probè concoquit,temperatus est:qui non concoquit,intemperatus. Si ructus nidorosos & fumeos edat, immoderatum, & igneum eius calorem esse indicabit:si acidos,contrarium. Si verò cibos concoctu difficiles conficiat,immoderatum:si verò illos non concoquat,pisces verò concoquat,imbecillū. Hoc autem vtrum ex humore aliun de cōfluente accidat nec ne, considerandū est: nam pituitosi acidum, bilioſi nidorosum,& graue olens, aut alias extraneas qualitates eructant:cōmunia verò symptomata,nauseæ sunt. Sed si vitiosi humores in cauo spatio ventriculi supernatent, euomuntur: qui verò in corpore ventriculi sunt, & eius tunicis continentur,frustra nauseis vomitu vacantibus turbabuntur.

Pulmonis signa. Cap. XLVIII.

NOn solùm vētriculus sitim affert atq; aufert, frigidæq; ac calidæ potionis cupiditatem inuehit, sed etiam viscera quæ thorace cōtinentur: & tamē cùm bibunt,nō statim sitis sedatur, ac frigida potio sitim eorū magis,quàm valde calida restinguit. Aër quoque frigidus inspiratus eos refrigerat,cùm eos,quibus vētriculus sitim affert,nihil leuet.Qui verò contrà sunt affecti, à frigida inspiratione molestia manifesta sensibus afficiuntur: estq; hoc maximum frigidi pulmonis indicium : atq; etiam pituitam screatu cum tusi reijciunt. Sicci pulmones excrementis & pituita carent, quemadmodum humidi redundant excrementis, & obscuram atque raucam vocem faciunt:

ciunt: cumque vehementius, aut acutius loqui studeant, tunc intercidunt excrementa.

Temperaturæ cordis notæ. Cap. XLIX.

Cordis calidioris signa sunt magnitudo respirationis, pulsus velox & frequens, audacia, & furibunda temeritas: thorax hirsutus, ac præsertim pectus, & quæ præcordijs sunt propinqua: magnaq; ex parte totum corpus calidum est, nisi iecur magnopere obstet. Thoracis quoq; amplitudo caliditatem cordis arguit, nisi etiam tunc cerebrum valde resistat. Cor verò frigidius pulsus, mediocribus minores habet: quiq; tali sunt corde, & timidi, & pusilli animi, & segnes suapte natura sunt, pectusq; glabrum habent. Siccior cordis natura pulsus duros facit, iram non subitam, sed agrestem, & quæ sedari difficulter possit, excitat. Plerunq; autem nisi iecur repugnet, vniuersum corpus est calidius. Humidius cor esse testantur pulsus molles, & mores ad iram quæ placari facilè queat, procliues, totumq; corpus, nisi hepatis partes contrà faciant, humidius. Calidũ & siccum esse cor ostendunt pulsus duri, & magni, & veloces, & frequentes: & respiratio itidem magna, & velox, & frequens. Quibus huiusmodi cor inest, maximè omnium hirsutum pectus habent, atq; præcordia. Ad actiones prompti, iracundi, temerarij, & tyrannicis moribus prediti sunt: in iram verò quę non facilè sedatur, præcipites ruunt. Si verò vnà cum calore humiditas superauerit, hi minus, quàm qui suprà memorati sunt, hirsuti erunt: porrò ad actiones impigri: neq; in eis est agrestis animus, sed tamen ad iram magis pronus: pulsus verò magni, mollesq;, & veloces, & frequentes. Cùm verò humidius frigidiusque cor est, pulsus molles sunt: mores verò huiusmodi, vt pusilli animi, timidi, & segnes sint, & mi-

nimè furibundi, ſicut etiam ad iram non ſunt procliues. Frigidioris verò ſiccioriſq; cordis, pulſus duriores, exiguiq́ue ſunt: quiq́ue ita ſunt, minimè omnium ſunt iracundi: vbi verò iraſcũtur, iram diu retinent: eorumq́; minimè omniũ hirſuta ſunt pectora.

Iecoris temperaturæ dignotio. Cap. L.

CAlidioris hepatis notæ ſunt venæ amplæ, flauæ bilis maior copia, in ætate verò conſiſtenti etiam atræ: ſanguis calidior, & ob hanc ipſam cauſam totum quoq; corpus, niſi cor obſtiterit: venter & præcordia hirſuta. Frigidius iecur oſtendunt venæ anguſtæ, pituita copioſior, ſanguisq́; & totus habitus corporis frigidior: niſi quid ei caloris à corde impertiatur. Præcordia nuda pilis, itemq́; venter. Siccioris ſigna ſunt ſanguis craſsior, & minor eius copia: venę duriores, & totus corporis habitus ſiccior. Humidioris ſigna ſunt ſanguis copioſior & humidus, venæ molliores, atq; ita etiam vniuerſum corpus, niſi cor cõtrà repugnet. Calidi verò ſicciq́; ſigna ſunt præcordia maximè hirſuta, ſanguis craſsior, & ſimul etiam minor eius copia: amara bilis plurima, in ſtatu verò etiam atra: venæ amplæ duræq́; : & ita quoque corpus vniuerſum calidũ & ſiccum. Calor enim qui manat à corde, frigus quod ab hepate exiſtit, non ſecus quàm frigus calorem, poteſt vincere: at ſiccitas ab humidiore corde ad contrarium traduci non poteſt. Perſpicuũ autem eſt, ſi vtriuſq; principij temperaturæ in vnum cõueniant, totum corpus cõuenienter illis exquiſitè affici. Humidũ ſimul & calidũ hepar habet præcordia minus hirſuta, quàm quod calidum ſiccumq́; eſt: itemq́; multũ ſanguinis, latas venas, habitumq́; humidũ & calidum obtinet, niſi cor obſiſtat. Si verò vtriuſq; qualitatib. naturæ modum magis, quàm par eſt, excedat, ſtatim in eos morbos incidit,

incidit, quos putredo, & malitia humorũ procreãt, ac tum quidem magis, si humiditas plurimum sit aucta: calor verò perexiguus, & vitiosi etiam humores fiunt. Humidi & frigidi signa sunt glabra prẽcordia: sanguis autem magis pituitosus vnà cum venarũ angustia redditur: totum præterea corpus eodẽ modo est affectum, nisi à corde ad contrariũ habitum perducatur. Frigidum verò simul atq; siccum iecur parum sanguinis gignit, venas angustiores, & corpus reddit frigidius, nisi cor hoc etiam loco dominetur.

Calidioris, siccioris, atq; humidioris intemperiei corporis correctio. Cap. LI.

CVm in calida intemperie biliosum excremẽtum redundet, si per inferiora descẽdat, perspicuũ est nihil esse moliendũ: si verò ad ventrẽ feratur superiorem, euacuandum esse vomitu, qui post exercitationem, ante cibum, aquę potu cieatur. Eos verò qui ita sunt affecti, præstat exerceri, neq; veloci & cõcitata exercitatiõe, sed tardiore, ac molliore. Quibusdam verò qui admodum calidi sunt, nihil exercitatione opus est: sed sufficit deambulatio, & balneum: atq; ij etiam balneis post cibum delectantur. Quibus verò siccitas adiuncta est, ijs opus est victu humectãte ex cibis huiusmodi, balneisq;, & exercitationũ concitatorum & multarũ abstinentia: ex quo cõficitur, vt æstiuo tẽpore & citius, & à cibo rursus sint lauandi. quod humidũ est, & frigida potio, his prodest. Siccis naturis maximè aduersa est venus: cauere autem præcipuè debẽt lassitudines, ęstus, solicitudines, vigilias. Humidæ natura temperaturę in pueritia morbis, quos defluxiones, & plenitudines, quosq; deinde humorũ corruptelæ pariunt, sunt obnoxiæ: quibus quidẽ fit rebus, vt eis plurib. exercitationib. & exquisita ventriculi cõcoctione opus sit. Quocirca,

huiusmodi naturę ex bina & terna ante cibum lotione, & ex balneorum naturalium vsu maximum fructum ferent: ne verò defluxionibus infestentur, prospiciendum est: id quod lauacris, multis ante cibum exercitationibus, vrinæq; & alui excretione conficietur. Nihil etiam prohibet apophlegmatismis interdum vti, & etiam purgationibus: itemq; cibis boni succi, & vino quod vrinæ ciendæ sit, vtantur.

Intemperiei frigidæ correctio. Cap. LII.

Frigidę intemperiei tres sunt differentię, quarum pessima est sicca. Nam quod progressu temporis senescentibus contingit, id ipsum ijs, qui ea temperatura sunt, ab initio inest: ergo humectādi, calefaciendiq; sunt. Id fiet exercitationibus moderatis, humidis, calidisq; alimentis, vini calidioris potu, & somnis etiam pluribus: in quo danda nobis opera est, vt excrementa quæ quotidie fiunt in corpore, vacuentur omnia. Cōcubitus omnes sicciores lædit, eos verò præcipuè, qui præterquàm quòd sicci sint, frigidi etiam sunt: solis verò calidis & humidis est innoxius. Iam verò temperaturæ, quæ humidæ & frigidæ sunt, vitiosæ sunt, corripiunturq; à morbis ijs, qui defluxionibus accepti referuntur: hos iuuat balnei abstinentia, & multa exercitatio, victusq; tenuior: itemq; calida mediocriter inunctio. Qui verò natura frigidiores, mediocriterque sicci & humidi sunt, eorū calor excitandus, & cōfirmandus est. In totius autem victus ratione constituenda, victus qui inter humidū & siccum medius sit interiectus, deligatur.

Curatio siccæ intemperiei ventriculi, quæ velut exemplum reliquarum curandarum proponitur. Cap. LIII.

INtemperies sicca est, vel cùm solida substantia partium similiū inter se fit siccior: quæ quidem est eiusmodi,

modi, vt ei adhiberi medicina non possit: vel cùm propria humiditas, vnde partes nutriuntur, omnino consumpta est. Ea autem continetur in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsa, quam inferere particulis sine alimẽto nõ possumus: quam ob rem difficillima est huiusmodi affectionum curatio. Alia verò siccitas est, quę in exilibus arterijs, venisq; consistit. Huiusmodi siccitates curare oportet alimẽto humectante, singulas particulas similes inter se propria humiditate implendo. Balneum ergo temperatum conuenit, in quo diutius morari ægrotum decet: à balneo verò lac asininum recens mulctum, cuiq; mellis tepidi modicum sit adiectũ, nulla mora interposita dandum est: hominemq; ita ad secundam vsq; lauationẽ quiescere permittemus, tum modicè fricabimus, & pinguiter, si vtique lac, quod datum fuerit, iam ad vnguẽ confecerit, id quod tum ex ructibus, tum ex ventriculi mole conijcere licebit. Moderatũ verò temporis interuallum inter primam & secundã lauationẽ erit, si quatuor aut quinque horarum æquinoctalium spatium intercedat, si modò lauare tertiò paras: sin minus, plurimum. Quinetiam post vnamquanque lauationem oleo hominem prius quàm se vestiat, vngemus. Si verò lacte oblectetur, id etiam post secundam lauationem dabis: sin aliter, ptisanam diligenter coctam, aut alicam ptisanæ modo confectam. Deinde verò vbi rursus quieuerit, ad tertiam lauationem, aut illicò ad cœnã est ducendus. Esto autem ei paratus panis diligenter confectus, in furno coctus, purusq;: obsonium ex piscib. saxatilibus, aut ex albo iure asellus: &, vt paucis alimenti summam complectar, sit coctu facilè, & nutriens, minimeq; glutinosum, & excremento vacans. Potus esto vinũ aquosum, albumq;,

purum, & quod minimã sustineat aquæ mistionem, quodq; leuiter adstringat. hæcq; est maximę siccatis curatio. Modicę verò siccitates non tam exquisitum victum postulant, sed pleniore cibo vti possunt. Ponamus ergo nunc siccitatem superiori parem, sed sit ei coniuncta frigiditas: sanè ijs quę dicta sunt, calefacientium materiam miscebimus, & cæteris addemus. ergo lacti mel copiosius addetur, & vinum minus aquosum, quàm prius dabimus. Quinetiam ipsa quoq; esculenta calidiora, idq; non solùm naturalibus ipsorum temperaturis, sed etiam recens acquisitis qualitatib. exhibenda erunt. Nardino etiam vnguento, aut mastichino assiduè vngemus. Si verò cum siccitate multa sit cõiuncta frigiditas, primùm ipsam grauissimam, & ad corrigẽdum difficillimam existimabis: ijsdem verò vtendum est, itemq; melle per se despumato. Vinum eligendum est antiquius. Optimũ autem his omnibus medicamẽtum est, quo picatores continenter vtuntur: eoq; venter illinendus est, & calidum etiamnum auferendũ. His etiam prodest boni habitus puellus vnà dormiens, sic, vt abdomen semper contingat. Deinceps verò siccati iuncta caliditas esto mediocris. In eiusmodi intemperie primam victus institutionem seruabimus, vt mel prorsus non gustetur, vinumq; minimè vetustum exhibeatur: cibos verò tepentes, & lacteos offeremus, vẽtriculumq; omphacino & melino vngemus. Hos autem vehementius refrigerare, periculosum est, cùm huiusmodi constitutio quodãmodo febris naturam, cùm calor abundarit, imitatur. Rursus itaque proponamus intemperiẽ calidam exuperare, huicq; humiditatem esse cõiunctam: hanc intemperiem minore metu aquę frigidę potione curabimus: huic accõmodatus est ciborum adstringentiũ vsus, qui

qui tamen citra caloré austeri sint. Humidæ verò intemperiei si sola consistat, cibi exiccantes ita, vt non calefaciant, nec refrigerent, itemq; consuetę potionis parcitas valde auxiliantur. Intemperiei verò quę cum frigiditate est coniuncta, optima remedia sunt acria omnia, quibus admisceátur adstringentia, sed quæ non manifestè refrigerent. optima etiam his est exigua potio, eaq; vini egregiè calefaciétis. Atq; hæ quidem sunt earum intemperierũ, quæ in qualitatibus consistunt, curationes. Quoniam verò persæpe in ipso sinu ventriculi contentus humor, aut in ipsas ventriculi tunicas impactus intemperies creat, operepreciũ erit de his etiam loqui: ergo prior affectio, si semel cóstiterit, vomitu expurgata facilè quiescit. Sin rursus ex alia parte quadá, vel alijs particulis humor confluxerit, exquisita dignotione opus est. curatio verò statim subsequetur. Vniuersam enim curationem parti affectæ debemus accommodare, cura adhibita, ne particulæ, quæ recipiunt ea quæ confluunt, facilè admittant. Fiet autem hoc adstringentibus, & ijs quæ totum corpus ad bonam habitudinem perducunt. Vitiosus autem succus qui in ventriculi tunicis est receptus, curatur modicè purgantibus medicamentis, vt est aloë, & picra medicamentum, quod ex ea cõponitur. Sed quibus lenta pituita ventriculo infixa est, ijs prius exhibẽda sunt quæcunq; ipsam dissecent, deinde purgandum. Si ad vomendũ sint idonei, vomitus ex radiculis cieatur. Si verò nec lentus, nec crassus humor sit, vtique satis erit ex ptisanę cremore vomere, itemq; ex mulsa. bibendus verò etiam absinthij succus ex mulsa. Reliquarum verò partium intemperies similiter ijs, quas proposuimus, humores ad meatus idoneos deducendo, sanabũtur. Si verò particula neq; cauitatem,

neque sensibilē meatum habeat, euaporationibus & sudoribus redundantes humores vel ichores qui in ipsa sunt, veluti si spiritus flatulentus esset, id quod continetur euacuare nos oportet.

FINIS QVINTI LIBRI.

SEXTI LIBRI ARGVMENTVM.

In sexto traduntur signa, et curationes febrium, symptomatumq́: & insibi etiam de animi defectione, syncopa, dolore, fame, appetitu prostrato, nimia fame, nausea, vomitu, canina appetentia, vigiliis, graui sopore, colliquatione & siti, verba fiunt.

LIBRI SEXTI CAPITA.

Signa critica in principio apparentia mala esse. Cap. I.
Quando optimam crisin factam cognoscamus. II.
Quomodo futura crisis præno scenda sit. III.
De signis quæ ab vrina sumuntur. IIII.
De sputis. V.
De febribus ephemeris. VI.
De putridarū febrium notis. Caput VII.
Curatio febriū putridarum. Caput VIII.
Signa tertianæ. IX.
Tertianæ curatio. X.
Tertianæ nothæ curatio. XI.
Quartanarum cognitio. XII.
Quartanæ curatio. XIII.
Quotidianæ febris signa. Caput XIIII.
Quotidianæ curatio. XV.
Febrium cōtinuarum indicia. Caput XVI.
Continuarū febrium curatio. Caput XVII.
Ardentium febrium signa. Caput XVIII.
Ardentium curatio. XIX.
Febriū, quæ ex affectione erysipelas referentc originem trahunt, curatio. XX.
Hecticarū febrium cognitio. Caput XXI.
Hecticarum febrium curatio. Caput XXII.

De se-

De ſemitertianis. XXIII.
De morbis publicis. XXIIII.
De peſtilentia ex Rufo. XXV.
De ijs, qui ob crudorum humorum copiam in ſyncopen cadunt. XXVI.
De ijs, qui ob tenues humores animi defectione tentantur. Caput XXVII.
De aliis cauſis, ex quibus ſyncopæ oriuntur. XXVIII.
De dolore. XXIX.
De colliquatione. XXX.
De vigiliis in febribus. Caput XXXI.
De eiſdem. XXXII.
De graui ſopore. XXXIII.
De canina appetentia. Caput XXXIIII.
De cibi faſtidio. XXXV.
De fame ingenti. XXXVI.
De ſiti immodica. XXXVII.
De ſiti, Philumeni. XXXVIII.
Dioſcoridæ catapotium ad ſitim. Caput XXXIX.
De nauſea. XL.
Ex Philumeno vomitionis bilis curatio. XLI.
De ſingultu ex Galeno. XLII.
Linguæ aſperæ curatio. XLIII.
Curatio exulcerationis, quæ os ſacrum exercet. XLIIII.
De animi defectione ex inanitionibus. XLV.
Si anima deficiat ob plenitudinem. XLVI.
Curatio ad ſanguinis deſtillationem. XLVII.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER SEXTVS.

Signa critica quæ apparent in principio, praua eſſe. Cap. primum.

SIGNA concoctionis nunquam male apparent: critica verò ſigna quandoq; male apparent: nam neq; in principio, neq; in incremento, neq; in ſtatu ea debent apparere.

Quomodo optimam criſim factam cognoſcamus. Cap. II.

SI ęgrotus febri ſit per criſin leuatus, alijſque acci-

dentib. liberatus, coloratiorq; pro ratione euacuationis euaserit, pulsusq; vires acquisiuerit, ipseq; ad surgendum, seq; erigendum sit robustior, ea optima crisis est: si quid horum desit, tãtum ab optima aberit, quanta fuerit vis eius quod deest.

Quomodo futura crisis prænoscenda sit.

Cap. III.

SI accessiones intendantur & anticipent, fiantque multò vehemẽtiores, & tertio quoq; die inuadant, morbum breui iudicatũ iri declarant: sin autem lentè moueantur, eademq; hora inuadant, & quotidie affligant, longiore pòst tempore crisin fore significant. Iis etiam, qui cum vehementibus rigoribus febri iactantur, morbus solui nõ potest prius, quàm rigores leniãtur, atq; etiam nisi rigor se remittat, morbus ad statum peruenire non poterit, atq; ita multò minus ipsius speranda est declinatio.

De signis quæ ab vrina sumuntur. Cap. IIII.

VRina optima est, quæ sanorũ vrinæ simillima est: huiusmodi est quæ subrufa, & subflaua cernitur: hęc enim statim crasitiẽ moderatã habet. Etenim cùm tres sint turbidarum vrinarum differentię, vt vel excretæ tales, paulò pòst subsidant, vel consimiles maneant perpetuò, vel puræ excernantur, deinde fiant turbidæ: quæ tertio loco dictæ sunt, malæ sunt: beni gnæ verò sunt primæ: in medio vtrarunq; secundæ statuuntur. Summè cruda est ea, quæ ad vnguẽ aquosa est, vtpote quæ symptoma sit desperatæ venosi generis cõcoctionis. Cùm verò vrina celeriter descenderit, morbus, cui diabetæ nomẽ est, oritur. Sed hęc vrinarum crudarum est deterrima: deinde verò ea, quæ alba, & tenuis est aquæ instar: his vicina est alia vrina, quę in plerisq; morbis colorẽ, vt vinum, abundẽ habere videatur. Hanc sequitur subpallida. Quæ verò

verò pallida est, iam etiam erit subrufa, eaq; iam concoquitur quantũ ad colorem pertinet: hancq; crassitie tantũ à diluta recedere oportet, si concoqui rectè debeat, quantum etiam colore abest. Quòd si colorem, qui ei secundum naturam inest, planè seruarit, subsidens verò album, leue, æquale, & copiosum fiat, exquisitæ quidem concoctionis erit indicium: sed plus crudi humoris expurgari significabit: si verò crassa mediocriter fuerit, & habeat quædam subsidentia, ea nõ concocta erit omnino. Si enim subsidentia parti farinæ crassioris, aut laminis, aut furfuri similia fuerint, præterquàm quod omnem huiusmodi vrinã inconcoctam esse, mortis etiam imminere periculũ ostendunt. Quę verò boni coloris vrina est, & simul etiam habet subsidentia lenia, atq; alba, & æqualia, aut nebulis quibusdam similia, aut suspensa, ea est omnium probatissima: primæq; tribuuntur ei in qua eiusmodi subsidẽtia videntur: secundæ verò ei, in qua suspẽsa cernũtur: tertiæ porrò ei, in qua nebulæ sunt: & deniq; ea, quæ in vrinis probè innatant, quo inferius subsident, eo sunt præstantiora.

De sputis. Cap. V.

SPuta quæ subflaua, subrufa, subspumea, & tenuia sunt, solius cruditatis sunt notæ: malum verò nullum insignius denotant. Quæ verò syncerè flaua, rufaq; sunt, ac spumea, suntq; viridia, glutinosa, & rotunda, mala sunt: quibus etiam deteriora sunt nigra: nam præter sanguinem, quicunq; alius humor superauerit, affectionẽ prauam ostendit à calore inflammato ducentem originem. Cruenta igitur, pituitosaq; sputa, mediocria sunt: flauæ autem, vel atræ bilis, difficilia. Cæterùm quomodo educãtur primùm considerãdum est: nam si facilè excreentur, ea bona esse perspicuũ est: sin secus, praua: perfectam nanq;

concoctionem indicat sputum, cùm leue, album, & æquale est: subsidetq; neq; humidum, neq; subcrassum. Omnimodæ verò cruditatis signum est, si nihil omnino expuatur: si verò spuatur, sed tenue illud sit, imbecillę coctionis est indicium: quòd si parum sit, rufum, aut flauum, non bonum erit: si liuidum, & æruginosum, vel nigrum, summè pernicioſum erit.

De febribus ephemeris. Cap. VI.

FEbrium diariarū propriū & inseparabile signum est, vrinarum in primo die concoctio, & caloris suauitas. Post primam verò febris solutionē, certiorem earum cognitionem habebis: in hac enim motus arteriarum ei motui, qui fuit in secūda valetudine, est omnino similis, cùm nulla ex alijs febribus ad naturalem statum reuertatur. Maximum quoq; indicium est, cùm æger facilè fert. His febrib. opportuni sunt, in quorū corpore quod transpirat, non halituoſum, sed acre, ac veluti fumoſum est: huiusmodi sunt, quorum calida est natura, atq; sicca, & ad summā bilioſi. Qui igitur ex lassitudine in febrim inciderunt, pinguiter & molliter sunt perfricandi, & ad balneū ducendi. Qui ex siccitate, minus fricandi sunt illi quidem, sed lauandi sunt liberalius. Qui ex curis, mœroribus, vigilijs, atq; ira febricitant, non sæpe lauandi, sed multo oleo tepido, cui minimè adstringens vis insit, fricandi paululū, & ex consuetudine lauandi. Qui verò ex vstione febricitant, protinus ab initio refrigerantibus curandi sunt, & crebrius lauandi: minimè tamē eis largo oleo, & frictione est opus. Sint autem refrigerantia roſaceum, & omphacinum sālis expers: eadem verò refrigerantia sincipiti vehementer oportet infundere, & cùm febris inclinauerit, lauare. Si quis verò ex frigore febrim contraxerit, is etiam in declinatione lauandus erit: si verò febri,

bri, & destillatione, grauedineque vexetur, prius quàm hæc concocta sint, lauandus nō est: at qui propter vstionem febricitant, ij vel cùm hæc adsint, lauari debebunt. A balneo verò amborum capita ijsdem madefaciēda sunt, atq; eorum quidem quibus vstio febrim attulit, refrigerantibus: ijs verò quibus frigus, calefacientibus, quę sint mediocria, quale est irinum & nardinum vnguentum. Quibus verò meatuum cōstipatio febrē excitauit, ijs balnea dulcium aquarum & temperatarum conueniunt: tum frictio rarefaciens, & exercitationes, & victus succis dulcibus procreandis idoneus. Qui verò ob inediam febri correpti sunt, eos vbi prima accessio remiserit, in balneum perduces, & plurimo oleo tepente perfundes, tum mitissimè fricabis, & diutissimè in calida solij aqua detinebis: simulatq; exierint, seq; recollegerint, in balneum introducēdi sunt, deinde aqua calida potui danda, mox ptisanæ cremor offerēdus: quandoque etiam lactuca, & pisces qui molli carne sunt, ex albo iure. Omnium autem communis victus species esto, quæ boni succi sit, & quæ facilè concoquatur, & quæ nusquam meatibus inhæreat. Vinum dandū quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum. In primo autem accessionis insultu nōnulla horum quandoq; mutāda sunt in ijs, in quibus corporis intemperies ad calidum siccumq; conuersa febres gignit. Qui verò ex bubonibus febricitant, ij ne medicum quidem interrogant quid facto opus sit, sed vlceri, à quo excitatus est bubo, prospicientes, vbi accessio declinauerit, lauantur: ijs vinum circunciendum est, donec bubo fuerit solutus, suntq; tenuiore victu nutriendi.

PEx Galeno de putridarū febriū notis. Cap. VII.

Vtridarū febriū notæ sunt hæ: vt nulla causa eui-

dens præceſſerit: vt neque à rigore febris inceperit, neq; ab æſtu, neq; frigore vehementi præcedenti: id quod non ſecus eſt putridarum febrium proprium, quàm etiam pulſuum depreſsio: ſic enim nominant, cùm incipiente acceſsione pulſus admodũ exigui & inæquales ſunt: quod quidẽ eſt huiuſmodi febrium proprium vel maximè. Porrò caloris qualitas maxima eſt putridarum febrium nota: ita enim fuliginoſa eſt, vt vel tactum erodat. Maximè verò proprium harum febrium eſt vrinæ cruditas, & obſcura concoctio: magnum verò & notabile concoctionis indicium in vrinis nunquam in hiſce febribus apparet.

Curatio febrium putridarum. Cap. VIII.

ERgo ſi vires eius qui ex putredine febricitat, valentes ſint, mittendus ſtatim ſanguis eſt, ſi cruditas ventris non ſit: ſin vires ſint infirmæ, ætasúe prohibeat, non erit incidenda vena: corpore euacuato putrida per vrinas, aluum, & ſudores expurgãda ſunt: ſin autem ſponte ſua nõnunquam ad ventriculũ impetu ferantur, etiam per vomitum, alioqui non ſunt præter naturã irritanda. Materiæ autẽ deligi debent huiuſmodi, quę non valde calefaciendo, & ſiccando prædictas euacuationes perficiant: cuiuſmodi ſunt ptiſanæ cremor, aqua mulſa, oxymel, apomel, & apij radix. Si aluus non deijcit, clyſtere ex aqua mulſa cum oleo ciebitur. Totum verò corpus prius quàm vacuatũ ſit, rarefacere nõ oportet; vbi fuerit euacuatum, licebit rarefacere medicamẽto, quod tepidum calorẽ habeat, quale eſt, quod ex chamæmelo conficitur. Hoc etiam tẽpore vinũ aquoſum potui datum omnes excretiones mouet, itemq; balneũ aquæ dulcis tẽperatũ. Verùm cùm febris magnitudo obſtet, tum neque vino, neq; lauacro, neq; vnctione rarefaciente vtendũ erit: ſed aqua frigida in his febrib. potui

tui data est accõmodatissima, nisi etiam aliquid huius vsum impediat: ergo si omnes vires robustę sint, febrisq; ardẽtissima, & euidentia signa cõcoctionis appareant, frigidã cum fiducia dabis. Ad hęc verò si bonę habitudinis homo sit, calidaq; & sicca sit cõsti tutio, etiã si in frigidã natationẽ hunc dimiseris, nihil lędes: sin autẽ mediocris sit febris, viresq; inualidæ, vnà cum signis cõcoctionis, & balneum, & vini potio, & omnes vnctiones rarefaciẽtes ijs prosunt.

Signa tertianæ. Cap. IX.

TErtiana febris cùm ex motu flauæ bilis exoritur, statim ab initio rigorem non paruum infert. Differt autem à rigore quartanæ, quòd pungere, & conuulnerare cutim videatur: in quartanis autem accessio nis ingressio vehemẽtiorem perfrictionem habeat: quotidianas verò nõ rigor præcedit, sed corpus modò perfrigeratur. In tertiana autem est etiam exquisitus ordo pulsuum, eaq; in statu sitim vehementem affert, atq; hominem exurit, & paulò pòst consistit, calorq; per omnes parteis æquabiliter diffunditur. Si manum inijcias, primo cõtactu calor copiosus & acer, ac veluti cum vapore quodam elatus, occurrit; sed paulò pòst à manu vincitur. Cùm verò æger biberit, statim copia vaporis calidi ex cute prodit, quę sudores futuros nunciat, vomitus flauæ bilis apparet, aluus soluitur, bilioſa per vrinam excernuntur: præterea ad integritatem febris peruenit, vbi tempus accessionis non plurium quàm duodecim horarum cõpleuerit: ergo quę duodecim horis terminatur, exquisitam tertianã nominamus: quæ verò diuturniorem accessionem habet, eam simplici vocabulo tertianam appellamus: at quæ accessionem habet longissimè productam, & exiguum interuallum intercedit, ea tertiana extensa nuncupatur.

Tertianæ curatio. Cap. X.

TErtiana febris exquisita, vtpote quæ à flaua bili procreetur, humectanda & refrigeranda est: quodq; in ventrem influit, vomitibus: quod ad inferiora vergit, alui excretionibus euacuandum, & item per vrinas, atq; sudorem educendum. Aluus igitur mollibus clysteribus cienda est, vrina verò potionibus, in quibus apium & anethum maduerint prouocanda: siq; signa cococtionis appareant, confidenter absinthium dabis. Balnea prosunt ex aqua calida potabili, in quibus neq; nitrum, neq; sal, neq; sinapi sint inspersa: sed oleo maximè calido infuso æger est in balneum ducendus. Qui balneis valde oblectátur, eos etiam si bis laueris, non errabis: si verò signa concoctionis morbi sese ostẽdant, etiam si sæpius laueris, nihil delinques. A vino autem priusquàm morbus concoquatur, omnino abstinendum: vbi verò concoqui cœperit, tenue, dilutũ, & modicum ab initio dandum. Cibi, quicunq; humectant & refrigerant, accommodati sunt. Porrò à melle, sinapi, salsamentis atque acribus omnibus, & à vinis natura calidis abstinere ægrum oportet.

Tertianæ nothæ curatio. Cap. XI.

IN nothis hisce febribus in initio lauare non expedit, sed cùm iam coctionis signa se nobis offerant: neq; cibus est quotidie dandus, sed alternis diebus satis est. Quies & fotus præcordiorum, & sorbitiones concoctu faciles, & clysteres non admodũ molles iuuãt: si verò sanguinis missione opus sit, ne hæc quidem erit omittenda. Sit autem tota victus ratio, non quæ refrigeret, humectetque, sed etiam modus aliquis qui magis calefaciat atque incidat, adhibeatur. Maximè verò conueniet ptisanæ cremor iniecto pipere: vel hyssopum, vel origanum, vel spicam nardi mul-

di mulsa aqua infundens,& decoquens potui dabis: itemq; alia omnia, quibus vrina cieri potest, præter ea quæ vehemẽter calefaciunt & exiccant. Maximè verò post septimum diem absinthij coma danda est. Iam oxymel quoq; epotum multos iuuit: & nonnulla etiam ex ijs,quæ aluum leniter subducunt. Vomitus autem à cibo ijs, in quibus hæc febris inueterarit,vtilissimus est.

Quartanarum cognitio. Cap. XII.

QVartana febris cum magna refrigeratione inuadit, vt quæ ex frigido humore atræ bilis originẽ ducat. Calorem verò atq; feruorem,sicut tertiana,non habet: imò verò neq; bilis vomitus eam comitatur. Si præterea vrinę albę tenuesq; sint,quartana febris erit. Eximium verò quartanæ indicium fuerit pulsus tardus atque rarus.

Quartanæ curatio. Cap. XIII.

QVi febrem quartanam habent, leuiter tractandi sunt,eisq; neq; medicamentũ vllum vehemens dandum, neq; tentanda vacuatio, si non vtique sanguis redundare videatur: quo casu secanda vena est. Victus optimus & minimè inflans instituendus: & venter emolliri consuetis rebus debet. Si nihil hęc proficiant, mollibus clysteribus in principio,deinde verò acrioribus agetur. Suilla caro ipsis est circuncidenda,itemq; omnes cibi glutinosi, quiq; tardè permeant:& deniq; omnes quicunq; refrigerant,atque humectant. Vinum conuenit quod tenue,albumq;, & modicè calidũ est. Salsis & sinapi vti expedit:tum aliquot diebus interpositis medicamentum ex tribus piperibus, aut quod diospoliticum dicitur, sumere. Piper quoq; solum ex aqua quotidie rectè capitur. Si æger in morbi principio sit,tenuiore victu alendus est:statim verò etiam diuturna quies impe-

randa, viſceribusque proſpiciendum eſt per ea quæ molliunt, atq; relaxant. Poſt verò vtendum erit medicamentis quæ vrinã cient: ſiq; ſigna coctionis appareant, tum melancholici humores purgandi ſunt, ijq; non ſemel tantùm, ſed etiam perſæpe. Poſt validam verò purgationem, medicamentum quod ex viperis conſtat, dandum erit: & item alia, quæcunque ad huiuſmodi febres commendantur: inter quę eſt etiam nobis familiare, quod ex cyrenaico ſucco conficitur.

Quotidianæ febris ſigna. Cap. XIIII.

Quotidiana verò febris nó ſtatim primo die cum rigore inuadit, ſed tẽporis progreſſu perfrigeratio potius quàm rigor exoritur. Aegrè verò incaleſcit, & incrementũ diuturnum habet: ægrotantes tamen non exurit, neque multùm & crebrò trahere ſpiritum, neq; ex ore exufflare, neq; frigidã bibere compellit. Pituitoſi vomitus fiunt: quæ verò aluo excernuntur, frigidiora, crudiora, & dilutiora in hiſce febribus inuenies. Sudores primis diebus non emittuntur, neque ad integritatem veniunt. Color eſt ex pallido & albo miſtus: vrinę tenues & albæ, vel craſſæ, & turbulentæ, & rubræ ſunt.

Quotidianæ curatio. Cap. XV.

Quotidianam curantes oxymelite primis diebus vtimur: itemq; ijs, quæ mouere valẽter vrinam poſſunt. Tota verò ratio victus ad incidendum dirigatur. Circa ſtatum eſt habenda vẽtriculi, & pręſertim oris ipſius ratio: deinde ægris iubendum, vt radicula & cibis aſſumptis vomant: & ijs quæ vacuant pituitam, vtantur.

Febrium continuarum indicia. Cap. XVI.

Continuę febres ſingulis intermittentibus finitimæ dicuntur: ac tertianæ quidem exquiſitæ, ea quæ exqui-

exquisita ardens est: quotidianæ, ea quæ singulis diebus habet accessiones, neq; ad integritatem redit: sic etiam quartanæ, ea quæ quarto accedit die. Exquisita enim ardens cum alia omnia exquisitæ tertianæ febris indicia seruet, in hoc solùm ab illa differt, quòd neque cum rigore inuadit, neq; ad integritatem redit. Ea quoq; quæ singulis diebus accēditur, omnia signa quotidianarum habet, nisi quòd ad integritatem non peruenit: qua in re ab ipsa quotidiana, quæ specie cōsimilis est, discrepat. Præterea quæ quarto quoq; die accedit, neq; ad integritatem cessat, eiusdē generis est cum quartana. Est ergo febris continua, quæ nō prius ad integritatē finitur, quàm omnino fuerit soluta. Cùm autem nulla inclinatio appareat, hæc quoq; ex ardentium est genere, sed ex eo quòd illa acuta est, differt.

Continuarum febrium curatio. Cap. XVII.

Continuarum febrium curatio est missio sanguinis vsq; ad animi defectionem. Qui si nō fuerit missus, qui eam febrem habent, ad extremū periculum deducuntur. Si quid autē euacuare per venæ sectionem prohibuerit, alijs vtendū est remedijs quæ aperiant, materiæ copiá vacuent, & febrium feruorem leniant. Cùm verò signa coctionis humorum perspicias, neq; in principe particula inflammatio aliqua, aut tumor œdematis, aut scirrhi specjem præ se ferens fuerit, neq; particula aliqua adeò frigida, vt noxam ipsa contrahat, audacter aquam frigidam bibendam propinabis, præsertim verò si æger eius assuetus potioni sit.

Ardentium febrium cognitio. Cap. XVIII.

Ardētes febres hæc comitātur: lingua arida, sciissa, & nigra, ventriculi morsus, deiectiones pallidæ, sitis vehemens, vigiliæ, & nonnunquam delirium.

Ardentium curatio. Cap. XIX.

IN febribus ardẽtibus, si perfectè morbus solui debet, horum alterutrum faciendũ est: aut bilioſos humores excerni, aut extingui. Excernũtur autem aut ſudoribus, aut vomitibus, aut per aluum: extinguuntur verò frigidæ potione, qua nos febres ardẽtes ex toto curauimus. Victus autem ardenti laborantibus conuenit non ex aqua ſola, neq; ex ſola mulſa, ſed ex diluta mulſa cocta: nam qui hoc morbo conflictantur, ſola potione ſunt alendi. Balneum verò ardentem febrem habentibus ſolùm conuenit ijs, qui tumorem inflammationis aut eryſipelatis ſpeciem referentem nullum habent: ac tum maximè cõueniet, ſi coctionis ſigna appareant: ijs verò qui propter ſalſum ſuccum ardẽte febre ſunt correpti, minimè accommodatũ eſt. Sed eos cremore etiam ptiſanæ nutrire conueniet.

Febrium quæ ex affectione eryſipelas referente originem trahunt, curatio. Cap. XX.

IN febribus quæ ex affectione quæ eryſipelas refert, exoriuntur, à balneo eſt omnino abſtinendum. Aqua frigida per morbi ſtatũ vehementi, hoc eſt, frigidiſsima vtendũ eſt: in principio non item. Sed refrigerantia foris imponuntur: ſiquæ nihil hæc iuuerint, etiam intra corpus ſumere cogentur. eis autem humidæ lactucæ præcipuè conueniunt. Extrinſecus verò ipſe lactucæ ſuccus eſt accommodatus: itemq; ſemperuiuum, & reliqua refrigerãtia. Hoc autem vt præſtantiſsimo vtimur vel maximè. Humorem alicuius refrigerantis expreſſum in pilam cum portulaca injicimus, deinde his contuſis exprimimus, vasq; in aqua gelida ſtatuentes, cùm vſus exigit, parum polentæ tenuis admiſcemus: tum linteum conduplicatum hoc medicamento intinctum extrinſecus præcordijs

cordijs admouemus, idq; diu adhærere nõ ſinimus, ſed aliud frigidum ſubinde adhibemus. Cæterùm huic medicamento quandoq; omphacinum, aut roſaceum oleum admiſcemus.

Hecticarum febrium cognitio. Cap. XXI.

HEctica febris non ſolùm in humoribus ſpirituq;, ſed etiam in ſolidis partibus cõſiſtit. Hęc dolore vacat: quiq; ea detinentur, ſe omnino non febricitare exiſtimant: calorem enim non ſentiunt, cùm particulę omnes corporis ſint in eis æqualiter calefactę. Hecticarum ſunt duo genera: quorum alterum ardentibus febrib. magna ex parte ſuperuenit, quod vſque adeo protrahitur, vt tractu temporis madorem corporis cordis, etiam ſi copioſus adhuc ſit, conſumat. alterũ genus eſt, quod manente adhuc humore cordis, corpus occupans inde accęditur. Hæcq; eſt vna febrium hecticarum origo nobis expoſita. Reliqua eſt, cùm ab initio protinus inuadit, primã originem diarijs ſimilem ſortita ex mœrore, ira, & laſſitudine nimia vnà cum exuſtione contracta. Atq; has febres haud difficiliter curabimus. Quæ verò ex ipſis ad marcorem peruenerunt, ſaneſcere nullo pacto poſſunt. Facillimè autem cognoſcuntur: nam eorũ oculos cauos præter modum videbis, craſſiorem pituitam ſiccam ipſis inhærẽtem, ſqualidam affectionem quandã: vitalis flos coloris euanuit: frons ſicca eſt, atq; intenta, conniuentq; plerunq; vt dormiturientes: verùm affectio, nõ ſomnus eſt, ſed quia vigilare non poſſunt. Præterea collapſa ſunt tempora: nam quid porrò aliud præter oſſa, cutemq; ſolã habent? hos ſi nudaueris, & partes ventris inſpexeris, profectò in eis neq; inteſtinum, neq; viſcera vlla tibi ſu pereſſe videbũtur: præcordia verò ſurſum vehementer conuelluntur: cutisq; ipſa eſt ad ſummum reſic-

cata. Pulsus gracilis, durus, & creber: calor verò primo contactu languidus, paulò pòst acer, & erodens ostenditur. Ita fit, vt vsquedum aliquid humiditatis supereſt, hectica sola febris sit: cùm verò periclitatur, ne quid præterea huiusce humiditatis reliquum sit, tum exquisitus marcor iam effectus est.

Hecticarum febrium curatio. Cap. XXII.

QVi febrem hecticam habent, statim ab initio nutriri propter humores erodentes desiderant: maximum verò remedium est victus humidus. Oportet igitur cremore ptisanæ, & alicę sorbitione ægrũ nutrire, & panis aliquid addere, eumq; potione, nó vehementer, sed moderatè frigida, curare, cùm neque inflammatio aliqua, neq; humorum subest putrefactio. Si verò magnam fore noxam coniectura conſequeris, à frigidę potione abstinendũ est, vtendumq; ijs remedijs, quæ extrinsecus imposita refrigerandi vim habent. Balnea verò huiusmodi ægrotis in quocunque tempore conueniunt.

De semitertianis, quæ hemitritæi dicuntur. Cap. XXIII.

CVm tertiana cum rigore, quotidiana verò citra rigorem inuadat, quæ ex his vtrisq; constat, horrorem affert, qui rigore quidẽ est minor, & perfrictione certè maior: quæ res coniunctis inter se extremis efficitur: ex quo fit, vt nó immeritò huic febri semitertianæ nomen sit impositum. Duplici autem modo gignitur: vel enim duæ acceſsiones in idem tempus concurrunt, vel statim ab initio ambæ inter se cómiscentur. Cùm igitur tertiana superat, plus horroris accidit, eidemq; in acceſsione nõnihil rigoris adiungitur: protinus verò hęc calidior est, atque ardentior, & aliquem bilis vomitũ, vel excretionẽ, vel madorẽ inducit: cùm verò altera pituitosa superior

est,

est, tunc frigus partes extremas exercet, exiguique horrores sunt: quin ne sticuloſi quidem sunt, neq; æstu conflictantur. At cùm pares sunt tertiana intermittens, & quotidiana cõtinua, tum accessionis ingressus cum horrore accidit: cumq; febris orta ex pituita excellit, cõtractiones pulsuũ, horroresq; fiunt: cùm verò calidior præstat, subitò incalescunt. Atq; ea quidem est exquisita semitertiana, quæ ex pari mistione duarum febrium, tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ exoritur: non exquisita verò maiorẽ bilioſi aut pituitoſi humoris habet copiam.

De morbis publicis. Cap. XXIIII.

MOrbos publicos cõmunesq; nominant, qui multis simul accidunt: quorũ vt origo, ita etiam est causa communis. Cibi igitur communes praui, communes morbos pariunt: potio item aquæ vitiatę, nimiæ ærumnæ, consueti labores omissi, inedia, repletio dum fames vagatur, aut cùm summa est annonę vilitas. Regionum quoq; naturæ cõmunes morbos inferunt: quę interdum paluſtres sunt, nonnunquá barathrum vicinum habẽt, quod exitioſum prauumq; vaporem exhalat: atq; hæc quidem accidere continenter consueuerunt. Aër verò nos circunſtans, qui tum calidior quàm par est, tũ siccior, tum frigidior, tum humidior effectus, naturas noſtras cõtinuò mutat: in alias nanque causas neque omnes simul incidimus, neq; in eis totos dies versamur. At aër nos ambiens, & omnibus est foris circunfusus, & per inſpirationẽ attrahitur: ergo necesse est corpora animantium pro aëris tẽperaturæ cõmutationib. affici. Hęc qui norit, nõ solùm qui morbi in quaq; cõſtitutione futuri sint, præsagiet, sed etiam contrariũ immoderati circunflui aëris temperaturis victũ instituens, ne fiant prohibebit. Corpora autem quæ morbo alicui

ex propria intemperie vicina sunt, ea à simili circundantis nos aëris temperatura deprehenduntur: quæ verò temperaturá cœlo cótrariá sortita sunt, ea præterquàm quòd ab aëre non afficiuntur, fiunt etiam meliora, cùm temperatura contraria immoderationem corrigat: quod qui cognoscit, is secundam valetudinem tuebitur, cótraria corporibus inducens, partim refrigerátibus vtens, si ita vsueniat, partim calfaciétibus: aquæ perfusionib. refrigerans, itemq; ocio, & alimentorũ penuria, & potione largiore: calefaciens autem operimento, laboribus, cibo liberaliore, & quandoq; parciore. Iam verò si quis pyram incendat, is nõ mediocriter aërem prius humidum, ad calidũ siccumq; permutauerit, quemadmodum aiunt Acronem Agrigentinum feciſſe.

De pestilentia ex Rufo. Cap. XXV.

IN pestilétia terribilisima sunt omnia, neq; quicquam, vt in singulis morbis, occultatur: nam & deliria, & bilis vomitiones fiunt, & multi sudores erumpunt, & extrema algent, alui profluuia bilioſa, tenuia, flatus plena vrgent, vrinæ excernuntur aquoſæ, tenues, bilioſæ, nigræ, quæ mala habent subsidentia, quæq; in eis innatant, peſsima: sanguinis è naribus deſtillationes fiunt, pectus æstuat, lingua torrida, ſiticuloſaq;, triſtitia oboritur: itẽq; vigiliæ, conuulſionesq; violẽtę, & alia permulta praua, & exulcerantia. Atque in peſtilentia quidem aliquid quod terribile nõ ſit, terribile: contraq; quod alioqui terribile eſt, non terribile fiet. Si quis verò futuram peſtem proſpiciat, animum attendens ad anni tempora quæ mala ſunt, ad vitæ ſtudia bonę valetudini minus conferentia, & ad cæterorum animalium interitum: cùm hæc diligẽter animo voluerit, illud etiam debebit perpendere, qualis ſit præſens tẽporis conſtitutio,

ſtitutio,qualis deniq; totus ſit annus: quibus ex rebus victus rationem optimè ſciet inſtituere: veluti cùm tempus ſiccum eſſe deberet,ſi quidè rectè proceſsiſſet, nunc humidũ factũ ſit,victus ratione exiccare neceſſe eſt, vt ſuperuacaneus humor abſumatur. Ventris quoq; cura habenda eſt: quibus autem ſuperior venter pituitã continet,eos vomitibus euacuare:quibus ſanguis redundat,venam ſecare oportet:itemq; purgatio per vrinas, & cæteræ omnes ex toto corpore factæ vtiles ſunt. Si verò ægrotus ardore æſtuet,flammaq; ad pectus vſq; pertineat,non ab re fuerit ſuper pectus imponere refrigerantia, & frigidam offerre potionẽ,eamq; nõ paulatim,ſi quidem magis incenderet, ſed affatim, vt flammam reſtinguat. Si verò ardor interiora occupat,extremáque algẽt,& ſumma cutis eſt frigida,præcordia tenduntur,vẽter colliquationes partim ſurſum,partim deorſum mittit,vigiliæ vrgent, deliria fiunt, lingua eſt aſpera: ijs calefaciẽtibus opus eſt,vt calor per totum corpus diffundatur:& vt ab interioribus partibus ad exteriores trahatur, quacunque fieri ratione poterit,enitendum.

De ijs qui ob crudorum humorum copiam in ſyncopen cadunt. Cap. XXVI.

FEbricitare quidam incipiunt, cùm magnam crudorum humorum copiam ore ventriculi ſimul offenſo congeſſerunt. His præcordia intumeſcunt, & os ventriculi in maiorem molem, quàm ſecundum naturam ſit, attollitur,colorq; ad albidius,aquoſiusq; mutatur:quibuſdam etiam nigrior efficitur. Nemini ex ijs ſanguis mitti ſine magna noxa ſolet, atqui vacuatione indigent:ſed neq; venæ ſectionem,neq; purgationẽ ferunt, vtpote qui etiam ſine his in ſyncopen derepentè cadant:ergo frictione ſunt curan-

di. Per initia verò morbi incipiẽdum est, ac primùm quidem à cruribus supernè deorsum linteis modicè asperioribus. deinde verò tota brachia supernè deorsum fricare conuenit. Vbi autem artus satis calidi videntur, & metus est ne lassitudinis sensus aliquis inuehatur, tum oleo relaxante vtendum est, ab adstringentibus verò abstinendum. Si hyems sit, etiam digerentibus, quale est sicyoniũ & chamęmelinum, vtemur: cùm verò artus diu multumq; fricuerimus, oleum erit deinde abstergendum: tum ad totam spinam accedendũ, eaq; simili modo perfricanda: deinde rursus ad crura redeundum: ab ijs accedendũ iterum ad brachia, tum ad spinã, ita vt per totum diem ad hunc modum æger tractetur. Commodissima est his aqua mulsa, in qua coctum hyssopum sit: verùm neq; cibus, neq; sorbitio, neq; aqua eis danda est, neque permittendum vt largè bibant, sed cõtenti sint mulsa tribus primis diebus, ita deinceps fricando. Quòd si robur mediocre sit, neq; rectè sit affecta aluus, audacter clystere vtitor. Si verò impetus excrementorum maior quàm oporteat ad aluum feratur, principiò mulsa magis coquẽda est, quoniam ita minus subducit: sin autem sit citatior, ne tum quidem sistatur, sed aquę mulsæ loco, ptisanæ cremor detur: si verò fluere pergat, sorbitione ex alica nutries. Si verò propter imbecillitatem vires collapsas esse ex pulsu cognouerimus, par erit panem ex vino diluto dare, si neq; ventriculus, neq; iecur inflammatione teneatur. Quæ quidem si inflammatione vrgeantur, cùm plenum crudorum humorum corpus sit, desperatus ægrotus est. Si verò crassos esse humores videas, pro mulsa perpetuò oxymel dabis: siq́ue æstas sit, ægrotusque frigidæ potioni sit assuetus, oxymel frigidum dabis, hyeme verò calidũ. Balneum est his aduer-

aduersissimum. Si verò quis te vocet ad eos qui in syncopā iam inciderunt, cùm partes de quibus mentionem modò feci, non sint inflammatæ, panem exhibere modicum ex vino poteris, statimq; ad frictionem erit veniendū, eaq;, vt dictum est, vtendum. At quibus propter flauam bilem os vētriculi lædentem syncope accidit, eis potio frigida offerri debet: hęcque vinum tenue, antiquum, atque suluum esto.

De ijs qui ob humores tenues syncopa tentantur. Cap. XXVII.

QVi ob tenues humores in syncopen cadunt, contrà atque ij, de quibus suprà diximus, curandi sunt. Hos paulatim cōtinuò nutrimus: siq; iecur, aut ventriculus inflāmatione vexetur, viribus iam languēti bus, hi nulla curatione possunt releuari. In hisce affectionibus cadaueris facies statim apparet: eos igitur nutrire necesse est, eorumq; cutē densare nō secus, quàm in superioribus erat rarefaciēda. Frigidus aēr est ijs comparandus, vnguentis adstringentibus vngendi, alimenta danda, quæ non admodū facilè defluant: ergo panis, & sorbitiones ex alica cōuenient: itemq; fugaces fructus austeri, & qui difficiliter corrumpuntur: hiq; & per se, & verò etiam cum pane: danda etiam sunt oua, & præsertim eorum vitelli, & cerebrum porcellorum. Vinum autem dilutum statim sub initio post cibū sumptū est eis necessarium.

De alijs causis, ex quibus syncopæ oriuntur. Cap. XXVIII.

ALiæ porrò causæ quatuor sunt, ex quibus syncopæ fiunt, dolor vehemens, vigilię, immodica euacuatio, & interdum motio delirantiū: si vis tu, quintam adde, principiorum intemperiem. ac celerrima quidem pernicies subsequitur affecto corde, deinde cerebro, tum breui, iecore.

De dolore. Cap. XXIX.

DOlor igitur qui ſtuporem affert, ex affectione frigida oritur: pulſans verò dolor magnæ inflammationis eſt proprius. Si verò tanquam ab aculeo infixo, aut tanquam à terebro perforari putes, doloris ſpecies eſt craſsi inteſtini. Pungens dolor in membranis verſatur, pertundens verò vehementiſsimis non heterocranijs ſolùm, ſed etiã cephaleis accidit. Eſt hic dolor, cũ à parte quæ primo loco affecta eſt, ceu à radice, ſtatim in vicinas partes perfertur. Diſtẽdentes ex vtraq; parte neruorum dolores ſunt, quia ad vtraq; extrema nerui tẽduntur: carent autem nerui doloribus in latum tendentibus, at mẽbrana ſub cute exporrecta, tendẽtes ſtupefaciẽtesq; dolores inducit. Quæ verò inter carnẽ inhęreſcunt, earum dolores veluti dilaniãtes ſunt: multę enim ſunt, & inęqualiter inſertæ, quæ carnem amplectuntur: at earum quę oſsibus adiacent, profundi ſunt dolores, & ipſorum oſsium dolentiũ imaginem referunt. Cùm igitur nulla doloris cauſa extrinſecus ortavideatur, antecedens victus ratio perpendenda eſt: vtrum in maiore ocio quis vixerit, quàm cõſueſſet, an plus cibi ingeſſerit, idq; ex valenti materia: an verò excretio aliqua conſueta retineatur. Si quid horũ, aut hęc omnia ſubeſſe videantur, doloris in cauſa eſt repletio: quo caſu hominem quamcelerrimè euacuabis. Hac enim ratione tibi licebit, cum ſumma tutela remedijs, in particulis dolore affectis vti, quæ fluxionem repellũt. Ergo ſi copia ſanguinis ſit quæ diſtendat, protinus incidẽda eſt magna vena, quæ parti affectæ propinqua ſit: ſi vitioſi humores ſolùm vexẽt, eſt adhibenda purgatio: ſi vtrunq; adſit, vtroq; vacuationis genere vtendum, ita, vt primùm vena ſecetur. His peractis, ſi dolor perſeueret, planum eſt, id quod

quod dolorē inuehit, in affecta particula impactum esse: constatq; curationē ipsam in digerentibus medicamentis esse positam. Dolores quoq; quos spiritus flatuosus excitauit, curabimus: sed in ijs magis extenuantibus cibis potionibusq; vtemur, & per sedem iniectionibus, & irrorationibus, atq; fomentis ipsum corpus ambiens rarefaciemus. Si verò tumor aliquis aut grauans aut cōtundens dolorē creet, tumor ipse curādus est: sin humor erodens affligat, aduersissima ei sunt extenuantia & calefacientia. Anethum verò oleo incoctū dolorem lenit, somnumq; conciliat: id quod viride potius, quàm siccum facit.

De colliquatione. Cap. XXX.

CVm excernitur aliquid per ventrem, quod non ab esculentis & poculentis, sed ex corpore procedit humore in aluum confluente, qui similis est ei flauæ bili quæ continuò euomitur, & per secessum deijcitur, ab eaq; differt tum fœditate odoris, tum quod deiectū excrementū magis rufum est, & habet crassitudinem strigmenti, & quandoq; etiam olei, tunc caro pinguis & recens cōpacta ab ardenti febre resoluitur & colliquatur. Si malum inueterarit, etiam aliquid ex solidis partibus liquescit. In hac pernicio sissima febri vtilis est potio frigidæ, quæ à fonte frigidissimo hauriatur. Eiusmodi quoq; esse debent cataplasmata, & epithemata refrigerantia, quæ super thoracem & præcordia imponantur. cibi etiam refrigerantes dandi sunt.

De vigilijs in febrib. ex Galeno. Cap. XXXI.

CVm nimijs vigilijs ægri torquentur, ijs crura & brachia vinciri quo tempore somno se tradere consueuerunt, & item excitari iubemus: eosque palpebras aperire & cōniuere cogimus, donec abundè fatigati sint: tum derepentè vincula soluimus, lucer-

nam auferimus, multamq; quietem imperamus.

De ijsdem, ex Herodoto. Cap. XXXII.

SI verò vehemẽtius vigiliæ vrgeant, in acceſsionis remiſsione abluenda facies eſt nigrorũ papauerum decocto: naribus autem admoueatur papaueris albi cortex toſtus & tritus, & mandragoræ radicis tantundem læuigabis, & cum vino ac roſaceo malagma conficies. Fronti quoq; imponendum eſt ſerpyllum cum meliloto in paſſo decoctum. Hoc in acceſsionibus etiam vtendum eſt. Vel trita papauera pane cum roſaceo, vel cerato excipimus, & adhibemus. Victus eſto quodãmodo plenior. Sorbitionibus autem imponatur ſeminis papauerum alborum quantum tria impleat cochlearia: oleribus verò admiſceatur papaueris nigri, ſi folia ſint, quãtum tribus digitis poſsis comprehendere: ſi ea non adſint, tria, quatuórue papauera ſicca ſimul incoquantur. Si ne ita quidẽ ſomno corripiantur, liquore papaueris, aut ſucco mandragoræ illinantur.

De graui ſopore qui κατάφορὰ dicitur, ex Herodoto. Cap. XXXIII.

FAcies poſca in qua lactis parum ſit adiectum, abſtergenda eſt, extremaq; ſunt validis excipienda ligamentis. Naribus quæ vim incidendi habeant, admoueantur. In remiſsionibus cucurbitulæ dorſo, & ſpinæ egregiè affigantur. Si morbus adhuc maneat, in febrium remiſsionibus quæ ſternutamenta excitant, adhibeantur: ciborum verò materia ſit, quę incidendi, diuidendiq; vim habeat.

De canina appetentia. Cap. XXXIIII.

QVi appetitu, qui caninus appellatur, laborant, ijs pro ſummo remedio vinum dandũ eſt ex eorum numero, quæ abundè calefaciunt: eiuſmodi ſunt quæ colore tulua, rubraq; ſunt, & minimè adſtringentia.

Iis porrò cùm ad prandium accedunt, primùm pinguia, mox alia omnia ex veteri oleo præparata, in quo nihil austeri vel adstringẽtis ex se insit, offerenda sunt: post hæc vinum, quod dixi, licet illi non sitiant, dari iubeo: cùm enim id diutius fecerint, ipse morbus ita sedabitur.

De cibi fastidio. Cap. XXXV.

SI vitiosi humores cibi fastidium induxerint, ijs cibos & potiones dare cõuenit, qui ad eiusmodi succos vel per vomitũ, vel per aluũ excernẽdos, vel ad meliores reddẽdos sint accõmodati. In quibus verò virium imbecillitas cibi fastidiũ peperit, in ijs, quoniã omnes vires ex particularũ intẽperie sunt infirmę, species intemperiei ipsius est curanda cõtrarijs.

De fame ingenti, quam βούλιμον nominant. Cap. XXXVI.

QVi in itineribus aut aliàs magna fame corripiuntur, reficiendi sunt tum alijs quæ naribus admouentur, tum etiam carnibus suillis assatis, atq; hœdinis, & ad summam, omnibus quæ nidorosum odorem referunt. Extremæ eorũ partes deligandæ sunt, ipsiq; erigendi, maxillæ item pungendæ, & capilli, aut aures vellicandæ. Cùm refecti fuerint, panem ex diluta vini potione, aut aliquid aliud, quod facilè distribuatur, eis dabimus.

De siti immodica. Cap. XXXVII.

SItim admodũ longã ex siccitate, aut caliditate particularum, per quas humor ex ore in ventriculũ importatur, oriri existimandum est. Siccitatis autem remediũ est somnus, vigilię verò caliditatis. Nonnulli verò ex vini potione sitibundi fiunt, & ex caliditate esculentorum: his remedio est frigida potio. Sed qui siti quæ extingui nõ potest, enecti sunt, quẽadmodũ cibos vitiosos expetũt pro portione humoris

vitiosi qui exuperat, ita etiam prauas potiones desiderant, ex quibus etiam mortui sunt. Noui ego, qui viperas dipsadas comedissent: itemq; alios, qui vino veteri se inebriassent: & item nauigantes quicunq; ob aquæ potabilis inopiam, marinam bibere ausi essent, omnes interijsse.

De siti, Philumeni. Cap. XXXVIII.

SItim quæ in febribus oritur, lenire consueuit capitis irrigatio ex oleo frigidissimo, aut rosaceo desuper irrorato. Optimè vtrò ad sitim facit nigræ lactucæ semen commanducatum, & radix quæ dulcis appellatur, & cucumeris semen etiam commanducatum, & in ore retentum.

Dioscoridæ catapotium ἄδιψον ad sitim leniendam. Cap. XXXIX.

HAbet hoc catapotium, seminis cucumeris satiui drach. v i i i. tragacanthæ drach. i i i i. tragacantha dissoluitur albo ouorum crudorum recẽtium. Cùm dissoluta fuerit, contritam cæteris adiunge: cumq; emollieris, catapotia conficito, atq; in vmbra exiccato. Ex ijs vnum sub lingua tenẽdum præbetur, vt dissolutus humor deglutiatur. Iam verò dilutum malorum cydoniorum, aut pirorum, aut mespilorum, aut pampinorũ vitis, aut mali granati liquorem, aut omphacij succum sorbeant.

De nausea. Cap. XL.

CVm æger absq; cibi sumptione nausea tentatur, possumus, arbitror, ratione facilè comprehendere, ventriculũ prauis humoribus vexari. Nonnulli quidem vellicatur, sed cùm humor in tunicis impactus sit, nihil vomunt: ergo pituitosi humores cõcoquendi sunt, seruando ęgrum in quiete, inedia, & somno. Tenuiores verò humores reijcit vomitus, qui nonnunquam ex ptisanæ cremore, nõnunquam verò ex

aqua

aqua mulsa sit excitus. Quicunq; autem glutinosi & crassi sunt, attenuantia desiderant.

Ex Philumeno, quæ sit vomitioni bilis adhibenda curatio. Cap. XLI.

BIlem vomentibus applicādum est cataplasma ex palmulis, aut malicorio, aut galla, vino incoctis, vel posca, pane simul dissoluto. Acacia itidem, hypocistis, balaustiū, & rhus, cataplasmati adiungantur. Cucurbitula quoq; cum largiore flamma affixa, magno pere adiuuat. Cibum sæpe & paulatim dabimus. Iis verò qui atram bilem vomūt, & stomachus flatu est plenus, spongias acerrimo madefactas aceto imponito: vel hederæ folia in vino cocta adhibeto.

De singultu ex Galeno. Cap. XLII.

SIngultus oritur ex repletione, aut inanitione, aut acribus humoribus stomachum erodētibus: quibus vomitu reiectis singultus sedatur. Pleriq; autē sumpto medicamēto, quod ex tribus piperis generibus constat, si statim vinum superbiberint, singultiunt: nonnulli verò cibo intus corrupto à singultu corripiuntur. Compertū ergo est, vomitum satis esse ad curandum eum singultum, quem repletio, aut morsus excitauit: eum verò qui à frigore ortum ducat, calore finiri. Cùm autem ex humorū repletione singultus oritur, violēta euacuatione indiget, quæ sternutamēto præstatur: at singultus ab inanitione ob-ortos sternutamentum non sanat. Singultientibus autem ruta cum vino, vel calamintha, vel nardum celticum datur.

Quæ curatio sit linguæ asperæ adhibenda. Cap. XLIII.

LInguæ asperitas humectanda est decocto seminis lini in os laborātis dato. Melius autem facit si myxa cum lini semine coquamus, ac digito in hunc suc-

cum intincto linguam confricatam, aqua pura abluamus, vel spongia abstergamus, deinde rosaceo illinamus. Atq; etiam ipsum rosaceum melli admistum in id vehemèter efficax est: itemq; portulacæ succus in ore retentus, & rhu obsoniorum mulsę commistum. Egregiè quoq; faciunt damascenorum & myxarum ossa in ore detenta, necnon & lactucæ cauliculus.

Curatio exulcerationis, quæ circa os sacrum exoritur. Cap. XLIIII.

CVm locus incipit rubescere, circulum iustæ magnitudinis ex lana eidem subijciemus: deinde rosaceum, aut myrtinum ceratum cõficiemus, quod argenti spumam, aut cerussam habeat, & imponemus. Exorta verò inflãmatione cataplasma ex pane cum solano, aut herba sanguinali, aut plantagine, aut tenera brassica admouetur: si vlceratio pascendo serpat, lenticula cum malicorio illinenda erit.

De animæ defectione ex inanitionibus. Cap. XLV.

CVm propter euacuationes anima deficit, ijs aqua aspergenda est, nares apprehendendæ, os ventriculi confricandũ, vomitus imperandus, quin etiam brachia & crura liganda sunt, ligamentaq; plura, & vehementiora esse debent: atque à superioribus partibus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores pertinere. Dissolutiones porrò ex subitis euacuationibus ortas, vinum frigida temperatum curat, si nihil ipsum dari vetet. Balnea ad defluxiones in ventriculum sunt accõmodata vel maximè, sed sanguinis profluuia vehemèter proritant. Iis præterea qui propter nimiam sudoris copiam resoluuntur, infensissima sunt: quandoquidem eorum cutis non laxanda, sed refrigeranda, atq; adstringenda est: ijsq; præcipuè frigidum vinum dare conuenit.

Si ani-

Si anima deficiat ob plenitudinem.

Cap. XLVI.

QVi ob plenitudinem animo destituuntur, ijs confricandi sunt artus, calefaciendiq;, ac vinciendi, à vino ciboq; abstinendi: itemq; à balneo, si febrem habeant, ijs satis est potio mulsæ, in qua vel thymum, vel origanum, vel pulegium, vel hyssopum sit incoctum: eisdem quoque oxymel est idoneum.

Curatio ad sanguinis destillationem.

Cap. XLVII.

QVia destillatio quæ ex contusione vel densitate euenit, totius corporis aut capitis redundãtiam indicat: largior autem excretio potest redundantiam minuere atque laxare: consentaneum est, ipsam inde moliri, vnde natura initium mouendi sumpserit: accõmodatius enim inde, quàm aliunde ducitur. Cùm hæc mecum ipse reputarẽ, non veritus sum in quartanarũ destillationibus scalpello, vt est in more positum, vasa quæ in naribus sunt, vulnerare: qua quidem in re non exiguo sanguinis fluore contentũ esse, sed detrahere pro viribus oportet.

FINIS SEXTI LIBRI.

SEPTIMI LIBRI ARGVMENTVM.

Septimus, omnium vlcerum, sanguinis profluuij, cicatricum, neruorum conuulneratorum, defluxionum, gangrænæ, abscessuum, strumarum, fistularum, formicarum, et elephantiæ curationes exequitur.

CVIVS HAEC SVNT CAPITA.

De simplicibus vlcerib. Cap. I.
De cauis vlceribus. II.
De vlceribus quibus est inducenda cicatrix. III.
Quomodo caro vlceribus supercrescens exedatur. IIII.
Ad vlcera, quæ in summa cute sunt, ad intertrigines, ad abrasa, inueterata vlcera, senilem teneramq; cutem. Caput V.
Ad ambusta. VI.
Ad exanthemata. VII.
De pruritu. VIII.
De pustulis, quæ phlyctænæ dicuntur. IX.
De vlceribus, quæ cicatrice obducta iterum rumpuntur. Caput X.
De vlceribus malignis. XI.
Ad carbunculos. XII.
De cancro. XIII.
De carne contusa, & sanguinis coitu subter cutem, quod ecchymoma nominatur. Caput XIIII.
De ruptis & conuulsis. XV.
De luxatis & contusis. XVI.
Quæ spicula, surculosq; educant. Caput XVII.
De reduuijs. XVIII.
De vlceribus articulorum. XIX.
De sanguinis profluuio. XX.
Ad cicatrices nigricantes, & quæ ex impetigine fiunt, & ad stigmata. XXI.
De neruis vulneratis. XXII.
Ad articulos luxatos. XXIII.
De inflammatione. XXIIII.
De affectione quæ ex defluxionibus fit. XXV.
De ijs qui ex affectionib. quas defluxio concitauit, purulenti fiunt. XXVI.
De gangræna et sphacelo Galeni. Caput XXVII.
De abscessibus. XXVIII.
De strumis & phymate. Caput XXIX.
De fistula. XXX.
De bubonibus. XXXI.
De erysipelate, hoc est, igne sacro. Caput XXXII.
De herpete. XXXIII.
De scirrhis. XXXIIII.
De œdemate. XXXV.

De te-

De terebintho. XXXVI.
De epinyctidibus. XXXVII.
De ligamentis dissectis. Caput XXXVIII.
De thymo. XXXIX.
De ficis. XL.
De furunculo, qui dothien vocatur. Caput XLI.
Ad epinyctidas. XLII.
De verrucis, myrmecio, & similibus. XLIII.
Ad ganglia. XLIIII.
Ad perniones. XLV.
Ad digitorum, totiusq; pedis rimas. XLVI.
Ad pudenda vlcerata. Caput XLVII.
De leuce, alpho, melane, lepra, & scabie. XLVIII.
De impetigine. XLIX.
De inflatione. L.
De elephantia. LI.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER SEPTIMVS.

De simplicibus vlceribus. Cap. primum.

QVONIAM simplex vlcus est solùm diuisio, si quis partes diuisas fascia in orbem circundata cõmittat, diductæ partes absq; vllo negotio coalescent. Cùm verò alterum vlceris labium in obliquum versum sit, inde incipienda est deligatio, & in contrariam partem adducendum: cùm verò in vtranq; partem labia sunt diducta, principium deligandi ab vtroq; sumendũ est, atq; ita labia in vnum adducẽda: nam cùm nihil intra oras inciderit, vt pilus, aut arena, aut oleum, aut sordes, aut aliud generis eiusdem, vlcus omnino concrescet. Verùm si magnum vlcus sit, vt partes diductæ in vnum penitus conduci non queant, aut sanies sit ibidem accumulata, aut dolor vrgeat, huiusmodi vlcus ex sola coniunctione conglutinari nõ potest: opus verò est me-

dicameno exiccante,quod aggregatam ſaniem con ſumat, & ne alia præterea fluat,impediat. Ex liquidis igitur optimum eſt vinum, deinde poſca, atque etiam mulſa.Inter cætera verò vlcus glutinant folia quercus illita,itēq; ſalicis & braſsicę,necnon etiam chamęleę fructus & folia,ſuccusq; auſterioris & ſiccioris plantaginis : papyrus poſca,aut vino imbuta, & in orbem circundata.Recentia verò vlcera glutinant pini,& piceæ folia,& cortex recens inſtar ligamenti inuolutus : ſpōgia noua cum aqua,aut poſca, aut vino,caſeus recens antè lęuigatus. Extrinſecus autem imponuntur folia lapathi,aut vitis,aut betæ, aut lactucæ. Caſeus verò ex acido lacte confectus etiam vulnera maiora cōglutinat:pira ſylueſtria fluxionē reprimunt : cauda equina herba illita neruos etiam inciſos iungit. Iſatis ſatiua vlcera in duris corporibus etiam ſi in capitibus muſculorū ſint, perſanat.Cupreſsi folia,& germina,nouelli globuli & teneri in duris quoq; corporibus proſunt ,ſed eis miſcenda eſt in puluerem redacta aranea,quæ farinam excipiat è muro molis vicino: myrrha ex aqua illita, vel thuris lachryma.Terreſtres lumbrici etiam neruos prēciſos agglutināt,pentaphylli folia cum melle,allia cōbuſta illita. Ad vlcera autē inueterata facit anagallis cum cerato: itemq; hordeū cōbuſtum, & ceruſſa cum cerati myrtei triplicato pondere. Ad vlcera capitis myrrhā aridam inſperge, eamq; non madefacito:nam celeriter in vnum cōducit,vel aridam aloēn, aut ariſtolochiā ex aqua tritam, id quod oſſa quoq; cōmittit : aut thuris lachrymam,& myrrhā parib.portionibus cōtere, & cum melle & vino coque, donec mediocrē ſpiſsitudinē acquirāt,deinde linteo impoſita applicato.Ad vulnera porrò quę cum dolore & inflāmatione affligunt, valet malum puni-

punicum dulce vino incoctũ,tritumq;,& illitum:est enim hoc remedium admirabile, & vsu multiplici cõmendatum: nam & ad vlcera capitis,& pudendorum,& ad ea quę in toto corpore dolorẽ inuehũt,& item ad inflammationes oculorũ est accõmodatum.

De cauis vlceribus. Cap. II.

CAuum vlcus humidum est atq; sordidum : eo fit, vt medicamenta postulet quæ modicè exiccent, & abstergeãt:huius generis sunt lachryma thuris,farina hordei,fabarum & erui,iris,aristolochia,cadmia, panax,& pompholyx. Si medicamentum ad creandam carnem adhibitum nihil proficiat, ad aliud erit sic transeundum:si maior sordium copia,vlcusq; ipsum sit humidius,scire cõuenit,medicamentum minus desiccasse, idq; mellis admistione erit intendendum:si purum & absq; humore videatur, plus quàm oportebat exiccasse:idq; olei & cerati mistione erit molliẽdum.Fit quandoq;,vt cùm medicamen sit vehementius,pars aliqua carnis colliquescat ita,vt vlcus sordidum & humidũ perinde appareat,ac si medicamentum minus quàm par est,exiccasset:sed huiusmodi vlcus dum consumitur, magis cauum efficitur, labra intumescunt,rubetq; ipsum,& inflammationis est particeps:& sępenumero ęger se erodi manifestè sentit.In eo verò,in quo medicamentum minus exiccat,nihil tale euenit : putredo igitur lignorum,& præsertim eorum quę moderatè adstringendi,refrigerãdi & abstergendi vi prędita sunt,quemadmodum vlmus, vlcera purgat,eaq; purgata carne implet. Anemonæ quoque appositæ idem præstant. Pini cortex derasus, contritusq; cum cerato & linteis illitus,cauis vlceribus, & præsertim recentibus adhibetur : ea enim carne replet. Cauitates autem sordium plenas expurgat marrubium cum melle,

aristolochia cum melle,& oliuæ colymbades illitæ.

De vlceribus quibus est cicatrix inducenda.
Cap. III.

SI carnem vlcerum quæ ad cicatricem perducenda sunt,ita exiccemus atq; adstringamus,vt non solùm id quod præter naturam abundat, discutiamus, sed etiam id quod secundum naturam est, attingamus, vlceris extremitatem cuti similem efficiemus, & vlceri cicatrix inducetur. Valent autem ad hanc rem, galla immatura,& malicoriũ modicè exiccans,quæque citra adstrictionem,rosionemq; exiccant. Atq; hæc etiam cicatricẽ inducunt: vt myrrha,spuma argenti,& ostrea,si cremẽtur. Hæc nanq; sicca insperſa ad cicatricem sæpenumero perduxerunt,pini cortex cum myrteo cerato, hederæ flos cum cerato,lilij radix cum rosaceo. Vetera autem ad cicatricem perducit viscum cum lachryma thuris,ærugo & diphryges paribus portionibus cum myrteo cerato.

Quomodo caro vlceribus supercrescens exedatur. Cap. IIII.

CAro vlcerib. supercrescens tollitur medicamentis ijs,quæ valenter exiccant:cuiusmodi est asij lapidis flos, & testacea omnia combusta mediocriter,& erinacei vtriq; cum toto corpore cõcremati,itemq; diphryges insperſum. Atramentum verò sutorium & squamam æris insperge.

Ad vlcera quæ in summa cute sunt,ad intertrigines,ad abrasa,inueterata vlcera,senilem teneramq; cutem. Cap. V.

ARgenti spumæ chrysitidis drach.L. ceræ drach. x x. resinæ siccæ ex picea drach.x I I. olei hemina. Argenti spumę in oleo coctæ ceram & resinam adijcito : vbi emplastri spissitudinem acquisiuerint, ab igne auferto, in pilamq; conijcito, & emollitis vtitor.

tor. Sed cutis abrasa non est ab vlceribus amputanda, sed medicamentum ei indendum, & foris etiam aliquod medicamentum accommodatum imponendum. Sic enim, licet iam nigrescat abrasa cutis, sępenumero agglutinatur. Si verò vlcus carne nudum sit, cicatrix difficiliter inducitur, cùm & erodatur, & sordidum sit. Abrasa autem ab inflámatione tuetur rhu rubrũ, læuigatum, cum melle illitum, & iunci rotundi coma cremata, & cum melle imposita. Ad intertrigines verò quæ à calceis efficiuntur, valet pulmo agninus, & suillus, & caprillus. Porrò cutim ab æstu adustam non iuuant ea quæ calefaciunt, sed quæ inflámationem sedant. Hic verò cinis exiccandi vim habet: cæpam cum adipe gallinaceo læuigato, gallam adurito, contundito, & illine: acaciá aceto dilue, & inungito.

Ad igni combusta. Cap. VI.

QVæ igni combusta sunt, medicamentis indigent quæ citra euidentem calorem aut frigiditatem abstergeant: ergo terra chia, & cimolia, & terra omnis leuis illita ex aceto nõ valde acri, vel aqua admixta egregiè facit, & pustulas vetat excitari. Itẽq; ouum integrum crudum statim impositum, lana molli exceptum: nam & moderatè refrigerat, & citra mordicationem exiccat. Præterea atramentũ scriptorium illine, lenticulamq; vbi decoxeris tere, & illine: lixiuium cum calce viua cerato admisce, illitumq; linteolo impone. partes vlceratæ porris tritis oblinuntur. Columbinum stercus linteo inuolutum combure donec in cinerẽ redigatur, eoq; oleo diluto vtere. Mirificè autem facit pini aut piceæ cortex, aut adiantum siccum læuigatum, aut myrti folia combusta, & trita. horum verò vnumquodq; etiam cum cerato coniunctum facit. Ad vstiones verò ex aqua ca-

lida priusquã pustulæ prodierint, aqua oliuarũ halmadum cõtinuè aspersa valet. Ipsę quoq; oliuę contusæ imponuntur: aut alumen scissile ex aceto contere, & illine: vel, vt Adamantinus facere solebat, liliorum bulbos cum rosaceo tere, & ad sordium spissitudinem redige, atque illine.

Ad exanthemata. Cap. VII.

EXanthemata ex crasis humoribus in cute cõcretis, & magis cùm superior pellicula est dẽsior, oriuntur. Qui hoc morbo vexantur, per cuté sunt vacuandi, nec procul in altum attrahendum est per aluum aut vomitus euacuando. Sed nemo putet, me id consilij dare, huiusmodi humores non esse per aluũ euacuandos: quia in quibus humorum plenitudo infixa est, primùm est adhibenda purgatio. Quod si quis non faciat, sed prius discutere aggrediatur, humores obstruet potius, quàm per cuté euacuabit. Porrò humorum qui cuti sunt impacti, curatio ex adurentibus & calefacientibus ineunda est, idq; præcipuè cùm lata fuerint exanthemata: ea enim humorem neq; tenuem, neq; calidũ, sed satis & frigidum & crassum esse indicant. Ergo lauri tenerorum folio rum, & rutæ, & mannæ pares portiones conterito, atque illinito. Ceræ drach. v i i i. sulphuris tantundem, * salis drach. v i. arida cõterito, ijsq; olei mediam heminam affundito, & simul incoquito, & emplastro facto vtitor. Sed coctioni est diligenter assistendum, siquidem valde efficax medicamẽtum est.

* *Alter codex habet aloës.*

De pruritu. Cap. VIII.

PRuritus excitandi sunt, cùm ex alto euocare humores oportet: prohibẽdi verò, cùm partes prurientes periclitantur, ne aut scabie, aut lepra, aut aliquo alio maligno vlcere corripiantur. Cæterùm prohibentur medicamentis repellentibus, vel etiam pruritum

ritum tolerando, neque contrectando: siquidem ita quoq; sedari pruritus cõsueuit. Pruritus verò à scabie excitatos, aqua marina calida, aut aceto calido perlue. Simili quoque modo agrestis cucumeris decocto persperge: vel vitis veteris corticem in fictili frigito, eoq; locum scabiosum fricato, butyroq; illi nito, & alligato, hocque medicamento donec locus consanescat, vtitor. Iam verò opiũ cum liquido cerato inunctum, & pruritus, & pustulas quæ psidracia dicuntur, mitigat.

De pustulis quæ phlyctænæ nominantur. Cap. IX.

PHlyctænas quoque acuta acu, qua parte defluxus humoris subest, perforare oportet: deinde humorem leuiter exprimere, & cutim obductam sinere. Si occluso foramine phlyctæna impleatur, ea erit eodem modo perforanda, & cutis comprimenda: atq; ita compressa seruanda est, donec id quod sub ea vlceratum est, ad cicatricem veniat. Antequam igitur pustulæ erumpant, coctam lenticulam cum aqua lẽuigatam illinito: aut mali granati virgulta cinere calido tepefacta imponito, locumq; torrefacito. Si autem ruptæ fuerint, vlcusq; sit excitatum, adeps suillus liquefactus cum lenticula læuigata linteo illinitur, & imponitur: aut lilij radix aqua incocta & contrita cum cerato adhibetur.

De vlceribus quæ cicatrice obducta iterum rumpuntur. Cap. X.

NOnnulla vlcera sunt, quæ inducta cicatrice, frequenter non multo post tempore, iterum inflammatione infestantur, & rumpuntur: etenim osse aliquo affecto, quãdoq; caro circundata ad cicatricem facile perducitur, & sanitatẽ planè videtur adepta esse: sed cùm humoris validus defluxus paulatim ex osse

in profundo corrupto, delabitur, tum & inflammatio, & pus suboritur, quibus cicatrix obducta deraditur. Ecquæ igitur est horum vlcerum curatio? nimirum tanta exiccatio, vt os affectum decidat. Ossium autem sinus cõcauos facilè replebis, si papaueris sylueſtris, & ficulna folia læuigata cum polenta & vino illeueris, aut si alterci seminis & atramẽti sutorij par pódus cõtriueris, & imposueris. Peucedani verò radix osium squamas celeriter disiungit.

De vlceribus malignis. Cap. XI.

MAligna vlcera, quæq; difficulter ad cicatricem perducuntur: itemque chironia, & putrida, lemnia sphragis vehementer adiuuat. Eius vsus quãtitas ex malitia vlceris æstimatur: nam ad vlcus quod tetri odoris est, admodumq; flaccidũ & sordidum, lemnia ex aceto acerrimo diluitur ad luti spissitudinẽ. Adhibetur quoq; ex vino, aut aqua, aut oxymelite, aut posca, aut mulsa, aut quoquo modo vsus postulet. Accõmodatum verò medicamẽtum erit, si quis eam in pila plumbea cum plumbeo pistillo confecerit, rosaceum aut immaturum oleum affundens, aut semperuiuę succũ, aut cotyledonis, aut lactucæ, aut psyllij, aut omphacij, & tanquam liquore aliquo vlcera confricuerit, atq; inunxerit. Optimũ enim habebit medicamentum ad carcinode, malignaq; vlcera: ad pudendorũ, testium, & mammarum inflammationes: & item ad sedis vlcera, aut rugas eminentes. Porrò centaurium minus recens inueteratis vlceribus, & quæ difficulter cicatricem recipiunt, ad cicatricẽ perducit, & maligna sanat: itemq; cupressi folia, & germina, & globuli noui & teneri: & humores qui in flaccidis & putridis affectionib. in profundo sunt demersi, sine molestia & tutò depascunt. Cyperi radices vlcera, quibus propter nimium humorem

morem induci cicatrix difficulter potest, mirabiliter iuuant. Cucurbitæ aridæ combustæ cinis vlceribus humidis sine inflammatione putrescentibus, & præsertim ijs quæ in pudendi præputio sunt, conuenit. simili quoq; modo benefacit anethi radix. Plantago etiam malignis vlceribus, defluxionibus, & putredini cõuenit: & isatis satiua omni vlceri maligno viriliter obsistit, licet putrescat, licetq; depascatur. Si verò vehementior fortè, quàm ægri natura ferre queat, tibi videatur, eius folijs læuigatis addere oportebit vel panem, vel hordeaceã farinam, aut frumentaceã, aut polẽtam, pro ratione affectionis, quæ in vnoquoque sit. Testaceis porrò vtimur ad cauitates diuturnas, quæq; vix carne implẽtur, quę ex defluxionibus fiunt, & fistulosæ ac profundæ sunt. Lanę autem combustę carnes flaccidas vlcerum celerrimè liquefaciunt. Platani verò cortex combustus, atq; insperſus, vlcera quæ propter nimiam humiditatem flaccida sordidaq; sunt, curat. Peucedani radix malignis vlceribus illita præstantissimum medicamentũ est: nam & purgat, & carne replet, & ad cicatricem perducit. Aloë vlcera quæ ægrè ad cicatricem perueniunt, & præsertim quæ in sede & pudendis sunt, curat. est etiam ad earundẽ partium inflammationes vtilis ex aqua dissoluta. Vlcera verò antiqua sanat cera in sole emollita, cui multum squamæ ęris, aut chrysocollę sit adiunctum: est autem linteo illinenda, & adhibenda, cuius splenium non est continuò auferendũ. Ad chironia autẽ valet hoc, quod habet squamæ ęris drach. x. ceræ tantundem, alumnis drach. 11. cæram calefacito, emollitoq;, & arida in pollinem redacta excipito, ijsq; linteo impositis vtitor. Ad effera autem vlcera malicorium læuigatum combustũ imponito: aut alumen scissile vstum

tritumq; inſpergito: aut hoc medicamentum adhibe, quod conſtat ex hyſſopi drachmis quatuor, vuæ paſſæ drach. 1111. nitri drach. 11. loco prius melle illito hæc trita applicatur. Putrida verò & depaſcentia vlcera valentiorib. remedijs indigẽt: qualia ſunt chalcitis, auripigmẽtum, & calx: hæc enim æquè ac ignis adurunt, & quandoque ijs à morbo victis ad ignem confugimus. Iam verò marrubiũ ex vino coctum illine: eruum læuigatũ cum melle impone: oliuæ teneræ folijs in vino coctis & contritis eodẽ modo vtitor. Præterea marina aqua calida perfundenda. Cæterùm vermes, qui in vlceribus putreſcentibus ſunt, calaminthæ ſuccus aufert.

Ad carbunculos. Cap. XII.

SAnguis melancholicus effectus atque feruefcens, cutimq; accẽdens carbones gignit. Quocirca cum cruſta exoriuntur, puſtulis, quę phlyctęnæ appellantur, vlcus pręcedentib. vt in igni ambuſtis fieri conſueuit: febrim quoq; acutiſsimam, & periculum celerè inuehunt. Cùm verò pruritu vexentur, quando que vna, quandoq; plures puſtulæ erũpunt exiguæ, & frequentes, & continuæ, milio ſimiles, quæ ruptæ vlcus pariter cum cruſta faciunt, cuius color quandoq; cinereus eſt, quãdoq; niger: caro verò circundata feruida inflammatione tentatur, nigroq; colore perfunditur, & non ſecus quàm bitumen & pix ſplendet. Huiuſmodi verò eſt bilis exquiſitè atra. Qui adhibere huic morbo medicinam velit, ei à venæ ſectione incipiendum eſt, euacuandumq; vſque ad animi defectionẽ. Scarificare quoq; poſt ſanguinis miſsionem non erit incommodum: id quod altioribus plagis propter ſucci craſsitiem erit faciendum. Affectæ autem particulæ inducuntur, quæ moderatè repellunt, atque digerunt: quale eſt catapla-

ſma

ſma quod ex plãtagine & lenticula cocta cõſtat, cui mica ſit adiuncta panis, qui in furno cõfectus ſit, qui neq; valde à furfure ſit purgatus, neque valde ſordidus ſit. Super ipſum verò vlcus aliquod medicamentum valens imponemus, vt quod ad Andronem autorem refertur, vino dulci diluẽtes ad ſordiũ ſpiſſitudinem. Sedata autem feruida illa inflammatione, vlceri perinde atq; alijs, cicatricẽ inducemus. Auellanę veteres oleoſę carbunculos ad pus perducunt, itemq; cupreſsi folia & germina, noui & teneri globuli cum polenta, vua paſſa acinorum expers, & trita, ficus coctæ in vino contuſæ.

De cancro. Cap. XIII.

IAm verò cancri quoq; ex atra bili feruente oriuntur, quæ ſi acrior fuerit, cum vlcere erũpunt: quam ob rem colore nigriore ſunt quàm inflammationes, verùm abſq; caliditate. Sed in his venę magis, quàm in inflammationibus implentur, & diſtenduntur, ne que ita rubent, vt in inflammationibus, ſed color earum ſanguinis colori reſpõdet. Cæterũ cancer propter huius humoris craſsitiẽ non ſaneſcit: ſiquidem neq; repelli, neq; diſcuti queat, neq; totius corporis purgationib. cedat: mitioraq; medicamenta adhibita, negligat, à vehementioribus autẽ magis irritetur. Poſſumus tamen in initio prohibere, ne augeſcat, melãcholici humoris euacuatione, prius quàm altius in affecta particula impingatur. Euacuabimus autẽ, aut ex aliquo ſimplici, vt epithymi drach. IIII. in ſero lactis, aut mulſa propinatis, aut ex hiera, quæ veratrũ nigrum recipiat. Loco autem affecto ſuperpoſitum in vlceratis facit ſine dolore hoc medicamentũ: ſolani ſuccus linteo molli in eo intincto adhibetur: extrinſecus verò lana molliuſcula eodem quoq; ſucco imbuta applicatur, adhibita diligentia

ne hæc ſicceſcant, ſucco continenter affuſo. Erit etiam exulceratis cancris accómodatum id medicamentum, quod ex pompholyge conſtat. Victus autem ægrotanti inſtituatur ex ptiſanæ cremore, & ſero lactis, & ex oleribus, ex malua, cucurbitaq́, & his ſimilibus: ex piſcibus verò ſaxatiles: itemq́ aues omnes, præter paluſtres conueniunt.

De carne contuſa, & ſanguinis coitu ſubter cutem, quod ecchymoma dicitur. Cap. XIIII.

CVm caro ab aliquo pondere ſuperincidente contuſa ſit, exilesq́ venæ quæ in ea ſunt, ruptæ fuerint, ſanguis profunditur, vt ſolet cùm tunica venarũ rariore facta trãſcolat: isq́ ſub cute collectus facit id, quod ecchymoma nominatur, cute etiamnum integra. Noſtrum in hoc cõſilium eſt, concretũ ſanguinem diſsipare: id quod celeriter faciẽdum eſt antequàm nigreſcat. In initio autem adſtringentia ſunt digerentibus admiſcenda, propterea quòd tunicæ venarum contuſæ denſatione indigent: poſt hæc verò ſolis digerentibus, ſine adſtringentibus vtimur: ſcarificatis autẽ initio ecchymomatis, reliquã deinde curationẽ adhibemus. Horũ porrò ſpecies ſunt quæ ſuggillata appellantur, & liuores ex ictu cõtracti, & inter vngues ſanguinis cõcurſus ex percuſsione proueniens. Cæterùm pellis ouis recens detracta, eos qui flagris cæſi ſunt, potius quàm alia omnia, die vnico perſanat: præterea hydropiper vnà cum fructu illitum, ſuggillata & induratos tumores adiuuat, & diſcutit.

De ruptis, & conuulſis. Cap. XV.

RVpta cum ecchymoſi omnino fiunt, medicamentisq́ mediocriter calefacientibus curãtur: quale eſt acopon quod ex nigra populo conficitur, & quæ ſimilia

milia sunt. Curandum verò est, vt in ruptis, quæ in profundo corpore hærent, medicamẽtorum vis intendatur, vt magis acria, magisq; incidentia admoueantur: talibus autẽ cucurbitulæ vsus prodest. Cæterùm cùm totũ ecchymoma celeriter per halitum digestum est, rupta caro facilè coalescit: sin longiore spatio, sordes subnascitur ita, vt iam coire ruptio non queat (labra enim inter se tantùm propè admouentur) ex quo fit, vt leue momẽtum ea facilè separet, & mediũ locum aliquo humore impleat, & quodammodo nouum continuò ecchymoma gignatur, & primo simile, nisi quòd hoc celerius quàm illud digeritur: constatq; ex tenui sanie, cùm prius ecchymoma esset à sanguine. Conuulsa autem fibris quibusdam distractis fiunt, lenirique; tantùm desiderant, quoad dolor sit leuatus: conglutinari enim nõ possunt. Cæterùm aristolochia rotunda ruptis & conuulsis, si quid aliud, est accommodata: itemq; maioris cẽtaurij radix, eiusq; succus, & rheum, & costus, & bdellium cum oxymelite in potu acceptum.

De luxatis & contusis. Cap. XVI.

AD articulos luxatos contusosq; valent, lanæ succidæ, spongia oxelæo imbuta, & imposita: bulbi elixi teneri cum melle, aut cerato, sal læuigatus, farina cum melle, agni folia, & sal, & nitrũ tostum cum cerato: vtere etiam aquæ marinæ calentis superfusione. Vbi inflammatio, doloresq; conquieuerint, partes eluxatas etiam confricare ritè poteris.

Quæ spicula, surculos, spinasq; educunt. Cap. XVII.

SPicula, arundines, spinasque & surculos educunt ambæ anagallides, aristolochia, ammoniacum cum melle, alterci fructus tritus, & illitus. Arũdinis radicem contunde, & melli admixtam in linteo largè il-

linito,imponito,atque alligato,ſubitò enim educit.

De reduuijs. Cap. XVIII.

REduuias paruas & incipientes, galla cum melle reprimit,& prohibet confirmari:vbi verò caro præter naturam excreuerit, conſilium eſt, eam erodentibus abſumere,& colliquare. Valet autem ad reduuias aurium ſordes,& lycium : quæ verò ſuppuratæ ſunt,acu perforari,humorq; emitti,& ſpongia aqua imbuta imponi debet : aut lenticula cum aqua trita illini: vel etiam roſis viridibus,aut ſiccis aqua perfuſis,tritisq;:aut polenta trita cum aqua:caro autē eſt ex omni parte ab vngue ramentis lintei abducenda. Porrò vngues contuſos, myrti & mali punici folijs teneris cōtritis illine: vnguibus autem ſubcruentis farinam pice admixtā adhibe. Vt autem vngues,qui male affecti fuerint, decidant, ſulphur tritum ſuillo adipe exceptum impone. Vt verò ſcabri quoque abſcedant, vtitor hoc, quod habet viſci quercini,ſandarachę,fœnigræci ſingulorum vnc.duas:canthariдum,thapſię,ſingulorum vnciam,aceti quantum ſatis eſt. Ad idem valet fęx ſicca cum cerato impoſita, aut caro ficuum abiectis ſeminibus contuſa:aut vnguem pice ſubunctum,ſulphure & ſandaracha tritis pari pondere illinito. Vnguis autē diligenter radendus, ad æqualitatem redigendus,& vinciendus eſt, vtendumq; ijs, quæ ad vngues abſcedentes valent: ſuper reduuias autem,quæ in digitis ſunt,thuris lachrymā tritam impone,& alliga : aut eruum tritum eodem modo:aut thuris inſecti drach.1.ſandarachę duplum : trita radici vnguis applicato,diligenterq; inſpergito, ſupra verò linamenta ſicca ponito : hoc ſtatim reduuias exiccat. Eſt & aliud bonum, quod etiam valde eſt ad maligna vlcera accommodatum: Gallarum,malicorij acidi,ſquamę rubri æris,& cari

carum

carum combuſtarum pares portiones tere, & miſce cum melle, & ad vnguenti ſpiſsitudinẽ redige: linamenta intinge, & bis in die impone, & liga, locis neque vnctis, neque madefactis: ſi verò humor ſubſit, ſpongia vino perfuſa eundem abſtergebis.

De vlceribus articulorum. Cap. XIX.

ARticuli ſunt carnoſis partibus ſicciores, idcirco cùm vlcerati ſunt, ſiccioribus egent medicamentis: ergo Polyidæ paſtillus ex vino ad ſordium ſpiſsitudinem ſubactus: itemq́; medicamenta quæ æquè ac is deſiccant, probè faciunt: marina quoque & muria ſæpenumero irrigatos articulos melius affectos vidimus: quam ob rem in articulis vtẽdum eſt ijs, quæ maiorem etiam exiccandi vim habent.

De ſanguinis profluuio. Cap. XX.

SAnguinis profluuij remedium eſt appoſitus partis vulneratæ ſitus: huiuſmodi eſt is, qui ſurſum vergit, & caret dolore: nam ſi infra vergat, doloremq́; afferat, tum nõ ſolùm mouebit profluuiũ, ſed etiam ſi non ſit, prouocabit. Cùm ergo particulæ vulneratæ ſunt, & ſanguis fluit, ſtatim digitum ori vaſis ex quo ſanguis effluit, admoueto, leniterq́;, & citra dolorem premens: ita enim grumo compacto ſanguinis defluuium ſiſtetur, eo ſuppreſſo. Medicamentis etiam ſanguinẽ ſiſtentibus vtendum erit: inter quæ, illa quæ obſtruunt, quæ emplaſtica nominantur, potiora ſunt cruſtas inducentibus: ſiquidem interdum cùm cruſta excidit, ne iterum ſanguis fluat, periculum eſt. Optimum verò, quod etiam valet ad defluuium ſanguinis è membranis cerebri, eſt hoc: thuris pars vna, aloës dimidiũ, albo oui ſubigitur ad mellis craſsitudinem: deinde leporis molliſsimis pilis exci pitur: tum vlceri toti liberaliſsimè imponitur, faſciáque linea alligãdum eſt: cuius faſciæ primi quatuor

aut quinq; amplexus ſuper ipſum vas profluens injiciendi nobis ſunt, inde verò ad radicem vaſis ducentur, tertio verò die ſolues: ſiq; medicamentum toto adhuc vlceri adhæret, aliud rurſus ſuperimpones, ac veluti linamentum, quod ex pilis factum eſt, madefaciens, ita deligabis, vt initio feciſti: ſin ſua ſponte linamẽtum excidat, radicẽ vaſis digito blandè comprimens, quatenus nihil defluat, hoc leniter auferes, aliudq; impones: & quoad vas carne munie tur, curare ad hunc modum debebis. At quæ cruſtas generant, vbi cruſta decidit, magis nudam partem, quàm pro ipſius naturali habitu, derelinquunt: & ſę penumero poſtea quàm cruſta decidit, profuſio ſanguinis, quæ ægrè ſupprimi potuit, ſuperuenit: quanquam cruſtificis medicamentis non ſecus atq; ignitis ferramentis vti neceſsitas cogit, vbi ex eroſione putredinis profuſio ſanguinis concitatur. Iſatis ſatiua ſuper partibus, è quibus ſanguis fluit, impoſita, egregiè ſiſtit. Idem faciunt gallæ aduſtæ, quæ cùm ignitæ ſunt, aceto aut vino ſunt extinguendæ. Gypſum, & oui candidũ tenerum, farinamq; triticeam puluerulentam, qualis parietibus adhæret, miſceto: medicamẽtum ad ſanguinis profluuium accommodatum conficies: quod vbi confeceris, leporis pilis, aut aliqua alia re pariter molli excipiẽdum erit. Ad ſanguinis autẽ profuſiones, quæ ex ore, aut thymis, aut formicis, aut verrucis, aut hæmorroidibus fiunt porri folia cõtunde, atq; adhibe: aut rhoën rubram, aut acinos, aut capitula punici mali cõtundens impone: aut ſpongiam nouam pice cruda intinctã adure, & trita vtitor: eſt enim hoc valde efficax. Fluxionem verò ſanguinis ex ore comprimit decoctum frigidum roſarum viridium, aut ſiccarum, aut clauiculorum vitis, aut lentiſci foliorum, aut myrti, aut rubi

bi, aut malorum cydoniorũ, aut punicorum, aut aci norum, aut lenticularum: ijs etiam vtendum erit in-ſeſsibus frigidis, qui ſedi atq; vtero cõueniunt. Ce-terùm victus ratio ijs, quos ſanguinis exercet profu ſio, ſit ex adſtringentibus atque incraſſantibus inſti tuta: huiuſmodi ſunt alica, farinaq; pura decocta, ca ſeus mollis, bulbi cocti, piſces aſſati, palmulę, vinum nigrum auſterum, lenticula, polenta, ouorum tene-rorũ vitelli, pira ſylueſtria, mala cydonia, ſorba, me-ſpila, & quę ſunt his conſimilia. Ad ſanguinis autem fluxũ è naribus valent platani globuli exiccati, quos re aliqua ex ſetis confecta fricabis, ſemen proijcies, lanuginemq; collectam in vaſe fictili nouo repones: cùm vſus exigit, hæc tenuia per calamũ inſpira: fron tem autem & naſum gypſo, aut luto figulari obline. Ad idem facit etiam porri ſuccus lana coacta, aut li-naméto exceptus, & naribus inditus: & manna ſuc-co porri coacta, & impoſita. Foris autem oliuę folijs læuigatis teneris naſus illinendus eſt, & ſuffitum ex cicuta ſuper molli cinere narib. admouebis, & ſpon gijs, aut lanis aqua frigida imbutis, meatus vtriuſq; pinnæ naris obſtrues: crura, brachiaq; vincies, fron-tem & tempora oblines, agglutinantibus ijs quę ad oculorum defluxiones faciunt. Si verò grumi aliqui ſubſint, cùm ſanguinis profuſio adhuc perſeuerat, eos conueniet exprimere, celeriterq; iterum vti me dicamentis ſanguinem comprimentibus, & narium cartilaginem ſub ipſo oſſe duobus digitis pollice & indice comprimere. Prodeſt verò in hiſce profuſio-nibus, & in ijs quæ ex inteſtinis fiunt, porri ſuccum ad cyathos duos potui dare, aut lauri tenera folia contuſa in oxymelite: aut thuris & lauri pares por-tiones læuigabis in vino nigro, quod pari facultate conſtet, & bibendum propinabis: aut toſti oui vitel-

lum ex aquę portiuncula contritum præbe, aut farinam puram crudam, & thus, & gummi paribus portionibus cum aqua tere, & dato.

Ad cicatrices nigricantes, & quæ ex impetigine fiunt, & ſtigmata. Cap. XXI.

NIgras cicatrices tollit inunctũ oleũ, in quo bryoniæ albę, & nigrę radix incocta ſit, donec ſuccũ red dat, calamintha vino cocta, argenti ſpuma roſaceo oleo candido lota. Cicatrices verò quę fiunt ex impetigine concolores reddit adeps aſininus illitus cum argenti ſpuma: erucæ ſuccus cum argẽti ſpuma inunctus: ſtigmata exterit ranũculus illitus, aut caparis folia, aut ceruſſa cum aceto inũcta: id verò procęſſu temporis aufert. Vibices deniq; cõcolores ſtatim facit oleum liliaceum continenter ſubunctum.

De neruis vulneratis. Cap. XXII.

NEruus vulneratus & dolore, & inflãmatione maiore, quàm alia, propter ſenſus excellẽtiam, corripitur. Quocirca cutis vulnus apertum eſt ſeruãdum, vt ſanies per ipſum effluat: vulneriq; adhibenda medicamenta ſunt, quæ dolorem leniant, & aditum effluxui patefaciant: ergo calidam aquam, quæ cæteris apta eſt inflammationibus, his aduerſiſsimam eſſe ſciendum eſt, & accõmodatius ad has eſſe, vt oleo tenuiũ partium, & experte adſtrictionis irrorentur. Ex medicamentis autem idonea eſt reſina, aut terebinthina, eaq; per ſe in pueris, mulieribus, & ijs qui molli ſunt carne: in cæteris verò cum euphorbio: itemq; propolis & per ſe, & cum euphorbio emollita: ſiq; nonnunquam duriora corpora contigerint, cum aliquo ſubtiliore oleo. Cataplaſmate autem in neruis inflammatis, & putreſcentibus vti quiſpiam poterit, quod ex farina hordei, aut fabarũ, aut erui in lixiuio ſtillatitio, aut oxymelite cocta, ſit confectum.

ctum. Cerato verò vti poterit hoc, quod habet cerę vnc. 1 1 1. euphorbij vnciã: aut fimi columbini in durioribus corporibus, olei vnc. 1 1. Cõuenit etiam basilicum medicamentũ, quod nitrum recipit, aut calcem viuam, aut euphorbium, aut ſulphur viuum, aut fimũ ſylueſtris colũbæ: vt in tetrapharmaci libram, horum alicuius vnciam conijcias. Iam verò in agro, vbi tibi nihil ſuppetat, poteris recẽtem, pinguemq; propolin vulneri admouere: aut fermentum ſolum propoli mixtum: aut tithymali ſuccum fermẽto admixtũ. Porrò cataplaſmatis ex lixiuio ſtillatitio atq; oxymelite, & farina fabarum, aut erui, aut cicerum, aut lupinorum amarorum, aut hordei, aut polenta, non ſolùm cùm inflammatione tentantur, ſed etiam ſtatim in ipſo initio vtẽdum eſt. Si verò neruus non punctus ſit, ſed planè cæſim ſit vulneratus ita, vt ipſa etiam cutis ſubiecta ſit diuiſa, vt nudus neruus, & per directum & non per tranſuerſum diuiſus conſpiciatur, tum nullo ex ijs medicamẽtis quæ ex euphorbio conſtant, quæq; non ſecus acria ſunt, vti oportet. Neruus enim nudatus horũ vim, quę vehemens eſt, ferre nõ poterit. Calcem igitur æſtiuo tempore ſæpe lotam, & oleo copioſiore dilutam cape. Facit etiam ad hanc rem, quod ex pompholyge cõficitur, & quod ex melle, in roſaceo liberaliore eliquatum. Nihil autem horum debet vulnus contingere: cùm enim neruus ſenſus vi præſtat, tum verò frigida temperatura eſt, & cum parte cæterarum longè principe continuus eſt. Quin ne oleo quidem huiuſmodi vlcus irrigare conuenit: fit enim ſordidum: ergo ſanies tantùm abluẽda eſt molli lana ſpecillo circumuoluta. Si omnia ſuccedant ex ſententia, etiam vino dulci citra periculum madefaciemus. Poſtquam verò denudatus neruus fuerit cõtectus, linaměta ali-

quo medicamẽto quod anguſtis vulneribus accommodatũ ſit, intincta, quale eſt quod ex euphorbio, aut ſimo columbino paratur, extrinſecus circunducere oportet, ita, vt etiam ſanas partes largè complectatur. Cùm verò tranſuerſum vulnus eſt, maius periculum conuulſionis imminet: ſed quantum ad curationem pertinet, eodem modo progrediẽdum eſt. Victus autem adhibeatur tenuior, quies impertur, lectus mollis eſto, oleo liberaliore alæ, caputq́; perfundantur. Si verò nerui contuſi ſint, cumq́; ijs eſt cõtuſa cutis, & exulceratio ſubſequitur, cataplaſma ex farina fabarũ & oxymelite conuenit: cumq́; contuſioni coniunctus eſt dolor, pix liquida miſcetur. Si verò citra cutis contuſionẽ eueniat, oleo calente cui digerendi facultas inſit, ſæpiſsimè perfundere oportet. Si totus neruus ſit præciſus, periculum nullum ſequetur, ſed membrum mutilum redditur: curatio verò eadem, quæ alijs quoq; vlceribus, adhibebitur. Liquefactum medicamentũ neruis compunctis idoneũ. Facit etiam ad morſos à rabioſis: Aceti ſextarius, picis pinguis lib. opopanacis vnc. III. opopanacem aceto ſolutum magis læuigabis: picem liquefactam, mixtamq́; incoques. Eſt autem hoc medicamẽtum ad neruos compunctos accommodatum, vtpote quod compunctionis os conniuere non ſinat: quemadmodum etiam in ijs, qui à cane rabioſo morſi ſunt, ne vlcus ad cicatricem perducatur, prohibet: ſed in duriuſculis tantùm corporibus facit. Si verò in pueris, aut mulierib. aut molli carne præditis compunctis hoc vti velis, tibi licebit ipſum ex aliquo digerente, vt amaracino, aut opobalſamo, aut oleo vetere liquefacere.

Ad articulos relaxatos. Cap. XXIII.

FAcit ad laxatos articulos acaciæ ſuccus aqua dilutus

lutus & superfusus: aut rubi, aut malicorij, aut myrti folia cum myrteo cerato imposita.

De inflammatione. Cap. XXIIII.

INflammationis initium est, cùm pars impletur sanguinea substantia: incrementũ, cùm id quòd fluebat, cessat: quod uerò in particula est, incipit putrescere, caloremq; præter naturam inuehit, effusioq; & flatus gignitur, particulaq; magis, quàm prius, intenditur: status uerò, cùm pus iam consistit, sed labores maiores uexant: declinatio denique, cùm id quod fluxit digestum est, & moles est diminuta. In principio autem, ea per se admouemus, quæ uim habent repellendi: in incremẽtis, hęc minuimus, digerentiaq; adiungimus: in statu, repellentibus & digerentibus pari portione utimur: si dolor uehemens sit, lenientibus opus est: in declinatione digerentia solùm adhibemus nulla re adiũcta, quæ uim adstringendi habeat. Parietaria autem ad inflammationes, tum in principio, tum in incremento accommodata est, itemq; glaucium. Atriplex, & maluæ hortenses incipientibus & augescentibus, ac ueluti feruescentibus conueniunt: at declinantibus, duratis, & refrigeratis, sylueſtres magis sunt idoneæ: lactuca uerò & cucurbita calidis illitæ bene faciunt. Ad eas uerò, quæ ex fluxionibus fiunt, semperuiua, & tribuli utriq; ualent. brasica uerò durescentib. cõuenit.

De affectione, quæ ex defluxionibus fit. Cap. XXV.

CVm inflammatio derepente particulam aliquam sine manifesta causa præcedẽte obsedit, id quod affectionem eam gignit, defluxio nominatur: ipse uerò morbus affectio ex defluxione. In harũ autem inflammationum principijs danda opera est, ut rectè adhibeatur curatio: totum ergo corpus euacuan-

dum est euacuationibus accommodatis: ipsa uerò pars inflammata, superfundenda atq; illinenda non calefacientibus aut humectantibus medicamentis, sed ijs quæ repellere defluxum possint: quodque in partem affectam iam decubuit, euacuare, vimq; & robur particulis laborantibus afferre. Illinendum ergo est cataplasma, quod ex semperuiuo, mali punici cortice in uino incocto, cera & polenta adiunctis conficitur. hocq; & similibus, cùm dolor uehemens non est, utemur. Vbi uerò particula cum defluxione dolorē maiorē sentit, tum ne aqua quidem calida, aut oleū, aut cataplasmata ex farina sunt adhibenda: fluxionū enim uitijs hęc inimica sunt omnia. Debet uerò doloris uehementia leniri medicamento, quod ex passo, rosaceo, modica cera, lanis sordidis, quæ œsypi multum habeant, confectum sit: quę per æstatem frigida, hyeme uerò tepida excipiuntur, & admouentur ita, ut superiores partibus affectis locos spongia uino austero, aut posca frigida imbuta comprehendant. Si ex horum usu pus non subsidat, emplastro quod ex chalcitide conficitur, aut alio simili ex ijs, quæ ad fluxiones ualent, utemur. Lanam uerò puram uino austero imbutam super medicamento extrinsecus accómodabimus: atque hoc quidem modo inflammationes ex defluxione ortas curabis. Eas uerò, quæ ex aliqua occasione concitantur, calefaciens & humectans non lædes: quas si ad puris confectionem uelis perducere, farina triticea hydrelæo incocta illines: siq; usus quandoq; exiget, ut scarifices, id etiam accommodatè facies. At si inflammationes, quæ ex defluxionibus oriuntur, scarificatione tentabis, & præsertim in principio, eris in causa, vt æger malo aliquo magno afficiatur.

De ijs

De ijs qui ex affectionibus, quas defluxio concitauit, purulenti fiunt. Cap. XXVI.

IN affectione quæ ex defluxione orta est, cùm nulla causa perspicua subsit, semel aut bis vtendum est cataplasmate, ac tunc quidem quod ex hordeo constat, cæteris est præstantius: ei tamen aliqua aceti, aut uini portio addatur. Purè autem dissecto, & uacuato, cauendum postea erit, ne oleum, aut aqua offeratur: verum si vsus postulet, vt vulnus quandoq; abluatur, aqua mulsa, posca, vino, & uino mulso vtendum erit: siq; iterum inflammatio accedat, cataplasma ex lenticula imponetur: si nulla sit inflammatio, aliquod medicamentum ex ijs, quæ emplastica dicuntur, & non minus id quod ex chalcitide constat, ad huiusmodi diuisiones accommodabimus: super quod spongiam, aut lanam vino adstringenti imbutam imponemus. Cæterùm vulneri nullum medicamentum impinguans admouendum est, quale est tetrapharmacum appellatum: siquidem ei exquisita exiccatione opus est.

De gangræna & sphacelo, ex Galeno. Cap. XXVII.

GAngrænas appellant eas mortificationes, quę ex magnitudine inflammationis nondum factæ sunt, sed adhuc fiunt. Hanc affectionem nisi quis celerrimè curet, particula ita affecta statim emoritur, uicinasque partes comprehendit, & hominem occidit. Vbi verò membra sic affecta sensus omnino sunt facta expertia, tum morbus non iam gangræna, sed sphacelus nominatur. Atq; hoc etiam malum ossibus accidit, cùm adiecta ipsis caro saniem prauam gignēs, ossa hac ipsa imbuerit, & corruptela cōsumpserit. Cùm igitur membrū est penitus emortuum, statim præcidendum est quàm proximè sanæ parti-

Gangræna curatur euacuantibus nobis quamplurimum ſanguinis poſſumus ex membro vitiato: ſanguis enim corruptus detrahendus eſt, aut vena ſecta, cùm in ipſo membro vena magna ſit: aut cutis vniuerſa multis profundisq; ſectionibus incidenda eſt. Cumq; ſanguinẽ effluere permiſerimus, aliquod medicamentũ, ex ijs quæ ad putreſcentia valent, imponemus. Huiuſmodi eſt quod ex oxymelite, aut farina erui, aut lolij, aut fabarum conficitur. Si valentius velis imponere, ſal adijciatur, aut paſtillus Andronis, aut alius generis eiuſdem. Ad gangrænas etiam faciunt vetuſtę nuces oleoſę: earũ verò cortex expurgat, & tithymalli liquor in tẽpore & modo adhibitus. Iiſdem quoq; lupinorum amarorum decoctum inſperſum auxiliatur.

De abſceſsibus. Cap. XXVIII.

IN abſceſsibus, quæ apoſtemata dicuntur, ſi puris eruptio impediri non poſſe, tibi videatur, panẽ hydrelæo coctum illines, aut farinam hordeaceam eodem modo apparatam: particulam verò aqua, in qua althææ radix incocta ſit, fouebis. Cùm verò tumor ægrè ad ſuppurationem veniat, ægreq; diſcutiatur, cataplaſmate ex caricis vtitor: oportet autẽ eas dulces, pingues q; incoctas aqua eliqueſcere, & aquam melli tenui ſimilem reddere, farinamq; hordeaceam addere: ſiq; tumor minus, quàm par ſit, digerat, cum caricis erit hyſſopum, aut origanum incoquendum: ſi vim magis intendere volueris, decocto ſalem adijcito: ſed diligenter animaduertendum eſt, ne dum vehementius exiccas, pars in duritiem calleſcat: ſi quid huiuſmodi quandoq; videas, cũ aqua radicem agreſtis cucumeris, aut althęæ, aut bryonię coques: quibus omnibus dracunculi radix & valentior eſt, & ad digerendum accommodatior: ergo hanc quandoq;

doq; per ſe coques, quandoq; verò caricas addes, farinamq; vnà cum adipe admiſcebis. Adiantũ quoq; abſceſſus digerit: itemq; anethinum oleũ diſcutit, & crudos humores, incoctosq; tumores maturat. Pix duros, crudosq; tumores omnes cataplaſmatis indita, magisq; ea, quæ liquida eſt, concoquit. Medicamentũ, quod abſceſſus iam coctos ſine labore expellit, vt ſæpe in ſplenio pus inueniatur, qui verò cocti adhuc non ſunt, perfectè digerit: lapidis pyritæ drach. duodecim, ammoniaci triti tantundem, farinæ fabarum drach. ſex, excipe reſina liquida, pelliq; illitum impone: ſpleniũ verò ne auferas prius, quàm ſponte ſua decidat: medicamentum verò non multò antè parandum eſt, vt quod confeſtim exareſcat.

De ſtrumis, & phymate. Cap. XXIX.

LVpinorum amarorum farina, aut aceto, aut oxymelite, aut poſca incocta, non ſolùm liuores, ſed & ſtrumas, & phymata ſanat. Medicus quidam in ijs, qui duro corpore eſſent, bubulo ſtercore ex aceto ad ſtrumas, & tumores obduros, totos oblinens vſus eſt. Phymata verò diſcutient trita & illita hæc, adiantum, atriplex, parietaria, althææ radix vino incocta, ammoniacum cum melle emollitum, & impoſitum: viſcum cum reſina, & cerato, ſalicis folia cum cerato. Rumpunt phymata lupini amari, propolis cum aceto illita, cucumeris ſylueſtris radix terebinthina excepta, capparis radix eodem modo, nitrum cum fermento, aut ficubus. Abſceſſus verò internos rumpit marina cum mulſa epota: ſtrumas autem diſcutit calx viua melle, aut ſordibus ex gymnaſio, aut oleo, aut adipe ſuillo excepta: lolij item farina cum ſimo columbino, & lini ſemine vino incocta: caprificorum groſsi agreſtes, aut ſatiui conciſi illiti: & concretionem omnem digerunt.

De fistula. Cap. XXX.

SPondilij radix circumrasa & impositā, fistularum callos tollit: veratrū quoq; nigrum impositū, duobus aut tribus diebus callum eximit. Eliquāt etiam æruginis drach. 11. ammoniaci tantundem: collyria conficiuntur ex aceto, & aqua ad fistulas accommodata: itemq; amurca cocta, & in collutione adhibita. Sory crudum, aut combustū cum vini diluti, aut mellis portiuncula ad colluendum adhibitū, & omphacium quoq; colluendo carnem procreat.

De bubonibus Cap. XXXI.

CVM bubones erumpunt, si totum corpus succis æquabiliter redundet, aut malitia humorum detineatur, tum difficilis curatio est: ea tamen adhibenda est, quam in affectione, quę ex defluxionibus oritur, præscripsimus: si exquisitè sanum sit, facilis. Totum autē crus calefaciendum, & humectandum est, vt dolore vacans efficiatur: ipsiq; vlceri imponendum est linamentum lotum in rosaceo, aut aliquo oleo relaxante, quod tetrapharmaco calido sit intinctum. Totum porrò membrum carpto lanæ oleo imbuto obuoluendum est: foris verò vlcus emplastro calido illinendū, aut farina triticea, aut hordeacea, aut ex vtraq; cum modico olei. Glandulam verò inflammatione tentatam, in initio lana oleo calido imbuta lenire oportet, non aūt, vt quidam faciunt, sale adhibito: eo enim posterius vtimur, cū artus, quem plaga vexat, lenitus est, & cum dolorem vlcus non affert: quibus quidem rebus glandularum inflammatio plerunq; soluitur: sæpe etiam augetur, & ad suppurationem perducitur: ergo cùm ille quasi feruor inflammationis se remiserit, lenientia sunt omittenda, & digerentibus vtendum. Paulatim à digerentibus ad ea, quæ consistentia liquida sunt: qualia sunt,

quæ

quæ cerati ſpeciē referunt, ſimilia ijs, quæ linamentis carptis excipiūtur, quæ emmota dicuntur, tranſeundo. In ijs vitare oportet durorum emplaſtrorum vſum: quippe quæ particulas diſtendant, & inflammari iterum cogant: cùm ſatis puris ſit, particulaq; ad ſuppurationem peruenit, non ſtatim diuidemus, vt nonnulli factitant, ſed medicamētis digerere conabimur: lutum impoſitum tumorem inguinum celeriter digerit. Ac bubones quidem, qui ex prolapſu & vlcuſculis, & doloribus cōtrahuntur periculo vacare: alios verò, & præſertim eos qui febribus ſuperueniunt, malos eſſe exiſtimandum eſt.

De eryſipelate, hoc eſt igne ſacro. Cap. XXXII.

CRaſſus, aceráq; humor influens eryſipelas modò cū vlcere, modò ſine vlcere efficit. Hoc curandum eſt, primùm vſu medicamenti, quod bilem educat: deinde refrigerantibus repellendum eſt quod influit: atq; à refrigerātibus ad digerentia, priuſquam liueſcat, & nigreſcat particula, progrediendum eſt. Requirunt autem eryſipelata, quæ refrigerent cum humiditate, nec adſtringant: huiuſmodi eſt ſemperuiuum, portulaca, pſyllium, lenticula paluſtris, vmbilicus veneris, ſolanum, altercum, lactuca, & glaucium: & cerata ex aqua admodum frigida. Admiſcetur etiam opij parum, aut ſucci papaueris, cicutæq;, & mandragoræ. Cōpoſita autem medicamenta inducuntur: ceratum refrigerans, cera, quæ quoad eius fieri poſsit, pura ſit, oleo eliquatur, ceratumque liquidum fit: hæc refrigerata in pila manibus emollimus aquam frigidam affundendo, quantum eius capere ceratum queat. Præſtat autem oleum eſſe roſaceū ex omphacino oleo ſine ſale cōfecto: debetq; oleum quadruplum ceræ eſſe, ſi parū aceti tenuis, &

pellucidi velis addere, medicamentum liquidius fri gidiusq; conficies: idq; non solùm conueniet erysi pelati, sed hecticis etiam febribus, itemq; inflamma tionibus pudendorum incipientibus, nisi depascés aliqua affectio partes exerceat. Herbæ quoq; refrigerantes cum tenui polenta abunde refrigerant: itemq; palmulæ pingues eiectis earum membranulis, & coctione tenellæ factæ, deinde læuigatæ, & im positæ: si verò sicciores videantur, cerato prædicto ad consistentiam admiscebis. Inflammatione sedata, antequam particula liuida fiat, cataplasma ex hordei farina est imponendum: si verò iam liuor occuparit, incisa cute cataplasma superponendum est, locusq; perfundendus est aqua calida dulci: sed & marina, & muria interim cõducet. quandoq; etiam huiusmodi aquæ cataplasmati sunt admiscendæ.

De herpete Cap. XXXIII.

HVmor quoq; qui herpetem gignit, acer est: sed si flaua bilis pura influat, vehementi acrimonia herpetem exedentem facit, qui cõtinuam cutim cum corrosione comprehendit: qua de re affectio ipsa herpes nominatur. Si verò cum pituita misceatur, alterum herpetem, qui miliaris dicitur, qui eminentias in cute milij similes excitat, efficiet: ergo qui prius totum corpus purgat, deinde verò repellentia particulis affectis admouet, is herpetem, vt par est, curat: at qui statim vtitur ijs, quæ cuticulæ cicatricem inducunt, is cuticulam quidem sanat, cæterùm non prohibet quin deintegro priori similis affectio exoriatur: corpus ergo, vt in erysipelate dictũ est, euacuabimus: at particulis affectis non eadem imponemus. Postulant quidem refrigerantia æquè, ac erysipelata, sed tamen humectantia non ferunt: his q; refrigerantia, & siccantia conueniunt: ergo neq; lactu

ca, neq;

ca,neq; lenticula paluſtris,neq; portulaca,neq; ſem peruiuum, neq; aliud huiuſmodi ex refrigerantibus & humectantibus eis offerendum eſt: ſed in principio vitis capreolos,& rubum,& plantaginem oportet illinire: deinde ijs lenticulam admiſcere: interim verò & mel,& polentam, & cataplaſma, quod ſuprà ad inflammationes ex defluxione remoto ſemperuiuo, conſcripſi: exulcerata verò medicamentis inungenda ſunt ijs,quæ ad herpetem faciunt, vt paſtillis paſſo, aut vino tenui, & auſtero non veteri, aut poſca diluta reſolutis: cæterùm inueteratis iam huiuſmodi vlceribus, Muſæ & Andronis paſtillus conuenit. Herpetem verò,qui extremam tantummodo cutem exulcerat, niſi admodum inueteratus ſit, nullo horum vngere oportet: ſiquidem & vehementiora ſunt,& magis,quàm oportet,exiccant. Ad talem verò herpetem accommodatum eſt glaucium, huicq; ſimilia, præſertim aqua ſubacta, ſi morbus nihil remittat,aceto diluta admoueantur. Succo autē plantaginis aut ſolani, aut vino ſoluta non mediocriter auxiliantur,aut lini ſemen torridum in vino,& oleo incoquito,& contritum imponito,aut terram cimoliam ſolani ſucco ſubactam inungito: aut argēti ſpumæ vnc. quatuor, porri ſucci heminæ dimidium, ſucci betæ par pondus, læuigata illinuntur.

De ſcirrhis. Cap. XXXIIII.

SCirrhus perinde atq; os, durus eſt, & ſenſu caret: atque is ſanari nullo pacto poteſt. Qui verò obſcurum habet ſenſum, digerentibus curāt medicamentis. Sed quæ digerunt,& confertim euacuant, neque molliūt, ea primis quidem diebus diminuere tumorem videntur, ſed tamen quod reſtat, fit inſanabile, cùm id omne quod tenuium erat partium, ſit digeſtum: ex quo fit, vt ea medicamenta accōmodatiora

sint, quæ molliendo possint digerere. Ergo mollientia sunt adeps cerui & medulla, itemq; taurinus, & hircinus, vrsinusq; adeps, ammoniacum, bdellium, styrax. Horum vsu & duritiem dissoluemus, & digerentia itidem adhibebimus, qualia sunt fœnumgræcum, fimus caprillus cum posca. Cóponitur autem à medicis medicamentũ ad vtrunq; faciendum, hoc est, ad scirrhum dissoluẽdum, & ad digerendum accommodatum: cuiusmodi est id, quod ad Galenum autorem refertur. Pernæ suillæ veteris pinguis, ammoniaci, thymiamatis, casei bubuli, aut caprini veteris, adipis taurini, rasuræ nauis, singulorum libra vna, medullæ ceruinæ vnciæ duæ, * hyssopi vnc. III. cyprini vnc. V I. vini Aegyptij heminam mediam. Sed in nono etiam libro de scirrhis in podagra exorientibus loquemur.

* Aliter æsypi.

De œdemate. Cap. XXXV.

PItuitosa fluxio œdema facit, tumorem laxum, cedentem, & qui digitis impressis cauatur, sensusq; expers est. Hunc curare oportet spongiam posca imbutam cum ligamento leniter stringente imponendo, ita vt ab inferioribus partibus initium deligandi sumatur, & ad superiores progrediendo desinamus. Spongia verò esse noua debet: quæ si talis non suppetat, ea nitro erit expurganda, & melius etiam lixiuio quod stillatitium appellatur: si verò per hæc tumor non subsideat, paululum aluminis admiscebis. Est etiam ad hoc aptum mollissimum ex lucerna linamentum, hoc eodem humore imbutum & impositum. benefacit etiam glaucium. Si autem œdema inueteratũ sit, particulam oleo prius inunges, deinde spongiam ex lixiuio impones, arctiusq; stringes, & ita curabis. Iam verò isatis satiua tumores huiusmodi mirabiliter digerit, & comprimit: idem facit

terra

terra omnis pinguis,& magis etiam Aegyptia.

De terebintho. Cap. XXXVI.

TErebinthus phymatis ſpecies eſt: in ſummo autem ipſo vlcere puſtula nigra eminet: qua rupta, id quod ſubiectum eſt,ſimile deſquamato apparet: vbi hoc diuiſeris,pus inuenitur.

De epinyctidibus. Cap. XXXVII.

EPinyctides vlcuſcula ſunt, quæ per ſe erumpunt, puſtularum ſpeciem præ ſe ferentia, ſubrubra: quibus ruptis ſanies ſubcruenta defluit. Atque hæ quidem interdiu non magnopere excruciant: per noctem verò maiore, quàm pro modo vlceris, dolore affligunt. Ergo ſilphij ſuccum aqua ſolutum impones,citra enim mordicationē deſiccat, aut cicutam tritam imponito.

De ligamentis diſſectis. Cap. XXXVIII.

LIgamentum ex oſſe in os progrediens,minimè periculoſum eſt: quòd ſi quibuſcunq; medicamentis velis deſiccaueris, non offendes. quod verò in muſculum inſertum eſt,quanto minus periculoſum eſt, quàm tendo & neruus, tanto eſt cæteris ligamentis periculoſius,niſi rectè, probeq; curetur.

De thymo. Cap. XXXIX.

THymus eſt vlcus aſpera & ſqualida carne excreſcens. Fit autem & in ano, & in pudendo: ac partim quidem facilis eſt, & ſpōte ſua decidit, partim verò deterior eſt,& dolorem affert: & quidam præterea ex ijs curationem non admirtunt.

De ficis. Cap. XL.

FIcos appellant germina quædam ad modum vlcerum rotunda,ſubdura,rubentia,quæ dolor etiam comitatur. Oriuntur plerunq; in capite: naſcuntur tamen etiam in reliquis corporis partibus. His optimū medicamentū eſt alumē ſciſſile,æris flos toſtus,

& gluten taurinum cum squama æris quæ dupla fit, teriturq; ex aceto, & illinitur. Probantur etiam capita menularum combusta, bulbi cocti, & cinis vnà cum aceto commixtus.

De furunculo, qui dothien vocatur.

Cap. XLI.

DOthienes ex crasis fiunt humoribus. Hos digerit concoquitq; triticum cõmansum & impositum, & item mastiche Aegyptia. Vuas passas abiectis acinis tere, sali trito pari portione addito, & illinito. Hoc aut discutit, aut rumpit: caricas coctas tere, aquam affunde, & vtitor: aut caricis resinam misce, & impone.

Ad epinyctidas. Cap. XLII.

AD has ualet apium cum polenta tritũ & illitum: brassicæ folia trita imposita: alterci folia ex melle trita applicata. Solanum per se, & cum cicuta viridi, aut oliuæ folijs cum aqua coctis vtitor. Vuas passas ademptis acinis tritas admisceto, easq; splenio illitas imponito. adiantũ quoq; ex melle tritum facit. Cauendum est, ne acria, acida, & salsa offeramus: & à fomentis, balneis, & sole abstinendum.

De verrucis, myrmecio, & similibus.

Cap. XLIII.

MYrmecia atq; verrucæ vsu medicamentorum vehementer exulcerantium conuellentur: eorum verò quæ putrefaciunt, interimentur. Corticis salicis vsti cinis cum aceto acri dilutus, clauos, callos, myrmeciaq; exterit. Similiter quoq; melanthiũ eandem vim habet ad clauos atque reduuias. Pecudum verò stercus ad verrucas, myrmecia, thymos, dothienas duros, in aceto solutum facit, grossi decocti duros tumores discutiũt: crudi verò myrmecia & thymos expellunt. Condylomata verò comprimunt oliuæ

flores

flores cum aqua illiti, aloë cum passo inuncta, pentaphylli radix super data, cydonia cocta cum pane aut cum polenta, myrti folia combusta cũ cerato, propolis antè emollita, & imposita. Condylomata quoque & ficos aufert auripigmentum illitum, calx viua, & fex viſco excepta, & ſplenij modo ſuper data. Permagnos verò ficos tollit ærugo ferri cum vino dulci inuncta, ſeminis anethi combuſti cinis illitus, alumen liquidum cum pane, vino, & apio. Iam verò cinis palmitum ex aceto illitus & ficos aufert, & quæ nunc dicta ſunt, curat, atque auger, præterea prohibet.

Ad ganglia. Cap. XLIIII.

FAcit ad hæc plumbea maſſa ad modum vertebræ confecta, ganglio maior impoſita: hæc enim ſua grauitate ganglium proceſſu temporis diſſoluit.

Ad perniones. Cap. XLV.

MArina tepida perfundendi ſunt, aut betæ, aut lenticulæ, aut erui, aut radicis aſphodeli decocto. Poſt perfuſionem lenticulam vino incoctam tere, & illine: aut ficus ex oleo læuigatas impone: aut alumen & farinam paribus portionibus in vino tere, & illine.

Ad digitorum totiusq; pedis rimas. Cap. XLVI.

PIce liquida oblinito: cancrum fluuiatilem, aut marinum ſuper carbones cremato, teſtam abradito, ex oleo tere, ad mellis ſpiſsitudinem redige, abſterſis prius ſciſſuris inſtillato. Prodeſt etiam ſcillę medulla oleo feruefacta, & ex terebinthina cõtrita: itemq; cornu capræ vſtum, caprilloq; adipe exceptum. Sed calli circũpurgandi prius ſunt, deinde medicamentis vtendum eſt.

Ad pudenda vlcerata. Cap. XLVII.

HAec perfundes adstringentibus, aut persperges, rubi, myrti, capitulorum mali punici agrestis, oliuæq; agrestis decocto: eadem quoq; trita illinuntur. Lemnia itidem sphragis inungit, aut aloën cum melle dissolue. Ad scrotum verò vehementi atq; intolerabili pruritu vexatum facit fæx combusta, donec leuet perturbatio. Valet ad idē alumen liquidū.

De leuce, alpho, melane, lepra, & scabie. Cap. XLVIII.

SAnguis pituitosus & glutinosus, qui longo temporis spatio colorem verterit, & ad albidiorē cōmutarit, leucen vitiliginem efficit. Alphorū similis est origo, non tamen caro tota affecta est, sed extrema solum cutis. Atque ab humore pituitoso alphi albi fiunt, melas verò à melancholico: sed humor, qui lepram facit, ad imas vsque partes penetrat: scabies verò ipsa superficiem occupat. Ergo si calcem lotam & torridam habeas, tanta aqua admista, quanta satis sit ad mediocrem crassitudinem, inungendo curabis. In alpho autem multo liquidiore medicamento inungendum est, crassiore in scabie, crassissimo deniq; in lepra. Dracunculi radix cum aceto illita sanat alphos: itemq; elleborus vterq;: lupinorum amarorum decoctum superfusum, eorundem farina ex aceto, aut oxymelite illita, cortex radicis capparis cum aceto: lilij radix cum melle, cæpa cum aceto in sole perūcta: crocodili terrestris fimus, sturnorum etiam, cùm orizam solùm comederint, aut sepiæ testa cremata. Ad scabiem verò facit vua taminia, elleborus vterque, lupini amari, vt diximus, cardamomū cum aceto, lilij radix cum melle, resina terebinthina cum sulphure, cuius nos periculum fecimus, cicer, fimus caprillus. Lepras verò expellunt anemonæ super datæ, elleborus, & albæ vitis radices.

De im-

De impetigine. Cap. XLIX.

CVM sanies tenuis atq; acris cæteris crassioribus admiscetur, impetigines oriuntur, quæ facilè in lepram & scabiem transeunt: ex quo cõficitur, vt medicamenta valenter siccantia postulent. Itaque eas, quibus à mediocriter siccantibus nihil affertur auxilij, ab ijs verò quæ vehementer exiccant, exacerbantur, ἀγρίας, id est, feras appellant. In his igitur utendum est medicamentis, quæ satis efficacia sint, nec tamen vehementer erodant. Cicer ad impetigines facit, vterq; elleborus: prunorum gũmi pueris prodest: erinaceus in petris nascens: pix cerato mixta: sulphur cum resina, hocq; est experientia comprobatum: In puero autem apta est hominis saliua: affecta verò cutis continuò debet digitis ex saliua fricari: crocodili terreni, & sturnorum fimus. Ad impetigines verò recentes, quæ mentũ, aut aliam faciei partem infestant, tritici multum capitur, incudiq; cuidam ignitæ imponitur, humorq; qui inde emanat adhuc calidus sumitur, & impetigines inungũtur: atq; hoc quidem remedio plerique sunt sanati. Aut, maluæ agrestis fructum tenerum collige, eoq; contuso succum exprime, & serua, & impetigines cõtinenter illine. Inueteratis impetiginibus, ijs quę subijciam, vtitor. Viticis folia contunde, modicum aceti adde, & illine: vel capparis folia detrita ex aceto impone. Pastillus ad impetigines. Glutinis figulini denarij quatuor; thuris denarij duo, aceti heminæ dimidium. In quibusdam scriptum est, pares portiones, aceto soluta illinuntur.

De inflatione Cap. L.

SPiritus flatuosus, crassus, vaporosusq; est materia inflationum: sed & corporis densitas vt spiritus non expiretur, adiuuans causa est. Vnde curandi con-

silium eò dirigitur, vt densata rarefaciamus, & crassum spiritum attenuemus: quod medicamentis, quę tenuium partium calidaq; sint, efficietur. Sed cùm musculi ex contusione inflati sunt, ex calidis & acribus excandescunt, & dolores intenduntur: ergo digerentibus lenientia miscenda sunt, atq; in initio lenientium esse maior portio debet: cumq; morbus inclinet, eorum quæ digerunt. Præterea in huiusmodi affectione musculorũ lenit & decoctum, & ipsum hyssopum cum exiguo oleo: digerunt verò acetum & nitrum, & lixiuium stillaticium: ergo in principio vtendum est decocto cum olei momento, atq; item vini: quod calens lanis succidis excipiatur: cumq; particulas refrigerare non oporteat, curandum, vt calor diu conseruetur. Vbi lenitus est æger, acetum, nitrumq;, & deinde lixiuium stillatitium misceatur: postremò verò imponenda sunt emplastra, quæ digerandi vim habeant, vt inflatio subsidat, quale est quod sequitur. Sordes ex gymnasio feruefacias, primumq; percolato, vt purę fiant, rursusq; in lebetem conijcias, calcemq; viuam tritam, vt farinam, insperges, donec luti fiat spissitudo.

De elephantia. Cap. LI.

QVi hoc morbo correpti sunt, ijs mirabile auxilium affert esus viperarum: quas qui esse velit, parare ad hunc modum debebit. In primis caput, itemq; cauda ad quatuor vsque digitos abscindenda sunt, interioraq; omnia & cutis etiam auferenda, corpus aqua perluendum: deinde in sartagine æquè ac anguillæ ex albo iure condiendæ sunt. Fit autẽ album ius aqua copiosa imposita, exiguoq; oleo, & porro, & anetho adiuncto. Est autem perspicuũ, carnes viperarum esse coquendas vsquedum tenerę fiant. Atque etiam ipsum medicamentum, quod ex viperis confi-

conficitur, quod theriacen vocant, est accommodatum, vt ex eo copiose bibant ij, qui hoc morbo tenentur: ac si cui placeat, eodem cutim inungat. Qui hæc faciunt omnia, quandoq; eis euenit, vt squama ex cute excidat, cuiusmodi in serpentibus senectutem appellamus. Vtimur etiam ad hæc theriaco sale, & calamintha: sed benefacit hoc quoq;, quia non solùm egregiè digerit tenues humores, sed saniem attenuat, & crassos humores, ex quibus hoc morbi genus efficitur, incidit, & dissecat. Non tamen in singulis hominibus ab his remedijs incipimus: prius enim omnino purgamus, & quandoq; etiam venam incidimus.

FINIS SEPTIMI LIBRI.

OCTAVI LIBRI ARGVMENTVM.

Octauo libro continentur quæ ad cerebrum, caput, oculos, nares, genas, maxillasq; pertinent omnia.

CVIVS HAEC SVNT CAPITA.

De memoriæ iactura, deq; ijs qui vigilijs, et de ijs qui nimio sopore torquẽtur. Ca. I
De ephialte. II.
De morbo comitiali. III.
De eodem ex Galeno. IIII.
De vertigine. V.
De apoplexia ex Philumeno. Caput VI.
De melancholia. VII.
De insania ex Philumeno. Caput VIII.
De amantibus IX.
De lycanthropia. X.
De cerebri inflammatione ex Philumeno. XI.
De erysipelate cerebri. XII.
Curatio aduersus canis rabiosi morsum XIII.
De neruorũ resolutione. XIIII.

De rigore, qui calefieri non queat. XV.
De conuulsionibus. XVI.
De distentione ex Philumeno. Caput XVII.
De capitis doloribus. XVIII.
De cephalæa capitis dolore, Caput XIX.
De hemicrania. XX.
Ad puerorũ aduſtiones. XXI.
De alopecia, & ophiaſi. Caput XXII.
De capillis fluentib. XXIII.
Quæ pilos attenuãt. XXIIII
De porrigine. XXV.
Ad pediculos. XXVI.
Ad vlcera capitis manantia, quæ achores dicuntur, & ad fauos. XXVII.
Ad capitis vlcuſcula. Caput XXVIII.
Ad fœdum capitis odorem. Caput XXIX.
Ad fœdum narium odorem. Caput XXX.
Ad ecchymomata inueterata. Caput XXXI.
Ad labia fiſſa. XXXII.
Ad ephelidem, & maculas faciei, Galeni. XXXIII.
De varis ex Gal. XXXIIII.
Ad ficoſas menti eminentias. Cap. XXXV.
Ad fœdos alarum odores. Caput XXXVI.
De lippitudine ex Galeno. Caput XXXVII.
De inflammationibus oculorum. XXXVIII.
De doloribus oculorum ex Galeni ſententia. XXXIX.
De chemoſi ex Demoſthene. Caput XL.
De phlyctænis. XLI.
Ad phlyctænas oculorum. Caput XLII.
De carbunculo. XLIII.
De nydriaſi. XLIIII.
De phthiſi, & atrophia oculorum. XLV.
De nyctalope. XLVI.
De glaucomate, & ſuffuſione, ex Rufo. XLVII.
De obſcuritate, & hebetudine Caput XLVIII.
De ſtrabiſmo. XLIX.
De expreſsione. L.
De confuſione. LI.
De luſcioſis LII.
De oculis lachrymãtib. LIII.
De encanthide. LIIII.
De pediculis palpebrarũ. LV.
De naribus obſtructis, ex Archigene. LVI.
De ſtrangulatis, ex Theophraſto. LVII.

ORI-

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM, LIBER OCTAVVS.

De memoriæ iactura, deq; ijs qui vigilijs, & de ijs qui nimio sopore torquentur. Caput Primum.



VM perdita memoria est, aut magna noxa affecta, si frigida omnino est intemperies, calefacere eam conuenit: non tamen est exiccandi, sicut neque etiam humectandi necessitas: sed si cum humiditate sit coniuncta, exiccare: si cum siccitate, humectare: si in medio vtriusque consistat, eodem in statu conseruare eam oportet. Eorum autem qui veterno detinentur, in ipso statim initio vena secanda est: id quod est vtrique morbo, & qui ex vigilia, & qui ex sopore fit, commune: estq; vtriq; commune oxyrrhodinum in principio adhibere: cætera contraria sunt. sedanda enim, leniendaq; sunt, quæ cum vigilijs vexant: excitanda verò, quæ torporem afferunt. Meritò igitur, cùm ægrotantes in ætate florenti sunt, morbisq; laborant, in quibus vigilant, & desipiunt, ijs irrigationes ex capitibus papaueris offeremus, & ad olfaciendum dabimus, nasiq; pinnas ab interioribus partibus, aut frontem inungemus. In morbis verò contrarijs ægroti sunt excitandi, humorisq; qui molestiam affert, incidenda est crassities, & calefacienda: ergo thymum, & pulegium, & origanum, & alia huius generis aceto incoquentes, ægrotantium naribus admouebimus: postea verò palatum validis acribusq; medicamẽtis inungemus: capiti quoq; medicamenta eiusdem facultatis,

vsq; ad sinapi, imponemus. Quinetiam si vterq; morbus inueterarit, cucurbitulis etiam, & castoreo in vtroq; vtemur.

De Ephialte. Cap. II.

QVI Ephialtes nominatur, non est quidem malus dæmon, sed validus morbus quidam, atq; etiam vates, sacerdos, & Aesculapij minister. Morbum verò præueniunt hæc, suffocatio, vocis suppressio, & grauitas. Occurrendum igitur inchoanti malo: nã perseuerans, & singulis noctibus incidens morbum aliquem magnum, vt apoplexiam, vt insaniam, vt morbum comitialem nunciat: idq;, cùm capiti causa tribuitur. Quæcunq; enim comitiales interdiu patiuntur, eadem ephialticos dormientes infestant: ergo vena secanda est, totumq; corpus purgandum. Maximum verò auxiliũ affert ijs elleborus niger ad pondus drachmæ vnius, cui succi scamoneæ oboli tres, & aliqua odorata, qualia sunt anisum, daucum, petroselinum admisceantur. Hiera quoq; ex colocynthide mirũ in modum eisdem opitulatur. Diæta tenuis esto, fœtida vitentur. Adiuuat etiam hos pæoniæ semen: eius autem grana quindecim nigra trita ex aqua continuè potui dentur.

De morbo comitiali. Cap. III.

VBI concidit aliquis, conuulsa & distracta membra sunt perũgenda, tenendaq;, ac dirigenda: deinde os aperiendum, digitusq; immittendus, aut penna oleo irino imbuta, vt pituitam euellamus: odoramentis quoq; sensus excitare oportet, veluti peucedano, succo cyrenaico, bitumine, cedria, pice. Post accessiones, si nihil impedimento est, vena cubiti incidenda est: si nihil remittat accessio, extremę partes sinapismo oblinendæ sunt: cucurbitula præcordijs affigenda. Si per hæc morbus non cessauit,

uit, exigua spes est: & tamen medicus audacter, & vi etiam adhibita, castoreũ, & succum cyrenaicũ cum melle, & aceto ori infundat: per sedem verò centaurij, aut colocynthidis decoctũ injiciat. Qui ex morbo convalescunt, viribus refectis, ex hiera purgari debent. Atque hæc quidem est recentis, & acuti comitialis morbi explicata curatio. Nunc verò quomodo inueterato opitulandum sit, subijciam. Igitur qui in hunc morbum cadunt, aquam diu bibere oportet, &, si nihil prohibet, vtique sanguis mitti debet: quatuor autem, aut quinq; diebus interpositis, corpus reficere, & ita purgante medicamento euacuare. præsertim verò ex nigro veratro, aut colocynthide, aut etiam scamonea. Ipsum porrò veratrum sine medulla tunsum, cribratũq; inspergendum est aquæ mulsæ cyathis quinq;, aut sex, melleq; crudo adiecto piperis momento excipiendum. Colocynthida verò abiecto semine, & quæ medullam adhuc habeat, passo implebis, totamq; noctem ita sines: ne verò passum temperatũ potui dabis: vbi satis purgati sint, lauari poterunt. Tertio die cucurbitulæ præcordijs, & dorso cum scarificatione applicabuntur: deinde compluſculis diebus interpositis, refecto corpusculo, hierã ex colocynthide offeremus. Post hæc, capiti & occipitio cucurbitulas affigem⁹: sequenti die panem aqua mulsa incoctum, tritumq; cum amaris amygdalis, serpillo, menta, aut calamintha, aut ruta super dabimus: idq; triduo faciendum est: pòst verò caput radendum, pecudaniq; liquore cui spondylium sit incoctum, ex aceto diluto perungendum. Rursus verò interposito spatio, & corpore recreato, antidoti ex colocynthide obolos nouem in aqua mulsa, dieq; vno interiecto, tres etiam dabimus: inde medicamẽtis vtemur, quæ sternutamenta

cieant. Post quinque, aut decem dies castoreum ex mulsa exhibebimus, spatioq; interposito, clyster ex centaurio injcietur: deinde verò quæ pituitam per os, & per nares ducant, offeremus: tum sinapismum capiti inducemus. Iam verò & acribus cibis quandoq; est vtendum.

De eodem ex Galeno. Cap. IIII.

COmitiales adiuuat oxymel per se sumptum, præsertim verò si cum scilla sit confectũ. Capparis quoque condita prodest, si continuò edatur: itemq; salsamentum. Est autem salsamentum medicamentum quoddam ex scilla vtilissimũ ad hunc modum confectum: vas in quo mel fuerit, capimus, scillamq; in tenues partes manibus discerptam in id injcimus: vas operculo solido obturamus, totumq; vasculi os pelle circundatum diligenter ligamus, atque in sole cõstituimus, vt ad meridiem spectet, & à borealibus ventis sit remotum (fiat hoc in caniculæ ortu, quod est spatium quadraginta dierum) vasculum verò est paulatim ad solem vertendum. Transactis hisce diebus vas aperientes, corpus scillę elixato simile comperiemus, succumq; ex ea fluxisse, quem collectum optimo melle iucundum facimus: & eius quotidie cochlear vnum plenum, ac pueris quidem paruum, adultis verò magnum, damus. Quinetiam corpoream scillæ partem simpliciter contundimus & læuigamus, cochlearq; vnum cum melle offerimus: sed huic, quantum ad efficaciam pertinet, secundæ tribuuntur. Si verò primo loco stomachus sit affectus, ægro imperandum est, vt concoctionis curam gerat: panem ergo accuratè elaboratum ex vino temperato leuiter adstringente, atque albo, ad horam tertiam assumet. Medicamentum quoq; ex aloë bis, aut ter singulis annis dari poterit. Noui puerulum

qui

qui hoc morbo correptus nunquam fuerit, posteaquam radicis pæoniæ magnam, & recentem partem collo appensam tulit. Agaricum quoque, seselis, spondylij fructus & radix, aristolochia rotunda ex aqua epota comitialibus prodest. Scarificatio denique crurum sæpissimè iterata eosdem vehementer iuuat.

De vertigine. Cap. V.

QVI hoc morbo tentantur, in accessione excitandi sunt medicamentis, quæ odore moueant, & extremarum partium frictionibus, & cęteris generis eiusdem. Cùm verò morbus conquieuit, vt profligetur, primùm secanda est vena, deinde purgandum ex hiera: tum interiecto spatio, clysteri acri ex centaurij, vel colocynthidos decocto vtendum. His euacuationibus peractis, caput ipsum ad occipitiũ est scalpello conuulnerandum, cucurbitulæq; cum scarificatione adhibendæ: postremò ijs medicamentis vtendum, quæ pituitam eliciant, & quæ per sternutamenta euacuent.

De apoplexia ex Philumeno. Cap. VI.

QVI apoplexia correpti sunt, oleo copiosiore eliquato inungendi sunt, caputq; perfundendum rosaceo, in quo spondylium sit incoctum, mulsaq; instillanda: & adhibenda odoramenta, vt castoreum, vel opopanax, & galbanum. Os quoq; per vim aperiendum est, digitusq;, aut penna oleo intincta iniicienda, vt siquid superuacaneum ibi sit, abstergatur: sedes quoq; inungenda est ijs, quæ flatus educunt. Si per hæc morbus non inclinat, clysteribus acrioribus vtemur, quibus muriã, & mel admiscebimus. His ita confectis, incidenda vena est: facta autem venæ sectione, iterum vtemur excitantibus.

De melancholia. Cap. VII.

IN hoc morbi genere, quando in toto corpore melancholicus sanguis redundarit, initium curationis à venæ sectione sumendũ est: cùm verò is cerebrum solum occuparit, tum sanguinis missione non est opus. Sed est etiã tertia melancholiæ differentia quędam: cùm ea nõ secus atq; morbus comitialis, à ventriculo ducit originem. hanc nõnulli veteres hypochondriacũ morbum nominant. Cùm igitur ex prę cordijs melancholia oritur, primùm symptomata circa ventriculum apparẽt: cumq; maior sit effecta, eam melancholicæ perturbationes comitantur. Leuatur autem æger alui subductionibus, vomitibus, cõcoctione, & ructu. Hypochondriacum etiã hunc morbum, flatuosum appellamus: symptomaq; eius esse dicemus tristitiam & timorem. Cùm igit propria melancholiæ symptomata magna appareant, ventriculum verò vel nullum, vel minimum quippiam infestet, tunc cerebrum ob atram bilem in eo accumulatam præcipuè affectum esse existimandum est. Hanc verò melancholiæ speciem continuis balneis, diæta boni succi, & humida absq; vllo alio prę sidio curare oportet. Cùm verò humor is qui infestus est, ob temporis diuturnitatem effectus est difficilis ad euacuandum, tunc & magis varia, & potentiora remedia par est adhibere: ergo morbum hunc incipientem curare conuenit, inueteratus verò atq; auctus est tractatu difficillimus. Igitur in principio epithymo aut aloë purgentur: nam & parum quotidie ex his sumptum, nõ mediocriter iuuat, leniterq; aluum mouet. Vbi verò ita, vti dictum est, purgati fuerint, absinthium dabitur, modò herba ipsa duobus aquæ cyathis perfusa & incocta, modò eius succi drachmæ dimidium, aquæ cõtinenter liquefacti.

Datur

Datur quoq; aceti modicum dormituro, multaque obsonia in aceto intincta comedenda offerunt. Sed melius erit aceto scillam, polium, & tenuem aristolochiá miscuisse. Cùm verò ad curandum morbum qui iam inceperit, atq; ex totius corporis consensu ducat originem, fortè accedas, non minus venam in cubito secabis. Facta sanguinis missione, viribus refectis per inferiores partes medicamento quod ex colocynthide, quodq; ex elleboro nigro cóficitur, purgabis. Quo in casu etiam quod ex epithymo, quodq; ex aloë constat, conueniet. prodest quoque euphorbium admiscere, & ex sero lactis parare. Iam & facultates quæ vrinam cient, purgationesq; quæ sudoribus fiunt, huic malo medentur. Quin etiam præcordijs prospiciendum est. Fouebuntur aût perfusa decocto rutæ, & anethi, & absinthij, & pulegij, & viticis seminis, & baccarum lauri: hæc enim oleo incocta, & affectæ parti admota, & leniunt dolores, & flatus discutiunt. Porrò cataplasmatis insit etiam aliquid eorum quæ flatus pellunt: cuiusmodi est apium, aut anisum, aut cuminum. Nec minus etiá cataplasmati miscere cyperum, irida, & rosmarinum: & permittere, vt diu atqueadeò per diem & pasto & ieiuno adhæreant: cùm auferes, aliquod aliud operimentem, vt lanam latiorem impone. Cucurbitulis ad flatus excutiêdos leuibus vtendum est, ad dolores autem atq; inflammationes, cum scarificatione. Cùm verò curando procedas, non erit obliuioni mandandum sinapi: sed & acria smegmata, & dropaces dorso, & ventri sunt imponenda.

De insania ex Philumeno. Cap. VIII.

INsaniæ eadem est, quæ malancholiæ curatio: præcipuè tamen insanientes iuuat hippomarathri radix, semenq; in aqua potum: & bryoniæ radicis de-

narius ex aqua quotidie ſumptus.

De amantibus. Cap. IX.

EOs qui ex amore curis affecti, vigilijsq; torti eſſent, cùm nonnulli id minus intelligerent, balnei cibiq; abſtinentia, & tenui victu conſumpſerunt. In quibus cùm nos amorẽ in cauſa eorũ eſſe deprehenderimus, eorũ animos ab amore ad balnea, ad compotationes, ad geſtationes, ad ludos, & ad fabulas abduximus: nonnullis timorem incuſsimus: nã qui amori ſemper inſeruiunt, ab ijs affectio difficulter remouetur. Nonnulli autem obiurgandi ſunt ex vitæ inſtituto, quod ſibi quiſq; delegerit. Cæterùm amantes hæc conſequuntur: oculi caui, non lachrymantes, ſed vt voluptatis pleni videanrur: cõtinuus palpebrarum motus: cumq; reliquę corporis partes concidant, in amantibus hi ſoli non concidunt.

De lycanthropia, cùm homines luporum naturam imitantur. Cap. X.

QVos hoc malum infeſtos habet, nocturno tempore domo egreſsi, lupos in rebus omnibus imitantur, & ad diem vſq; circa tumulos vagani mortuorum. Hos ita cognoſces: pallidi ſunt, oculos hebetes & ſiccos, non illacrymantes, eosq; concauos habẽt: lingua ſicciſsima eſt, nulla penitus in ore ſaliua conſpicitur, ſiti enecti ſunt: crura verò, quia noctu ſæpe offendunt, ſine remedio exulcerata. hæ ſunt illorum notæ. Qua in re ſciendum eſt, lycanthropiam eſſe melancholiæ ſpeciem: quam acceſsionis tempore curabis ſecta vena, & facta vſque ad animi defectionem vacuatione, cibisq; boni ſucci. Vtitor quoque balneis dulcibus: deinde ſero lactis per triduum vſus, etiã hiera ex colocynthide ſemel, bis, & ter purgabis. Poſt purgationes theriacen ex viperis dato, & itẽ alia, quæ in melancholiæ curatione ſunt commemo-

memorata. Morbo inuadente æger perſpergendus eſt ijs, quæ ſomnum cõciliare conſueuerunt. Vbi verò ſomnus acceſſerit, aures & nares opio illinantur.

De cerebri inflammatione ex Philumeno.

Cap. XI.

CErebrum inflammatum ita ſæpe intumeſcit, vt etiam ſuturæ capitis deducantur: dolor maximus & diuturnus comitatur, vehemens faſtidium, rubor in facie multus, oculi exeruntur, faciesq; & totum caput intumeſcit: ergo ſecanda vena eſt in cubito & euacuandum: itemq; ex naribus, & vaſculis, quæ ſub lingua ſunt ſita, ſanguis mitti debet, irrigationesq; inflammationibus capitis congruæ, linimentaq; humectantia, & maturantia ſunt adhibenda.

De eryſipelate cerebri.

Cap. XII.

ERyſipelas in cerebro fit, hæcque ægrotus patitur, toto capite dolet, vt flamma in eo eſſe videatur: facies frigida eſt, & ſubpallida: os inareſcit. Vena ſecanda eſt ei qui ægrotet, præcipuè verò quæ ſub lingua ſunt, venę incidi debent. Refrigerantia quoque admoue, quibus in alijs itidem eryſipelatis vtimur.

Curatio aduerſus canis rabioſi morſum.

Cap. XIII.

CAnes rabioſos hæc comitantur: muti omnino ſunt, & veluti inſani, vt ne domeſticos quidem agnoſcant, cibum auerſantur, ſiti premuntur, nec bibunt, anhelant vehementer, auribus demiſsis ſunt, ſaliuam copioſam & ſpumeam edunt. Qui verò ab ijs morſi ſunt, curare ſtatim oportet omni legitima curatione, etiam ſi vlcus ſit perexiguum, & extremitatem ſolùm occupet: neque cicatrix celeriter inducenda eſt. Vulnus autem abluetur aqua, in qua

chamæmelum, & agreſtis lapathi radix ſit incocta. In potione verò ſumẽt lycium, & ſilphij liquorem, quem in vulnus etiam imponent. Sument quoq; in potu chamædryn, ſcordium, gentianæ radicem, polium, fluuiatilium cancrorũ decoctum, cui anethum multum admiſcebunt. Purgabuntur verò medicamento quod ex colocynthide cõficitur: cuius quotidie dabis quantum fabæ magnitudinem cõpleat, ſed non vt integra fiat purgatio. Humor verò qui cum dabitur, eſto decoctum heleliſphaci, aut ſideritidis heracleæ, quam & halyſon vocant, quia ipſa ſola iuuet. Vtiliter quoque dari poterit medicamentum ex viperis. Vſus etiam eorum quę vrinam mouent, eſt accommodatus. Iam & iecur canis, qui momordit, dandum eſt. Sed non vni ſoli remedio confidendum: & quibus rationibus cumq; poſsis eſt inueſtiganda, atq; tractanda curatio. Apollonius verò Pergamenus ait fuiſſe memoriæ cõmendatum, multos quidem ex ijs, in quibus ob aliam cauſam aquæ timor natus eſſet, quos ὑδροφόβους appellant, fuiſſe ſeruatos: ex ijs verò qui à cane rabioſo morſi fuiſſent, ſeruatum eſſe neminem.

De neruorum reſolutione. Cap. XIIII.

CVm nerui omnes ſimul ſenſum, motumq; amiſerunt, apoplexia morbus nominatur: cùm verò in altera parte, ſiue dextera, ſiue ſiniſtra id accidat, dicitur paralyſis, hoc eſt reſolutio neruorum illius partis, quam obſedit. Originem ducit hic morbus ab humoribus glutinoſis & craſsis neruos obſtruentibus, per quos voluntarij motus eduntur: ex quo patet, eos humores eſſe vacuandos. His euacuatis, primùm hieræ drachma potui dabitur ſine melle, iniecto tamen pipere in puluerem redacto: ſiquidem volumus nõ purgationem, ſed diſtributionem ab hoc medi-

medicamento fieri: & tertio die drachmam itidem dabimus, aut etiam plus eo. Quatuor verò diebus interpositis duas similiter, atq; etiam tres drachmas exhibebimus: deinde quatuor diebus interiectis quatuor drachmas adiecto mellis & salis cochleari: quo tempore etiam piper est addendum. Si hac dandi medicamenti ratione æger minus perfectè fuerit purgatus, quinq; drachmas, & quibusdam etiã sex: si modo ætas florens sit, dabimus. Diæta sit attenuans, parti verò quæ propter solam obstructionem sit resoluta, impone aliquod medicamentum, quod digerendi vim habeat. Quibus verò partes faciei sunt resolutæ, ad eos medicamenta faciunt, quæ pituitam educunt, quæ continuò sunt adhibenda, vt eorum robur excitetur. Iisdem sunt excitanda sternutamẽta, capitisq; habenda omnino cura est: at in quibus resolutio faciem non vexat, ijs satis erit occipitio, & in primis vertebris applicare medicamenta, in quibus etiam medicamentis pituitam euocantibus vti debebimus.

De rigore, qui calefieri non queat. Cap. XV.

RIgor huiusmodi ex pituita vitrea admodum frigida sine febre oritur. In ijs verò qui ita sunt affecti, calefacientibus vti sine metu debemus, & quæ humorum crassitiem dissecent adhibere: talia quoque esse debent esculenta & poculenta. Vtendum verò est medicamento quod ex tribus piperibus, deinde eo quod ex calamintha, tum verò eo quod ex succo cyrenaico, & castoreo conficitur.

De conuulsionibus. Cap. XVI.

CVm statim ab initio morbi, aut nõ ita multò pòst conuulsiones quæ oriri incipiunt, diutius perdurant, ex repletione oriuntur: cùm verò ex multis su

doribus,aut vomitibus, aut alui excretionibus, aut ſanguinis defluuio, aut vigilijs, aut fame, aut motibus nimijs,& vehementibus ſequuntur,ex inanitione ortum trahunt: cumq; aliquis ſanus derepente conuellitur, id ex repletione fieri neceſſe eſt. Si verò ex febribus ardentiſsimis totum corpus,atq; nerui exicceſcant, atque ex ea ſiccitate poſtea ſequatur conuulſio,id ſummum malum eſt,& eiuſmodi,vt ferè nullus ſit remedio locus: ergo cùm partes corporis ad anteriora trahuntur, ea conuulſio ἔμπροσθότονος: cùm verò ad poſteriora, ὀπισθότονος: cùm denique rectè inter vtranq; partem intẽduntur, τέτανος nominatur. Cæterùm conuulſiones, quæ ex repletione,aut inflammatione oriũtur, curabis ſi copiam humorum euacues, inflammationemque peculiaribus remedijs propulſes. Conuulſio autem accidere etiam ſolet, cùm vomentes vehementius ſeſe torquent.His ſuccurrit acanthij radix, & ſpinæ albæ,& ſpinæ Aegyptiæ ſemen epotũ. Quidam etiã centaurij minoris ſuccũ potui dant,cùm ex repletione exiſtit cõuulſio:caſtoreum verò non modo bibitur,ſed etiam extrinſecus cum oleo ſicyonio cuti illinitur.

De diſtentione,quæ τέτανος dicitur,ex Philumeno. Cap. XVII.

QVibus ceruix recta intenditur, veſicam oleo calido repletã admouere tendinibus oportet: vt quæ leniter calefiunt, etiam contraria, quæ diſtentio inuehit,ferre queant: ergo totum conſilium eſt eo dirigendum,vt irrigationibus, & lotionibus curationem tranſigamus. Primùm autem vtemur oleo dulci,deinde verò rutaceo,& ſicyonio:ſed magis etiam laxant cataplaſmata ex fœnogræco, lini ſemine, farina hordei, quæ mel copioſum atque oleum recipiant: ea autem comprehendant ceruicem, vtranq; maxil-

maxillam, totamq; spinam vsq; ad lumbos. Adhibendæ etiã sunt cucurbitulæ sic, vt cutis incidatur, admoueantur autem ceruicibus spinæ ab vtraq; parte, & pectori vbi musculosum est, & item præcordijs: Eos verò in quibus morbus inueterarit, in oleum totos descendere etiam bis die conuenit. Si vires subuertuntur, oleum rutaceum leniter calidum, in quo resina sit eliquata, per sedem iniectum eos mirabiliter iuuat: prius tamen bibant succum cyrenaicum, sed quia dissolutum facit erodentem potionem, oblinatur melle cocto ad erui magnitudinem. Silphij quoq; radix ex mulsa epota vtiliter præbetur: simili quoq; modo myrrha, & hyssopi decoctũ: sed castoreũ reliquis longè præstat omnibus. Quocirca duo cochlearia singillatim distincta ex mulsa dãda sunt.

De capitis doloribus. Cap. XVIII.

CApitis dolores, quos æstus, aut calor aliquis excitauit, curant ea, quæ refrigerandi vim sine adstrictione possident. Inter ea præstant cæteris, quorum est substantia tenuior: quocirca in principio nihil est rosacea melius, quod absq; sale sit cõfectum: non debet autem vetus esse. Post rosaceum sequitur chamæmelinum oleum, aptum ijs, in quibus refrigerare mediocriter oporteat: vbi verò vehementer refrigerare velimus, roſaceo vtemur, eidemq; semperuiui, aut portulacæ, aut lactucæ, aut vuæ acerbæ succum miscebimus. Papaueris verò & mandragoræ succus, cùm non sine noxa refrigeret, vitandus est: sed si necessitas quandoque cogat, eius parum miscendum est. Erasistratus autẽ autor est, calidiores temperaturas, cùm quis eas Soli sit expositurus, mirũ in modum præseruari, spongia lata, ac densa ex aqua frigida valde expressa, & capiti admota. In dolore verò capitis, qui ex frigore ortum ducit, rutaceo oleo vte-

vteris: si maiore calore opus sit, parum euphorbij oleo misce: præterea illine irino vnguento, & amaracino: iam & laurinum hoc tempore erit accommodatum: atque his quidem & frontem, & narium, & auriũ meatus inungere oportet: quæ in recentibus capitis doloribus sunt seruanda. In ijs autẽ, qui sunt inueterati, & necesse est caput radere, medicamenta adhibemus, quæ tum emplastrorum, tum ceratorum forma sint confecta: cùm verò capilli breuissimi sint, liquidiora imponimus: horum autem materia aliunde est huc comportanda: Ea igitur quæ refrigerant, ex ijs quibus erysipelata curantur: quæ verò calefaciunt, ex calefacientibus cõponenda sunt: quale est quod ex euphorbio conficitur: satis est enim vnam euphorbij drachmam olei dulcis vnciæ vni, & ceræ vncijs tribus adiicere. Dolorem verò capitis, qui vitio stomachi ortus sit, sanabis vacuatione, quæ vomitibus quamcelerrimè conficitur: si verò nihil euomuerint, etiam si valde sint conati, dabimus operam, vt succorum vitiatam malitiam cibis boni succi corrigamus. Porrò pessima affectio fit, cùm vitiosi humores in ventriculi tunicas ita sunt infarcti, vt elui non posse videantur: quorum optimum remedium est picra. Cùm verò calor dolorem afferens superarit, curatio adhibenda est ex ijs, quæ refrigerandi vim habent: postea mitigantia, & concoquentia medicamenta repellentibus commiscebimus: tum verò digerentia, & attenuantia adiungemus. Dolores ex febrium magnitudine obortos, perfusiones ex capitibus papaueris sanant. Qui verò ex vini potu caput dolent, vacuádi sunt, quiesq; ac somnus imperandus, balneumq; vesperi adhibendum, & cibis vtendum boni quidem succi, sed non calefacientibus. In ijs denique qui ex ictu, aut plaga dolo-

dolore capitis vexantur, cùm iam inflammatio quę-dam constiterit, venæ sectione vti conuenit: si quid prohibeat, clysteri euacuabimus.

De cephalæa capitis dolore. Cap. XIX.

IN cephalæa dolores aggrauantes multitudinẽ indicãt: erodentes, vaporum aut humorũ acrimoniã: pulsantes inflammationem: extendentes si grauitas & pulsus non adsint, spiritus tenuis, ac flatuosi copiam in membranis cõtentam testantur. ergo si multitudo vaporum, aut humorum contineatur, vtrum id euenerit propter particulæ illius imbecillitatem, an propter totius corporis repletionem considerandum est, vt totum corpus euacuando, etiam capitis dolorem ex particulæ imbecillitate contractum sanes: nam materiam in totum corpus reuellendo affectæ particulæ medemur.

De hemicrania. Cap. XX.

QVI curaturus hemicraniam est, qua purgatione, aut venæ sectione ęgrotus indigeat, considerare debet, atq; ita ad capitis auxilia progrediens tum per digitos manus suæ, tum per linteolum dimidiã frontis partẽ, ante tempus accessionis confricando excalfaciat. Post accessionem verò medicamẽtis, quæ hemicrania medici vocant, vtendum est: siq; multus calor in doloribus sentiatur, ijs in quibus refrigerãs aliquid insit: sin secus, ijs, quæ abundè calefaciant: vtrisq; verò aliquid ex ijs quę robur addunt, miscea tur, quod facultatem adstringendi habeat. Iuuat etiam hos si oleum tepidum in aures instilletur modico euphorbij ad oleum iniecto, vt ad libram vnam olei, euphorbij dimidium vncię addatur. Ad eos qui caput mobile habent, ex Dioscoride. Stichadem ex aqua, aut hydromelite bibendum prębe, & sanescẽt.

Ad puerorum aduſtiones, quæ ſiriaſes dicuntur, ex eodem. Cap. XXI.

SIncipiti imponenda ſunt heliotropij folia, cucurbitæ ramẽta, cucumeris, quem peponem appellant, cutis, quę carni adiacet, ſolani hortenſis folia & ſuccus cum roſaceo.

De alopecia, & ophiaſi. Cap. XXII.

EX medicamentis quæ ad areas faciunt, euphorbium admodum calidum eſt: eo minus eſt thapſia, deinde ſinapi, & naſturtium & adarce: tum ſtruthiũ: & ſpuma nitri, & ſulphur vernicarium, & veratrum vtrunq;, & oleum laurinum, & alcyonia, & arundinis radix & cortex combuſti, & pix liquida, vrſi adeps. His vtitor, & potentioribus ceratum, imbecillioribus oleum laurinum admiſceto.

De capillis fluentibus. Cap. XXIII.

NVllum præſtantius medicamentũ expertus ſum, nullumq; fore animo concipio capillis fluentibus, quàm quod ex ladano & oleo lentiſcino conficitur. Si verò fluor ſit copioſus propter magnam cutis raritatem, non erit incommodum pro lentiſcino myrteum oleum ladano miſcere. Perſpicuum autem eſt, caput prius fricandum, & capillorũ copiam tollendam eſſe: ijs verò quibus ex morbo capilli defluunt, diæta refectrice opus eſt. Lotus arbor pilos fluentes cohibet, vel abrotoni cinis cum aliquo ex ijs oleis, lanuginem inducit. Defluuium autem, quod citra morbum accidit, braſsica arida, trita, ex aqua illita curat, aut loti radix eodem modo capillos prohibet excidere, quod etiam laudauit Galenus. Ladanum in vino maceratum læuigabis, myrteum oleum & vinum viciſsim inſpergens. Satius verò eſt adiantum dimidio ladani pondere admiſcere, & myrteo oleo exce-

exceptum illinere, aut cum arundine combusta admiscere. Vt autem capilli nascantur, siculnis folijs contritis locum illine. Ad pilos autem palpebrarum cadentes cedriam combure, fuligineq; vtitor.

Quæ pilos attenuant.
Cap. XXIIII.

PIlos attenuant hordeum, fabæ, eruum, aphronitrum, & nitrum. Vehementiora his sunt testæ fictilium, clibaniq;, pumex ignem non expertus, alcyonia, ellebori, bryoniæ, & dracunculi radix, aristolochia, & cachry. Si odorata fieri volueris, cyperum, melilotum, rosas siccas, iunci odorati floré, iridem, spicam, nardum indicum & celticũ, fœniculi folia, itemq; amomum & costum admiscebis.

De porrigine. Cap. XXV.

PORrigo ex vitiosis humoribus oritur. est ergo per spicuum, digerentia, & abstergentia medicamenta adhibenda esse. Furfurum sextarium mediũ in aquæ heminis duabus macerabis, deinde confricabis, postea excolabis, & cremorem heminæ aceti semisse adiecta vsque ad vini spissitudinem coques, eoq; caput illines: postea verò caput lauabis aqua, in qua beta, aut fœnumgræcum, aut lupini sint incocti. Inunctionibus vtitor, vt irini vnguẽti fęce: hoc enim medicamentum citra morsum digerit. Ad inueteratas porrigines valet hoc, quod habet atramenti sutorij, sulphuris ignem non experti, spumæ nitri pares portiones, quę vino affuso excipiuntur oleo lentiscino, componunturq; ad strigmenti spissitudinem, & pili subunguntur.

Ad pediculos. Cap. XXVI.

VVæ taminiæ partes duæ, sandarachæ & nitri, vtriusq; pars vna. ex aceto atque oleo caput vngito.

Ad vlcera capitis manantia, quæ achores dicuntur, & ad fauos. Cap. XXVII.

HAec in capitis cute tenuibus foraminibus erosa, tenuem modiceq; viscosum humorem in se habentia consistunt: fauus autem maiora habet foramina. ergo patet, humores, ex quibus morbus originē ducit, euacuandos esse. Siq; amplius influant, primùm ipsorum influxus prohibendus est, & per capitis, & per totius corporis euacuationem, vt in alopecię curatione diximus, conuenientq; medicamenta incidentia. Nonnulla autem medicamenta, cùm excrementis totum corpus redundat, achores incipientes curant, quæ adstringendi, & repellendi vim habent, qualia sunt myrti baccæ, pini cortex, rubus, & sycaminus: nonnulla verò & obsistunt achorum incrementis, & id quod influit, repellunt, atq; etiam, cùm mixtis viribus sint, id quod iam in parte affecta continetur, concoquunt, & digerunt. tale est myrtinum, & rosaceum, lentiscus, cyperus, & lenticula: nonnulla verò digerendi vi sunt prædita, & absque calore sensibili abstergūt, vt beta, & plumbū vstum: nonnulla denique valentiores vires habent, achoresq; qui à crassis, glutinosisq; humoribus fiunt, euacuare possunt. huiusmodi sunt sal, chalcitis, vini fęx vsta, sandaracha, & calx extincta, fel calidorum siccorumq; animalium. acetum verò acerrimum ad achoras omni tempore accommodatum est: hoc autem diluta metallica achoras curant. Si verò achor inflammationis sensum inuehat, id in primis facies, vt inflammationem humido medicamento, quod πάρυγρον dicitur, sedes. Ad idem valent hæc simplicia, papaueris agrestis, & alterci folia tere ex vino, atq; illine. aut scoriā ferri & rosas pari portione tere, & ex vino illinito: id quod nonnulli cerato rosaceo excipiunt.

Ad

Ad capitis vlcuſcula. Cap. XXVIII.

CApitis vlcuſculis cõuenit hoc, quod habet plum baginis papaueris foliorum pares portiones: conterre hęc inter ſe, oleoq; myrteo exceptis, vt cerati fiat craſsitudo, inungens vtitor.

Aliud ad idem valens.

CAlaminthæ teneræ folia, ceruſſamq; pari portione tere, decocto capitũ papaueris diſſolue, myrteo oleo excipe, vt ſtrigmenti craſsitudinem habeat, atque vtitor.

Ad fœdum capitis odorem.

Cap. XXIX.

GLandis vnguentariæ & nardi pares portiones ex eodem conterito ad mellis ſpiſsitudinem: caput abraſum cum vino vetere inungito.

Ad fœdum narium odorem.

Cap. XXX.

MYrrhæ, acaciæ, amomi, ſingulorum drach. I. contũde & cribra, melle cocto excipe. iube vt hoc ſummo narium intercepto agglutinet.

Ad ecchymomata inueterata.

Cap. XXXI.

RAdicula illita ad hæc facit. auferenda eſt, cùm eroſionem incipit inducere, aut radiculæ ſuccũ cum micis panis illinito.

Ad labia fiſſa. Cap. XXXII.

OVi membranulam interiorem, vt ſplenium impone. idem faciunt telæ aranearum candidæ, quæ in arcis inueniuntur: quæ verò altius ſciſſa ſunt, bubulo aut caprino adipe, aut medulla bubula, & reſina inungito.

Ad ephelidem, & maculas faciei ex Galeno.

Cap. XXXIII.

VItis ſylueſtris racemi ephelidas & maculas, &

quæcunq; generis eiusdem in summa cute oriũtur, curant. amygdala amara ephelida tollit, itemq; huius arboris radices coctę: costus ex aqua, & melle ad idem valet. Brassica ad ephelidem & lenticulas facit: & ad cætera omnia, ad quæ mediocri adstrictione, & absterſione opus est. Sepiæ testa combusta eadem præstat.

De varis ex Galeno. Cap. XXXIIII.

QVI varus appellatur, tumor quidam exiguus atque durus in faciei cuticula est: ad quę exterendum valent emollientia & digerentia medicamenta.

Aliud. Mellis Attici cyathus, acerrimi aceti portio: diligenter mixta excipe terebinthina, vbi emollieris impone.

Ad ficoſas menti eminentias ex Galeno.

Cap. XXXV.

SPVmæ argenti, misyos crudi par pondus, tere, & illine. Aliud. Thuris drach. octo. spumę argẽti drachmæ quatuor. salis fossilis drach. octo. trita illinito.

Ad fœdos alarũ odores. Cap. XXXVI.

ALuminis liquidi partibus duabus, myrrhæ parte vna, vino dissolutis vtitor.

De lippitudine ex Galeno.

Cap. XXXVII.

OPhthalmia est inflammatio tunicæ, os capitis, & caluariam ambientis. ad hanc medicamenta sunt adhibenda quæ repellant, nec exasperent, hoc est, quæ non vehementer adstringant: vtplurimum verò albus oui liquor cum accommodatis medicamẽtis, per collyria, quæ vnius diei dicuntur, sanare lippitudinem potest: postridie verò eius diei collyrio, quod nardinum appellatur, ad instaurandum & corroborandum inungetur. In quibus autẽ adstringentia superant, plurimum oui candidi, parumq; collyrij

rij esse debet: in quibus verò concoquentia excellunt, ijs paulo crassioribus est vtendum. Fométo ex spongia vtemur, si quidem mediocris sit dolor, semel aut bis in die: si vehementior, & ter, & quater, & sæpius vti præstat. Fomentum verò ex meliloti & fœnigræci decocto conficiatur.

De inflammationibus oculorum.

Cap. XXXVIII.

SI plenitudo subsit, vena secanda est, aut adhibenda purgatio, aut clyster inijciendus, aut imperanda inedia, atque ita progredi adhibitis ijs, quæ repellere fluxionem possint. Si plenitudo non adsit, sed mediocris affectio oculos obsidens fluxiunculam pariat, in principio vtendum est inúctione, vt irritationem oculis infestam leniamus, & defluxum sistamus: quale est quod ad Nilum autorem refertur ex rosis, & medicum, & nardinum. Si verò humor in capite tantummodo obstructus redundet, cucurbitulas occipitio affigere oportet, & cutim scarificare, vel hirudinem adhibere & fronti, qua dolet oculus, assiduè oui candidum, aut lac instillare, & hisce remedijs dolores lenire. In quibus verò ardens, calida, & acris defluxio est, aut salsa, hoc cataplasmate vtemur. Panis puri medullam aqua macerato, læuigato, rosacei modicum admisceto, superiori palpebræ imponito: aut capitum papaueris decocto polentam coque, & modico rosacei adiecto illine. Palpebræ autem inungendæ sunt medicamento quod diarhodon appellatur, diluto capitũ papaueris decocto. agglutinantib. quoq; & vnguentis vtendum est, cùm vasa quæ in fronte & temporibus sunt, contorta distendunt. Sed cùm defluxio à vasculis, quæ altius inhærent, proueniat, ab his abstinendum est. Si verò inflammatio à materia concocta excitetur,

purgante medicamẽto confertim euacuabimus. balneum quoq; in hoc casu erit accommodatum. Cùm inflammatio remittit, cataplasmatis calidis per initia vtendũ. Si crassum sit id, quod inflammationem facit, primùm omnium adhibẽda curatio est alui solutione, inunctionibusq; medicamentorũ, quæ neque impleant neque crassos humores reddant, sed quæ diffundere, humectare, & excernere possint: quale est chiacũ collyrium. ad hæc imponenda sunt * catapotia dolorem leuantia, odoramentaq;, & cataplasmata, & medicamenta quæ inunguntur: celeriusq; balneo vtendum, & serũ lactis propinandum.

De doloribus oculorum ex Galeni sententia. Cap. XXXIX.

QVoties dolores vehemẽtes oculis accidunt, perquirendum est, quænam affectio in inflammatione dolorem eis afferat: nam, aut ex vehementi acris humoris confluentis morsu, aut quòd eorũ tunicæ plenitudine distenduntur, aut propter crassorũ humorum, aut succorum, aut spiritus flatuosi extẽsionem vehementes in oculis dolores excitãtur. ac morsus quidem purgantibus medicamentis, & ipsi particulæ oui humore infuso curabis: Vbi autem prius concocta inflammatio ipsa fuerit, corpusq; vacuũ, tum vtique lauationes sunt aptissimæ. Quæ verò ex repletione inflammationes proueniunt, missione sanguinis, alui deiectione, infernarũq; partiũ frictione curare conueniet. Extensiones verò curabimus toto corpore prius euacuato, atq; etiam humorũ momento deorsum auerso: tum medicamentis localibus, quæ digerant vtendum erit. Fouendi igit̃ sunt, ac fœnigræci decoctũ infundendum. In quibus verò sanguinis crasioris copia in venulis oculorum continetur, sine succorũ in toto corpore redundantia,

tia, vini potione vtendum est, quippe quod calefacere, euacuare, & obstructiones aperire queat.

De chemosi ex Demosthene. Cap. XL.

CVM ex vehementi inflammatione palpebræ inuertuntur, vt vix contegere oculos queant, curare oportet venæ sectione, medicamento purgante, & collyrio diarhodon cum lacte, aut oui candido palpebras illinendo, eodem quoq; tẽpora, & frontem illines. Corpore plurimum euacuato, si ferre queãt, fomentum ex spongia adhibendum est: cataplasmataq; ex farina pura, & polenta ex hydromelite cocta imponenda, eaq; sæpius mutanda sunt, ipsiq; polentæ & seris, & solanum admisceri debent. In principio subungendum non est: satis enim est lactis vti infusione: sequenti verò die admouere ea, quæ ad inflammationem faciunt, & præsertim diarhodon collyrium: cum inflammatio remittit, medicamẽto purgante vtendum, & acrioribus inungendum.

De phlyctænis. Cap. XLI.

PHlyctænæ curandæ sunt ad hunc modum: in primis iubendum est, vt ægri parum loquantur, sternutationes, iram, spiritus retentionem vitent, potũ & cibum quammaxime possumus contrahere oportet, euacuationeq; vti ex clysteribus non acribus, obscuro loco ægrum continere, ligamenta quoq;, & linteorum applicationes vitare oportet. Cataplasmatis vtendum est leuioribus, & subadstringentibus, collyriũ verò Nili diarhodon lacte dilutũ cõueniet.

Ad phlyctænas oculorum. Cap. XLII.

PHlyctænæ quæ in oculis sunt, medicamenta digerentia postulant: quæ igitur recentes sunt, atq; adhuc inflammatæ, medicamentis quæ ex myrrha, &

thure,& croco constant, arcentur: inueteratæ verò aliquid eorum, quæ maiorem digerendi vim habẽt, requirunt.

De carbunculo. Cap. XLIII.

PRimùm clysteri vacuare, deinde lacte non cocto mediocriter purgare conuenit: deinde spongia fotum erui farina,vel triticea,ex aqua mulsa cocta illinere: nonnunquam verò iridem tenuem illinere, & lacte oculũ perluere:si vlcera serpant,lenticula cum melle, vel mala cydonia cocta super danda: si latius depascendo serpant,folijs oliuæ decoctis, vel malicorio in vino decocto læuigatoq; illinito: si cessent serpere,crustaq; medicamẽto,quod subijciá, imposita exciderit,vlceraq; pura sint, luteis ouorũ tostis læuigatisq; cũ melle, & croco donec ad cicatricem perueniant,illinentur: medicamentum verò est huiusmodi.Spodij drach.quatuor, croci oboli tres,vino aminæo læuigẽt quousq; inaruerint:passumque creticum vetus miscetur: omniaq; simul læuigãtur, & liquor pyxide fictili excipitur,& oblinitur.

De mydriasi. Cap. XLIIII.

CVM pupillæ color nihil immutatur, sed multo, quàm naturaliter esse consueuit, est latior, & interim lumine penitus priuat,interim verò quæ videntur, multo minora apparent omnia, mydriasis malum vocatur.Eius curatio sanguinis missione ex cubito, aut purgatione tentanda est: sin minus, venas in angulis oculorum oportet incidere, deinde cucurbitulam occipitio affigere, & aqua marina faciem,& oculos perfundere: si ea non adsit, muria, vel posca vtemur: cæterùm medicamenta adhibenda erunt ea,quæ ad phlyctænas etiam faciunt.

De phthisi,& atrophia oculorum. Cap. XLV.

Phthi-

PHthisis est, cùm pupilla angustior, obscurior, & rugosior efficitur: res verò quæ cernũtur, his maiores apparent. Inter phthisin, & atrophiam hoc interest, quòd phthisis angustiorem pupillam efficit. atrophia verò totum oculum & minorem, & humiliorem reddit. Curandus hic morbus est exercitatione partium superiorum, & diligẽti admodum capitis, faciei, & oculorum frictione, & acriore medicamento, quale est, quod sequi, rarefacere oportet. Ammoniaci drach. 1. crocomagmatis drach. IIII. æruginis drach. 1. tritis in aqua, & subactis vtitor.

De nyctalope. Cap. XLVI.

NYctalopem vocant eum, qui per diem videt, sole occidente obscurius, nocte verò omnino nihil cernit. Curari debet sanguine ex cubito, & angulis oculorum misso: deinde purgatione, aut euacuatione ex clysteri: tum apophlegmatismi imperabuntur, aut vt sternutamenta excitẽtur. Ante cibum hyssopum potui dabimus: si morbus ita non finiatur, medicamentum purgãs quod ex scamonea, castoreoq; conficitur, iterum dabimus: oculi melle despumato illinentur, claudenturque humores comprimendo, & continendo. Aut aluminis Aegyptij combusti partes duas, salis fossilis partem vnam. tere ex melle & sublinito.

De glaucomate, & suffusione ex Ruso. Cap. XLVII.

GLaucoma & suffusionẽ veteres vnum eundemq; morbum esse existimarunt: posteriores verò glaucomata humoris glacialis, qui ex proprio colore in glaucum conuertatur, & mutetur, morbum esse putauerunt: suffusionem verò esse effusionem humorum inter vueam & crystalloidem tunicam concrescentium: cæterùm glaucomata omnia curationem

non recipiunt: suffusiones verò recipiunt, sed non omnes. Discutere igitur suffusionem oportet sangui nis ex cubito detractione, itemq; purgatione, & acrioribns euacuationibus, veluti cētaurij decocto, aut amari cucumeris, & alui solutione frequentiore: cucurbitulas etiam occipitio cute incisa admouendo. Aqua toto curationis tempore bibenda est, cibiq; assumendi, qui attenuent. Proderit etiam progressu tēporis apophlegmatismos per dies aliquot adhibere. Medicamentis vtendum est, primùm simplicibus, qualia sunt mel, oleū, fœniculi succus: dein de compositis, quale est hoc, quod accipit sagapeni drachmas duas, succi cyrenaici, veratri albi singulorum drachmas sex, rutæ sylvestris drachmam vnam, spumæ nitri drachmas sex, allij quinque, mellis cochlearia octo, aut succi chamædryos, sanguinarię singulorum pares portiones, collyria conficito.

De obscuritate, & hebetudine.

Cap. XLVIII.

OBscuritas est plerunque totius aspectus impedimentum absq; manifesta oculi affectione: hebetudo verò est obscurior aspectus ab aliqua ignota causa proueniens. Communis omnium obscuritatum curatio est venæ sectio in cubito, & in angulis oculorum: deinde verò humores euacuationibus ad partes inferiores reuellendi sunt: postea cucurbitula occipitio affigenda, hirudinesq; temporibus admouēdæ, & partes inferiores cōfricandę: aqua potui danda, cibis vtendnm, qui facile digerantur, temporis spatio sternutamenta quoq; excitanda, vomitus ante cibum ciendus, inunctiones adhibendæ: ac primùm quidem ex paribus mellis & olei portionibus: deinde hoc composito, quod subijcio. Croci oboli duo, fellis hyænæ drach. vna, piperis cōmunis gra.

LXXXV. succi fœniculi drach. XVI. guttæ ammoniaci drachma vna, æruginis tantundē, mellis coch. sex, tritis omnibus fœniculi succum affunde, deinde læuigata exiccato, tūcq; mel admisceto, in pixidem æneam reponito, & vtitor. Antequam inungas, oculos spongia, quæ marina calida imbuta sit, fouebis.

De strabismo. Cap. XLIX.

QVI strabones oriuntur, curantur rebus faciei adiectis, vt rectè aspiciant: & lucerna in cōspectu ipsorum constituta, ne obliquè intueantur: cumq; ad nares oculis conniuent, stipulas ex palma etiam angulis oculorum, qui ad tempora sunt, agglutinare conuenit, vt aspectu ad has firmiter directo oculos emendent.

De expressione. Cap. L.

OCuli verò interdum exprimuntur ita, vt exerti permaneant: si ex strangulatu sic compressi sint, vena in cubito secanda est: si alia causa subsit, purgandum elleboro nigro, aut scamonea. Compressiones verò, quæ ex doloribus oriuntur, purgationes, quæ in puerperijs eueniunt, sæpenumero soluunt: vnde nos quoque vnà cum ijs debemus opitulari: in viris autem post sanguinis missionem, si morbus non remiserit, cucurbitula occipitio affigetur: lana melle imbuta imponetur, aut stuppam ex aqua, & supra linteolum leniter deligabimus. Marina quoq; frigida faciei insperſa eosdem iuuat, & sereos & polygoni succus cum meconio illitus, itemq; alia, quæ comprimendi & contrahendi vim habent.

De confusione. Cap. LI.

COnfusiones, quæ ex plaga consequuntur, venæ cubiti sectione curamus, itémq; totum oculum sanguine recens mactati animalis, præsertim verò turturis, sin minus, columbæ implendo: deinde lanam

mollem, ouo cũ vino & roſaceo contuſo intinctam, & impoſitam deligando: die ſequenti idem faciendum: tertio verò, fomento vtendum, lac inſtillandum, quę accommodata ſunt, applicanda: poſtremò ſublinendum ijs medicamentis, quæ ad veteres affectiones valent, quale eſt, quod chiacum dicitur.

De luſcioſis. Cap. LII.

LVſcioſi dicuntur, qui ita nati ſunt, vt quæ prope ſunt videant, quæ procul ſunt, non itẽ, quæ quidem affectio curationem nullam recipit: ſeneſcentes verò contrà, ac luſcioſi, affecti ſunt, propinqua enim non videntes, remota aſpiciunt.

De oculis lacrymantibus,

Cap. LIII.

LAcrymantes oculos ſublinere medicamentis agglutinantibus, refrigerantibus, & adſtringentibus, itemq; poſca proluere conuenit.

De encanthide.

Cap. LIIII.

ENcanthis eſt incrementum carnis, quod in angulo maiore prouenit loco vlcerato: ſi maligna encanthis non ſit, dolore vacat, mollis, ſublaxaq; eſt: ſi maligna, eſt durior, inæqualis, & pungentes dolores affert, malignæ dimittendæ ſunt, non malignas curare conuenit: ac paruas quidem medicamentis ſiccis, quale eſt, quod ex chalcitide, & cadmia & pſorico conficitur: maiores verò, chirurgia.

De pediculis palpebrarum.

Cap. LV.

PEdiculis prius eiectis, palpebras marina tepida colluere oportet: deinde cilijs admouere medicamentum hoc quod ſubijciam. Aluminis ſciſſilis partes duæ, vuæ taminiæ pars vna, tritis vtitor.

De

De naribus obstructis ex Archigene. Cap. LVI.

CVM nares obstructæ sunt, acrisq; nobis qualitas permittit, prius danda opera est, vt aluũ ciea mus: deinde supra nares hirudinem applicemus: tertia die splenium à media fronte ad nares extendamus: nasi verò partem emplastris quæ digerere pollicentur, per dies quindecim illinemus: postea confectione amara ex aloë, aut hiera, ex colocynthide ventrẽ ducemus, quib. peractis apophlegmatismis vtendum est: deinde molliens medicamentum naribus & fronti super dandum, tum prouocanda sternutamenta, mox sinapismo caput vsq; ad frontẽ obducendum, castoreum deniq; aceto dilutũ odorandum offeretur: si post hos omnes motus aliquo prẽterea auxilio sit opus, vomitus ex raphanis, & oxymelite excitetur: die sequenti absinthij succi, quantum cochlearis dimidium cõpleat, aut etiam hyssopi, aut tragorigani bibendum datur. Malagmatum quoque vsus conuenit, quæ impones vsquedum varos excitent. Hæc autem & bis, & sæpius ad affectiones pertinaciores admouere oportet.

De strangulatis ex Theophrasto. Cap. LVII.

SVffocati reuocantur aceti infusione, & filicis, aut vrticæ semine in aceto acerrimo trito, & diluto: difficiliter aũt quidpiam sumunt, sed vi cogendi sunt. Dissolutis verò colli impedimẽtis statim respiciũt, & anguntur: hi non secus reuocari videntur, atque illi qui naufragium fecerunt, & ad summam, vt qui suffocatione fuerunt oppressi, siquidem eorum calor ita recreatur.

FINIS OCTAVI LIBRI.

NONI LIBRI ARGVMENTVM.

Nono libro traduntur omnia, quæ ad thoracem, viscera q̃ vsq; ad pudenda, pertinent: deq; muliebribus morbis, & podagra, atq; articulorum doloribas agitur.

CVIVS HAEC SVNT CAPITA.

De *sanguinis reiectatione ex destillatione.* Caput I.
De *reiectatione sanguinis.* II.
De *purulentis ex Galen.* III.
De *tabe.* IIII.
De *asthmate.* V.
De *cordis palpitationibus ex Galeno.* VI.
De *lateris dolore.* VII.
De *lateris dolore sine febre.* Caput VIII.
De *mæmillis affectis.* IX.
De *oris venticuli affectionibus.* X.
De *flatu ventriculi.* XI.
De *ventris excretionibus, quæ præter naturã fiunt.* XII.
Tineſmi curatio. XIII.
Dyſenteriæ curatio. XIIII.
Ad *dyſentericos & cœliacos.* Caput XV.
De *tenuioris inteſtini morbo.* Caput XVI.
De *ſedis affectionibus.* XVII.
De *hæmorrhoidibus.* XVIII.
De *iecoris affectionib.* XIX.
De *iecoris imbecillitate.* XX.
De *ſcirrho iecoris.* XXI.
De *malo corporis habitu.* Caput XXII.
De *aquæ inter cutẽ.* XXIII.
De *lienis affectionibus.* Caput XXIIII.
De *renum & veſicæ affectibus.* XXV.
De *renum veſicæq; inflammationibus.* XXVI.
De *abſceſſu renum, & veſicæ, & meatuum vrinæ exulceratione.* XXVII.
De *renum duritie.* XXVIII.
De *renũ imbecillitate.* XXIX
De *ſcabioſa veſica.* XXX.
De *veſicæ inflammatione ex Rufo.* XXXI.
De *vaſe rupto in veſica.* Caput XXXII.
De *veſicæ tuberculis.* Caput XXXIII.
De *veſicæ vlcerib.* XXXIIII.
De *diabete ex Galeno.* Caput XXXV.
Diabetæ curatio ex Rufo. Caput XXXVI.
De *vlceribus quæ in ſede & pudendis ſunt.* XXXVII.
Ad *teſtium & pudendi affectiones.* XXXVIII.
De *gonorrhœa, & ſatyriaſi.* Caput XXXIX.

De pol-

De pollutione quæ in somnis fit. XL.
De priapismo. XLI.
De hæmorrhoidibus. XLII.
De vteri affectionib. XLIII.
De nimia purgatione. Caput XLIIII.
Mulierum non concipientium curatio XLV.
Non spirantium curatio, Caput XLVI.
De suffocatione ex vtero, Philumeni. XLVII.
De fluore muliebri. XLVIII.
Simplicia muliebrem fluorem curantia. XLIX.
De vteri inflammatione. L.
De vuluæ abscessibus. LI.
De vuluæ vlceribus. LII.
De cancro vuluæ. LIII.
Ad vuluæ fissa. LIIII.
De phymo vteri. LV.
De vuluæ inflatione. LVI.
De vtero procidente. LVII.
De articulorum doloribus, podagricis, ischiadicisq; sanandis. LVIII.
Curatio scirrhorũ, qui in morbis articulorum sunt. Caput LIX.
Ad scirrhos, Philagrij. LX.
Quomodo se quispiam à podagra tueatur. LXI.
Ad ischiadicos. LXII.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTATHIVM FILIVM,

LIBER NONVS.

De sanguinis reiectatione ex destillatione. Caput Primum.



VIBVS cruentum sputum ex destillatione oritur, ijs in ipso statim initio secanda vena est, aut clyster acer injiciendus: tũ crura, manusq; calfacienti medicamento plurimùm fricanda, & vincienda: mox caput radendum, cui deinde medicamentum, quod ex stercore palumborum constat, imponetur: interpositisq; tribus horis in balneum ducentur, ac nullo pingui caput contingendo laua-

buntur: dein caput idoneo pileo contegentur: & sola sorbitione fructuum autumnalium austerorum alentur: dormituris medicamentum ex viperis nuper quatuor ante menses confectũ dabitur: secundo verò die totum corpus, præter caput, ritè fricabit, & ipsi in quiete habebuntur: rursus autẽ vesperi medicamentum ipsum ex viperis dabitur: cohibita ob id destillatione, tertio die mane mellis cocti parum dato, in quiete conserua, totumq; corpus frica: ptissanæ cremorem cum exiguo pane pro cibo exhibe: quarto porrò die mane dato medicamen ex viperis, idq; cum melle copioso: capiti verò eodem imposito medicamento, ipsisq; lotis, moderateq; nutritis, pulmonẽ quinto die valentius expurgabis, ac deinde rursus per interualla cerato ex thapsia, quod consuetũ est, ad caput vtere: totam deniq; corporis curam ad reficiendum dirigito. Qui verò ob frigiditatem membrorũ respirationis sanguinẽ expuunt, ijs statim venã incides, bisq; eodẽ die sanguinẽ detrahes: deinde rursum postridie bis, sed artuũ frictione, & deligatione pridie vsus, ad vesperam medicamentũ, quod diaspermaton dicit, exhibebis: secundo die post sanguinis detractionẽ, toti pectori ceratum, quod ex thapsia cõficitur, impones: mox vesperi, ne supra modum calefaciat, auferes: tertio die rursus ad tres horas imponito, atque hominem lauato, & tribus deinceps diebus sorbitionibus nutries: tertioq; præter cremorem ptissanæ, aliquem etiam piscem, qui facilè concoquatur, & simpliciter sit præparatus, adijcito: medicamentum quoq; diaspermaton & secundo, & tertio die ad vesperã similiter dabis: nam & somnum cõciliat, & dolorem lenit, & exiccat. Cùm igit particulæ ad bonam temperiem redactæ sint, sedataq; sit inflammatio, expurgare validè

dè poteris, adhibito simul vsu medicaméti, quod ex viperis constat: quo sumpto & lactis potu, & alijs etiã cibis conuenienter vteris. Atq; hoc quidem modo eos, qui eodem die se tibi committent, curare poteris: qui verò post duos, aut tres dies, non omnes, sed aliquibus eorum insanabile vlcus est factum: vlcera nanq; quæ in pulmone sunt, difficilius sananṽ, & statim vena in cubito interna secanda est: bisque, vel etiam ter detrahere sanguinem oportet, tum fricare, & artus omnes vinculis excipere. His cõfectis, primùm posca diluta tepida potui detur, vt siquis grumus sanguinis in viscere concreuit, dissolutus ejiciatur. id quod bis atq; ter efficere, nihil prohibet. Post hæc verò, medicamenta obstruentia, & adstringentia primo die ex posca diluta, aut ex decocto malorum, aut myrtorũ, aut alterius cuiuspiam adstringentis exhibeantur. Vesperi autem rursus medicamentum similiter dare conueniet: ægerq; ab omni cibo erit abstinendus. Præstabit autem secundo itidem die parũ sanguinis detrahere, nutrireq; & medicamenta similiter ad quartum vsq; diem adhibere, pectore in orbem madefacto: atq; æstate quidem melino, & rosaceo: hyeme verò nardino vnguento. Vtitor etiam emplasticis medicamentis per se, quale est, quod ex bitumine & aceto cõficitur. Ex ijs verò ij soli insanabiles mihi videntur, qui ex succi vitiosi erosione sanguinem reiectant.

De reiectatione sanguinis. Cap. II.

IN sanguinis reiectatione primum periculum in nimia euacuatione est positum: ægrotis auxiliari statim his quę subijciam, poteris: medicorum enim officium est totã affectionem animo perpendere. Portulaca verò ad hoc facere consueuit: sed eius succus

potui datus est efficacior: itemq; balaustij, rubiq; fructus & flos epotus: membranosa quercus pars, & liber qui inter corticem & lignum intercedit: præsertim verò truncum ipsum, & item fagũ incoquentes vtuntur. efficacior est althææ radicis decoctũ & mentastrum. Ad recentes reiectationes. Centaurij maioris drach. 11. febricitantibus ex aqua, nó febricitãtibus ex vino dabis. Rheum, lentisci folia & cortex, famius aster, ad omnes reiectationes valet: eodemq; modo lemnia sphragis. Ad sanguinis verò grumos facit vel maximè leporis coagulum in potione sumptum: eosdem quoq; grumos disipat ficulnus cinis ex aqua potus. itemq; thymum, & saturcia cum aceto.

De purulentis ex Galeno. Cap. III.

PVrulentos vocant eos, qui in thorace & pulmone pus coaceruatum habent. nam post ruptionem pus in media thoracis & pulmonis regione continetur: ac nisi celeriter excretur, tabidi moriuntur. Febricitant semper tenuiter febri hectica. erumpit verò pus, partim suprà, partim infrà: quodq; infrà delabitur, tum in ventre, & intestino intercipitur, tum in vesica, in quam per vasa quædam importatur. quando verò sursum abscessus erumpet, periculosior res est. In primis igitur puris est adiuuanda concoctio: id fiet fomentis per spõgias, & cataplasmatis ex hordei farina additis caricis coctis, modico resinæ, stercoris columbini, nitri, & ibisci: hæc enim attenuant, atq; digerunt. Sani quoq; lateris incubitus eruptionem adiuuat. Absorbeant per interualla mulsam, & ptissanæ cremorem ex melle: robustiores verò hyssopi & thymi decoctum bibant. opitulatur etiam ruptioni salsamentorum esus: & catapotia hieræ ex colocynthide dormituris data. Cùm pus excerni incipit,

pit, hyssopū in mulsa & oleo coctum dandum erit. Si verò exulceratio difficulter purgetur, mulsa continenter vtemur, in qua duas aut tres particulas iridis incoquemus. dulcis quoq; radicis succus leuigatus, & sisamo admixtus prodest.

De tabe. Cap. IIII.

TAbes est vlcus in pulmone, quod in purulentis, & ijs qui distillatione diuturna laborarūt, oriri consueuit: atq; etiam ex sputo sanguinis consequitur, cum suppresso profluuio sanguinis, neque vlcus agglutinatur, neq; ad cicatricem perducitur. Curare oportet ita humores qui ibi sunt parando, vt tussi educi facilè queant. & diligentia quoq; adhibita, ne alij præterea colligātur. Porrum ergo capitatum in ptissana tandiu coctū, vt liquescat, cōueniet: quodq; alijs quoque sorbitionibus, aut pultibus sit incoctū: quod etiam bis per se coctum dari poterit. Potus sit aqua pluuia, quæ satis etiam decocta sit. Vbi malum conquieuerit, per initia cataplasmata ex lini semine & polline, ex fœnigræcī decocto, vel maluæ, & olei & mellis, quibus althææ folia commixta sint, adhibeantur. Temporis verò progressu ad cerata ex butyro, laurino oleo, & cyprino, & iride transeundum est: mox vtendū malagmate est. Ac primùm eo quod diatessaron dicitur ex cera & terebinthina: & duæ aut tres iridis particulæ in mulsa cum dulci radice incoctæ. Si tussis vehementer molesta sit, thymū tritum & hyssopum melle nō cocto excipe, & ad lapilli magnitudinem sub lingua tenendum dato. Mithridatum quoq; per interualla datum, itemq; medicamentum ex viperis cōueniet. Sed lactis potio est tabidis omnium vtilissima.

De asthmate. Cap. V.

QVI spirare sine sono & anhelatione nō possunt,

qui asthmatici nominantur, ijs medicamenta dissecantia & non vehementer calefacientia conueniũt: quam ob rem acetum scilliticum eos optimè iuuat. quin & ipsa scilla, & oxymel quod ex hoc aceto conficitur, conuenit. Iis verò qui non nisi recta ceruice spiritum trahunt, qui orthopnoici vocãtur, prodest pumex cum nitro, & vini fex combusta cũ iunci rotundi flore, & auripigmentum cum alcyonio. Philippus autem scribit se nouisse quendam, qui duas partes iridis, vnamq; spumæ nitri contereret, cribroq; traiectas vnguento alicui commisceret, pectusq; & dorsum donec ignita, & sanguinolenta fierent, confricaret: ex qua re difficultatem spirandi, tussim, & purulentam affectionem propulsauit. Maiora autem remedia sunt frequentior ex validis medicamentis purgatio, vomitus ex raphano excitus, & omnia malagmata attrahentia: & ipsarum partium exulceratio. Aristolochia aũt rotunda ex aqua pota asthmaticis prodest: itemq; centaurij maioris radix, spódylij fructus & radix, calaminthæ fructus, & hyssopũ, & iris, & melanthium. item asellos, qui sub hydrijs morantur, potes in vas fictile conijcere, & ad carbones ignitos torrefacere: cùm inalbuerint, terito, & melle cocto excipito, & dato ante cibum cochlearia duo ad delingendum. Aliud. Scillæ crudæ succum exprime, melq; ei pari mensura admisce, & ad prunas coque, eiusq; ante, & post cibũ cochlearia duo delingenda exhibeto.

De cordis palpitationibus ex Galeno. Cap. VI.

NOui quendam quotannis verno tempore huiusmodi palpitationis casu vexatum, qui cum per trienium à sanguinis detractione se adiutum intelligeret, anno quarto, autequam hoc malo corriperetur, san-

sanguinẽ misit: id quod deinceps multis annis fecit.

De lateris dolore. Cap. VII.

EXquisitus lateris dolor fit membrana succingente costas primo loco affecta: quocirca à præcordijs vsq; ad clauiculam dolor extenditur. ergo si dolor ad iugulum vsq; pertinet, venę sectione opus est: sin ad præcordia descendat, purgatione. Si dolor moderatus & pungens sit, non magnum admodum auxilium postulat. Ijs ergo ægrotantibus medicamenta, quorum attenuans facultas sit, dabimus: ac mediocria quidem inflammatione correptis adhibebimus: in remissionibus verò inflammationũ, validioribus vtemur. moderatus autẽ est ptissanæ cremor, & mulsa: validius verò vrticæ semen: & id in quo aliqua ex acribus herbis injcitur, vt origanum, vt hyssopum, vt calamintha, vt pulegium, vt iris.

De laterum dolore sine febre. Cap. VIII.

LAterum dolores sine febri curat bdelliũ, costus, brassicæ caulium combustarum cineri vetus adeps admixtus. Hoc nanq; medicamento ad laterum dolores vtimur, & item alijs huic similibus: magnam enim digerendi vim habet.

De mammillis affectis. Cap. IX.

MAmmillarum inflammatione laborantium efficax remedium est lutum impositum: quod si tibi siccius videatur, cyprino aut rosaceo emollies. Valet autem ad restinguendum lac, quod in caseum coit in mammis earum, quæ uuper pepererunt: ouum totũ, quo rosaceo admixto vtimur non solum ad mammillarum, sed etiam ad aliarum complurium partium inflammationes. Sordes etiam ex palæstra remedio sunt mammis inflammatis: siquidem igneum id, quod in ipsis est, extinguunt, & quod influit,

sistunt,& quod ibi continetur,digerunt. Fabacea farina mammarũ & testium cataplasma idoneum est: nam hæ particulæ,cùm inflammatione tentant,modicè refrigerari desiderant: & præsertim cùm lac in caseum concrescit. Naxiæ verò cotis retrimentum virginũ & puerorũ mammas inflari non sinit. Suum quoq; testes abscindito, mammasq; sanguine inungito,& non augentur.Mammas aũt quę ob lactis copiam intumescunt & extenduntur,lenticula marina aqua incocta,& imposita curat:mentastrum cum polenta illitum: cimolia ex aceto inuncta:lac muliebre cũ cicutæ succo:cicutæ folia illita: muria ex fomento adhibita. Valet etiam ad idem fabarum farina vel per se, vel cum polenta illita: itemq; cydonia cocta cum melle. Præterea non sinit lac in grumos transire cera alba in pilulas redacta, quarum quotidie decem numero milij magnitudine sumentur.

De oris ventriculi affectionibus. Cap. X.

QVI canino appetitu correpti sunt,hoc est,qui fame continuo torquentur, ijs vt magnum auxilium, vinum copiosum,& abundè calidum dandum est. tale autem vinum & fuluo & rubro colore citra adstrictionem est. & appetitus ex fame excitati ex stomachi frigiditate existunt:vt non sine causa huiusmodi vinum eos sedet.His cum ad prandiũ accedunt,primũ cibi dandi sunt pingues, & oleosi, & alia omnia ex oleo copiosiore parata, & in quibus nihil austerum & adstringens insit:mox verò imperandum est, vt vinum eis, etiamsi non sitiant,detur. Fames enim hac ratione statim lenietur,& ita longo tẽporis spatio peragendo sedabitur. Singultientibus danda est ruta cum vino,aut nitrũ in mulsa,aut apium,aut cuminum,aut acetum scilliticum, aut calamintha, aut asa-

asarum, aut nardum celticum & singula per se, & simul etiam. Castoreum verò cóuenit ijs, quibus multitudo singultum ex frigidis & glutinosis succis excitauit. dandum autem potui est cum posca. atq; etiam cuti vnà cum sicyonio, aut vetere oleo impositum prodest. Cùm verò ex repletione humorũ singultus oritur, (plerunq; enim ex hac causa ducit originem) violenta indiget euacuatione ea, quæ sternutamentis conficitur. Nausea verò fit, cùm ventriculus ad vomitum propellitur, cùm scilicet multitudo eum prægrauet, aut morsu infestetur, aut deniq; vitiosis succis obsideatur. nonnulli autem turbãtur, sed nihil euomunt, in quibus is, qui infestat, succus neque multus est, neq; ventriculi spatio, sed tunicis ipsis continetur: atq; in aliquibus, vt aqua in spõgia, aliquibus verò ita impactus, vt dissolui ægrè possit. Curatio tribus capitibus concoctione, attenuatione, & euacuatione perficitur. Qui igitur magis pituitosi, & crudi sunt, quiete, inedia, & somno cócoquuntur: ex alijs verò, qui tenuiores sunt, & modicè infarcti, vomitibus eijciuntur: qui interdum ex ptisanæ cremore, aut mulsa, interdum ex aqua sola cientur. at quicunq; glutinosi, crassiq; sunt, & ita ventriculo impacti, vt auelli difficulter queant, ij medicamenta succos attenuantia postulant. Cùm verò humiditas vitiosa ventriculi tunicas obsidet, picra ex aloë hanc ipsam vtiliter purgat: adstringentia verò nocent egregiè: veluti etiam vbi multa humiditas citra malitiam succorũ est, ac veluti mador quidam, & qui sola quãtitate affligit, adstringentia sunt vtilissima. medicamentum verò ex aloë confectum, omnes qui vsi sunt, ad marcorem perducit. In ijs verò, qui frigidam affectionem esse senserint, addere poterimus calefacientia adstringentibus: esse autem fri-

gidiorem affectionē illud satis indicabit, si sitis absit. cum enim æger non sitiat, neque os ventriculi æstuare sentiat, sanè patet non esse affectionem calidam. Inflammationes autem oris ventriculi, & iecoris adstringentium adhibitionem postulant: nam si quis relaxantibus solùm vtatur, vitæ periculum affe ret. ergo siue oleum, siue cataplasma locis affectis superdetur, aliquid, cui facultas adstringendi insit, admiscere oportet, vt absinthium, aut nardinum vnguentum, aut melinum, aut cydonium incoquēdo. Ceratum quo vtimur continenter. Ceræ albæ vnc. 1. aloës, mastiches, singulorum denarius. Si maiore adstrictione opus sit, cùm tanta imbecillitas ventriculi sit, vt ne cōtinere quidem cibum queat, omphacij par portio addatur. Atque in cerato primùm omphacium, deinde alia misceātur. & quemadmodum omphacium, ita etiam absinthij succum, & quandoque etiam vtrunq; adiungimus, & tertio itidem loco hypocystidis, & œnanthes, & rhois succum: deinde cerato modus est adiungendus, qui aliorum medicamentorum numero pro portione respōdeat. Si inueteraſcit, iamq; indurescit inflammatio, tum magis varia medicamenta, quæq; aromatū, itemq; mollientium & digerentium quippiam habeant, applicare oportet, quale est id, quod ex meliloto conficitur. Viridis iaspis stomachi os attingēs, stomachum iuuat: cuius rei satis magnum periculum visum est. torques autem conficiendus est, eaq; moderatione collo aptandus, vt os ventriculi contingat. In calida verò stomachi intemperie, vt ardeat cum dissolutione, vel quasi anima deficiat, vel quoddam cibi fastidium vrgeat, ex quacunq; tandem occasione præterquàm á febri, aquam frigidam cum omphacij succo, aut cydoniorum decoctum, aut clauiculorū vitis,

tis,vel ſeminis cucumeris, aut ipſa ſemina trita dabis: aut mentæ ramulos tritos potui dato. foris autem veſicam aqua frigida plenam ſtomacho impone,aut niuem adhibe,aut cucurbitæ ramenta. Catapotium ſitim ſedans ijs qui æſtuant. cucumeris ſatiui ſeminis drach. octo. tragacanthæ drach. ſex. ſoluitur tragacantha ouorum crudorũ recentium albo: cumq; fuerit diſſoluta, ſtudioſeq; contrita, cæteris addatur, omnibusq; commixtis catapotia finganť, & in vmbra exiccentur, dentur autem, vt ſub lingua teneantur: humor verò, qui inde emanat, deglutiatur. Hoc verò cùm refrigerat, tum verò etiam firmat ſtomachum humeſcentem, cùm humida calidaq; affectione tenetur: Foliorum roſarũ viridium drach. ſex. dulcis radicis drach. quatuor. nardi Indici tantundem. vino dulci excipe, catapotia confinge. dato ſub lingua continenda. Vel diſſolue ex aqua frigida ad ciceris magnitudinem. Cæterùm refrigeratis, & in quibus craſsior pituita calefieri, diſſecariq; poſtulat, hoc quod ſequitur, conuenit. Marathri radicis corticis vncia una, aceti ſextarius vnus, aloës vncia vna. radices aceto incoquunť, cũq; coctæ fuerint, eis aloë commiſcetur, dato huius cochlearia tria ex aqua. nonnulli etiam abſque aloë id conficiunt. Quibus autem cibus aceſcit, hoc eſt accommodatũ, piperis drach. 1. ſeminis anethi drach. 1. cumini drach. quatuor. terito, & dormituris cochlear vnũ ex vino diluto dabis. Ijs verò, qui atram bilem gignũt, & ſtomachus flatu infeſtať, ſpongias aceto acerrimo imbutas, & præſertim in acceſsionib. applicato: deinde ſi dolor remanſerit, alumen liquidũ cũ ære trito, melle exceptum imponito. Ei verò, cuius ſtomachus diſtẽtus, ac flatu plenus ſit, calamin thes decoctum aqua, ſub dio refrigeratum, modico

mellis,& piperis adiuncto offeres. Ad stomachi subuersiones facit hoc. mali granati acidi nucleorũ succi partes tres, mentę succi pars vna. coniectas in vas fictile, continuò mouendo coquito: cumq; in vnum coiuerint, ab igni auferto. cum vsus postularit mistrum vnum ante cibum dabis.

De flatu ventriculi. Cap. XI.

FLatus in ventriculo gignuntur ex succis, aut cibis ab imbecillo calore in vapores dissolutis. refrigeratio enim, quod attenuare, dissoluereq; suapte natura non queat, flatus nullos gignit. calor autem vehementior non solùm attenuat, atq; dissoluit, sed etiam digerit: ideo fit, vt flatus procreationem impediat. at imbecillus calor fundit, & commutat ipse quidem alimentum, sed minus, quàm par est: inde flatuum origines existunt. ex quo fit, vt calefaciẽtibus medicamẽtis attenuare eos oporteat: id fiet, si oleo cuminum, aut apij, aut spondylij, aut dauci semen in coxerimus. Si huic affectioni cõiuncta frigiditas sit, rutam, baccas lauri, melanthium, marathrumq; oleo incoquemus, bitumenq; & oleum laurinum admiscebimus. Sed si inflammatio dolores comitetur, loco eorum quæ calefaciunt, relaxantibus vtemur, anethum enim incoquemus, & gallinaceum, & anserinum adipem admiscebimus. Ad eos porrò qui flatu torquentur, facit polij fasciculus coctus, & in potu sumptus, aut etiam calaminthæ decoctũ mellis portiuncula & piperis drachma adiecta. atq; hæc quidem cùm dolor vehemens urget, applicanda sunt: cùm uerò moderatus dolor est, satis erunt fomenta ex milio, aut pannis lineis. Præterea cucurbita iustæ magnitudinis, quæ vmbilicum ex omni parte comprehendat, sæpenumero laborantes morbo liberat. Castoreum quoq; epotum, atq; etiam ex posca, &

foris

foris ex oleo sicyonio impositum iuuat, etiamsi flatus huiusmodi sint, vt circa vmbilicum intestina torqueantur. Suis etiam talus vstus & potus, tormina & flatus tollit: quod facit etiam rotunda aristolochia. Ad dolores autem flatuosos ex ventris obstructione, aut sanguinis crassitie, aut ex perfrictione excitatos vinum meracius à cibo sumptum valet, cumq; somnus accesserit, eosdem planè sedat.

De ventris excretionibus, quæ præter naturam fiunt. Cap. XII.

IN ventris excretionibus cùm vehemens desidendi cupiditas est, excernunturq; primùm pinguia, & muccosa, deinde verò etiá abrasis similia, tũ parum sanguinis, qui excretioni supernatat, neque excrementis mixtus est, in recto intestino radices egisse affectionem constat: eaq; tinesmus appellatur. Cùm verò nulla pinguis excretio præcedit, in biliosis statim rasuris similia excernunt, omnino quidem cum morsu, & quandoque etiam cum torminibus, cruenta q; excrementis mixta, tunc in gracilioribus intestinis esse affectionem coniectamus: sed si pinguia & cruenta non sint commixta excremẽtis, tum in crassis intestinis esse morbum coniicimus, & vtraq; affectio dysenteria nominatur. Quandoq; etiam vsu venit, vt solus sanguis copiosè excernatur: quam affectionem medici quidam cruentam dysenteriam vocant. Est & alia quædam, præter has, quas diximus, affectio, quæ ventris & intestinorum obsidet loca, per quam cùm primùm ingesti sunt cibi, statim nulla acquisita mutatione, sed crudi, inconcocti, in succum non conuersi excernuntur: quod mali genus, omnes leuitatem intestinorum appellarũt: quam sanè affectionem vel ex totius intestini exulceratione, vel ex ventriculi imbecillitate, qui continere ci-

bos non potest, oriri dicimus. Sæpe etiam propter iecoris imbecillitatem, ex ventre excernuntur quædam lotioni carnium recens mactatarum persimilia. Quinetiá alia est peculiaris excretio dilutior, cùm ventriculus quidem exquisitè concoquit, sed distributio ipsa nõ fit: & quãdoq; etiam nigrior sanguis, quàm esse naturaliter deberet, & splendescens excernitur: id quod accidit, cùm iecur alimentum distributum non probè concoquit.

Tinesmi curatio. Cap. XIII.

IN ipso statim initio irrigare oportet imum ventrem, inguina, & perinæum oleo myrtino, aut rosaceo cum vino: deinde caprini lactis recens mulcti non minus, quàm heminam dare, verùm non confertim, sed partitè. Sequenti verò die euaporatũ lac detur: coquatur autem ad dimidias, aut ad duarum partium consumptionem, ablataq; crassiore spuma quæ superstat, exhibeatur. Loca autem inferiora irrigentur oleo, in quo cuminum tritum, aut apiũ sit incoctum: in rectum autem intestinum ptissanæ cremor, in quo rosæ incoctæ sint, aut lac, aut alica, aut lenticula, aut malicorium injiciatur. Sin violentior sit inflammatio, oleum dulce leniter calidum infusum, & multis horis retentum doloris vehemẽtiam soluit. fomenta quoque adhibenda sunt imo ventri ex sacculo in quo frictum milium atq; sal insit: in sedem verò per spongias acatiam contusam, aut myrti, aut rubi, aut malicorij decoctum infundes.

Dysenteriæ curatio. Cap. XIIII.

SI exulceratio solum sit, neque quicquam præterea influat, ex vna validi medicamenti iniectione omnino abstergetur, atque curatur: sin secus altera adhibita: neque tertia opus est. ergo si dysenteria à flaua bili originem ducit, eam plerunq; curamus: at si ab

atra

atra bile oriatur, cùm nihil à cancro exulcerato differat, curari non poteſt.

Ad dyſentericos & cœliacos. Cap. XV.

LEmnia ſphragis etiam depaſcentem iam dyſenteriam, & epota, & infuſa curat. prius enim exulceratio abluēda eſt mulſa meraciore, deinde muria: tum lemnia ex plantaginis ſucco infundenda. Potui verò danda eſt poſca diluta, & lac caſeoſum, quod conficitur lapillis ignitis iniectis donec concoquatur, & plurima ſeri pars abſumaī. eſtq; præſtantiſsimum dyſentericorum, & omnium quibus defluxiones acres ventrem exercent, remedium. Caninum verò ſtercus tritum lacti ſic parato miſce, medicamētum ſummè ad dyſentericos accommodatum facies. Sed canis nihil, præter oſſa, debet comedere: ita enim & fœdo odore vacans, & candidum ſtercus excernet. Alui quoq; defluxiones exiccat ouum ex aceto coctum, & manducatum. Si verò miſcere aliquid velis eorum, quæ ad dyſentericos & cœliacos valent, in ſartagine ex igni fumi experte aſſatū dabis: magnopere enim homini proderis. Sed vtiliſsimum eſt omphacium, rhus rubrum, eiusq; ſuccus, cinis cochlearum vniuerſarum coctarum, malicorium, galla, acini, meſpila, myrta, corna. Cochlearum vnà cum teſtis combuſtarum cineris partes quatuor, gallarum partes duæ, piperis pars vna, in puluerem rediganter, & obſonijs inſpergantur: vel ex aqua, aut vino albo diluto potui dato: iuuat hoc mirificè dyſenterias, in quibus vlcus putridum nondum eſt. Portulacæ ſuccus epotus dyſentericis conuenit: itemque plantaginis ſuccus, rubiq; fructus & folia. radicis althææ decoctū & ad dyſenteriā, & ad fluorē alui efficax eſt. ad idem egregiè facit cauda equina ex aqua,

aut vino pota: eiusq; succus ad fluorem similiter est accommodatus. Eundem sanat adiantum, paliuri folia, radix pini, piceæ cortex, lenticula bis cocta, & priore aqua abiecta. acini cuicunq; affectioni vētris & inteſtinorum ex defluxione valde proſunt. Spica nardi, oxiacanthæ fructus manducatus, & epotus, ſpina alba cœliacos, & ſtomachicos iuuat: mori fructus intempeſtiuus exiccatus medicamentum ſatis adſtringens efficitur: ita, vt valeat ad dyſentericos, & cœliacos, & ad cæteras affectiones omnes, quæ ex defluxione oriuntur. contunditur enim & obſoniis inſpergitur, quemadmodum etiam ixię fructus, vel ſi quis velit, ex aqua, aut vino bibitur: ſed magis per ſe valet. Rubi quoque fructus exiccati, & repoſiti conueniunt.

De tenuioris inteſtini morbo, quem ἰλεὸν nominant. Cap. XVI.

TEnuioris inteſtini morbus cùm difficilis morbus eſt, tum verò ſi quis in eum incidit, raro euaſit: ſed maximè mortiferum eſſe ſciendum eſt cum, qui fœtidus nominaī, in quo vel ſtercus euomitur, vel fœtida eſt expiratio: quandoq; autem ructus huiuſmodi fit, quandoq; verò totius corporis odor teterrimus excitatur. Mirum in modum iuuantur qui hoc morbo tenentur, etiamſi iam ſtercus vomant, ſi anethum in oleo & aqua decoquant, & bibant: deinde fruſta panis ex aqua feruēti ſtatim, dum incaleſcit, comedant, ſeruabuntur enim, etſi iam ſuffocentur. Ad eos autem, qui frequēter vomunt, cibumq; non continent, rhus & cuminum in eodem tritum in ſenis oximelitis cyathis bibendum dato. Aut vitis foliorum aut clauiculorum ſuccum cum polenta potui dabis.

De ſe-

De sedis affectionibus.
Cap. XVII.

GAllam flauam coque, eamq; in puluerem redigito, ac sedis inflammationes, anumq; procidentē illine. Si valentiore opus remedio fuerit, in vino: si mitiore, in aqua decoquito. Succus quoque echini ad sedem, atq; vterum procidentem facit. Aliud. Pini corticis drach. octo. cupressi globulorum siccorum drach. octo, plumbi drach. octo, vino austero deterge, & tritis vtitor. Ad ardentes verò sedis dolores, oui assati vitellum tritum, vino albo & rosaceo cerato exceptū illine, cataplasmaq; impone, quod ex pane puro contrito & aqua & rosaceo excepto, in quo vitellus oui assatus adiunctus sit, cōstet. Aliud. Rosarum siccarum drach. tres, ouorum assatorū vitellos numero. 11. ex vino albo leuigentur & rosaceo ac myrteo cerato excipiantur, itaq; vtitor. Cerata quoque non secus ad id faciunt. Ad rimas verò quæ in sede & pudendis sunt, rasuram linteolorum concremato, eiusq; cinerem & amylum pari mensura terito, cū succo foliorū oliuæ subigito, & vtitor.

De hæmorrhoidibus. Cap. XVIII.

HAemorrhoidas nimium apertas sistit aloë illita, aut dissoluta & imposita: & perfusio ex posca in qua ferri squama, plumbumq; vstum sit. Aperit autē ora venarum allium commanducatum, amaracinum, vel irinum vnguentum illitum. Sanguinem verò hęmorrhoidum confestim reprimit hoc quod sequitur. Acacię drach. quatuor, tragacanthæ drach. octo, atramenti sutorij drach. octo, rubricæ drach. 1. cerussæ drachma, cerato rosaceo excipiantur: & acidi punici cortex tritus, & ex aceto impositus ad idem valet. siq; hæmorrhoides interius delitescant, ad formam glandis imponito. Hoc etiam mirabiliter facit. San-

darachæ, auri pigmenti, aluminis sciſsilis ſingulorum drach. octo, ægrum aptè præparatũ obline. hæmorrhoides enim arefactæ, & à ſede ſua demolitæ, in ſemihora moriẽtur & decident. medicamentum verò lixiuio diluitur. ceratum verò in orbem applicatur, & ſub ſole, vel ad ignem conficitur.

De iecoris affectionibus. Cap. XIX.

SI inflammatio iecur exerceat, tũ dolor vrget, tum verò dolorem omnino febris cum humorum plenitudine conſequitur. ergo cum repletum corpus eſt, ſanguis euacuatur, & quod in ſanguine ſuperfluit venæ ſectione in cubito dextri brachij reuellitur: vt cibus autem, ptiſſana in principio danda eſt: vt medicamentum verò, oxymel dilutius, & apij decoctum. Pòſt verò quàm concocta iam fuerit inflammatio, aſaro & nardo celtico, & petroſelino & iunci odorati flore vti poteris: & item ijs, quæ aluum ſubducũt, vt vrtica, mercuriali, & epithymo: in declinationibus verò, etiã polypodio. Iam verò euacuatio quoque clyſteribus peragenda eſt: ac in ipſo principio, ex muſſa cum ſale, atq; nitro: cùm verò adeſt declinatio, hyſſopum, origanum, aut colocynthida potes adiungere. Ad hoc autem viſcus, quod facilè indureſcit, opus eſt abſtergentibus. Cùm verò dolor abſq; febri vrget, ſciẽdum eſt abſtructione vehementi à craſsis, glutinoſisq; ſuccis excitata viſcus obſideri. Scirrhum porrò incipientem poſsit quiſpiam longo temporis ſpatio ſanare: inueteratũ verò, nullo pacto. In aqua verò inter cutẽ ſi oboriat ſcirrhus, longiore ſpatio interibũt. Qui verò curari poſſunt, calefacientibus, atq; attenuantibus medicamentis, quibus mollientia mixta ſint, curant. Imbecillitatis verò iecoris in cauſa ſunt intẽperies, quæ quidem & difficillimæ ſunt, & ſatis varias & difficillimas ſympto-

ptomatũ formas inducunt:quæq; eiusmodi sunt, vt nõ facile tractari ab artificib. possint. Viticis semen, hepar scirrho laborans iuuat: obstructo verò iecori prosunt plantaginis siccæ radices, fructus, & folia, myacantha, & præcipuè semen, & radices: lauri radicis cortex triũ obolorũ põdere cum vino odorato epotus. Concoquit enim, & particulæ robur adiungit, lupinorũ amarorum decoctũ, cum ruta & pipere epotum: idem facit eorum farina illita, & capnium post hæc impositum. Spica nardi pota, & extrinsecus imposita. iris, pistacij fructus, prasium, amygdala, dracuntij radix expurgat viscera omnia, crassosq; & glutinosos succos attenuat agaricum, anthemis aut chamæmelum præcordijs propitiũ est. Omnibus verò præstant cichorea, & seris in calida iecoris intemperie, & summè prosunt, & firmitatem eidem addunt, ipsumq; abstergent. Dabis igitur cichorij, aut seridis succi cyathum vnũ cum aquæ cyathis tribus melli attici cum aqua cochleari addito. Horũ verò non solùm succus vtilis est & recens & exiccatus, sed etiam folia sicca studiosè contusa, deinde potioni insperſa: quæ si quis etiam cocta bibat, valde proderunt. Cùm verò intemperies calida non est, sed sola obstructio iecur obsidet, herbæ ex vino albo & tenui potę magnopere iuuant. Hepar lupi diligẽter teritur, daturq; drachma ex cyatho vini dulcis, id quod magnũ experimentũ dedit: omnibus enim intemperiebus conuenit, vt quod ex substantię proprietate, & non qualitate vlla agat. Cùm verò febris non obscura est, melius ex aqua præbetur: atq; etiã longè melius, si cũ aliquo ex succis antedictis, vt ex seridis succo det. Philonis quoq; medicamentũ mirificè facit: ac quãdoq; semel exhibitũ calidam iecoris intẽperiẽ curauit. Cõpositũ medicamentum

quod aperiendi vim habet. Amygdalarũ amararum denarij tres, cumini denarij octo, feminis apij denarius, dato cochlearium ex vino. Paſtillus, aniſi, feminis apij, aſari, amygdalarum amararum purgatarum, abſinthij, ſingulorum drachmas quatuor, aqua excipe, paſtillos fingito drachmæ vnius. non febricitantibus cum vino diluto, febricitantibus verò ex hydromelite dabis.

De iecoris imbecillitate. Cap. XX.

INtemperies ſunt imbecillitatis cauſæ. in hepate enim diuerſæ affectiones oriuntur: nam calidæ intemperies ſuccos qui in eo prius ſunt, aſſant: frigidæ verò, contentos in ipſo humores craſſos, & ad fluxum atque motum contumaces reddunt: quod verò in ipſum fertur pituitoſum, crudum, & ſemicoctum efficiunt. Sicca verò intẽperies, ſicciores craſsioresq; ſuccos reddit: humida verò, tenuiorum partium & dilutiores efficit. Cùm autem calida intẽperies eſt, colliquationes fiunt: ac primùm quidem ſuccorum, deinde verò & ipſius iecoris carnis: quæque per aluum excernuntur, fœtida admodum ſunt: bilis craſſa ſuo colore imbuta deijcitur. Cùm frigida intemperies eſt, neq; frequens, neq; copioſa deiectio eſt: affectioq; inueteraſcit, & quibuſdam diebus venter fluet, & cumulatius: eorumq; quæ excernuntur ſpecies ſanguini putri erit ſimilis, veluti ſanguinis craſſi fæx. At in ſicciore intemperie ſicciora excernuntur: & in humida, humidiora.

De ſcirrho iecoris. Cap. XXI.

IEcoris ſcirrhum incipientem ſæpe ſanauimus: qui verò in multos dies eſſet prorogatus, neque nos curauimus, neque alium quenquã, qui curare eum poſſet, vidimus: omnes enim quicunq; hoc tumore infeſtantur, in aquam inter cutem cadunt, ac longiore tem-

tẽporis ſpatio moriuntur. In curatione facultas mollientium intendenda eſt in medicamẽtis, quæ ad inflammationem valent: ea enim quæ inflammationi conueniunt, ex coma abſinthij & vtroq; nardo conſtant, itemq; ex croco, œnanthe, & vnguento ex ſpica nardi & maſtiche. His igitur ammoniacum, bdellium, medullas, & adipem admiſcere oportet: & incipientem ſcirrhum adhibita conuenienti victus ratione curare. In medicamentis verò quæ bibuntur, eò dirigendum conſilium eſt, vt aperiendi, & abſtergendi viſceris vim habeãt: quę omnia lapides etiam in renibus confringunt. Sed eis aliquid etiam, quod ciendæ vrinæ ſit, admiſcebimus.

De malo corporis habitu. Cap. XXII.

MAlum corporis habitum, principium hydropicarum affectionum vocare cõſueuimus: is curandus eſt venæ ſectione partita ita, vt ad tertium quartũq; vſque diem ſanguinem detrahamus. Sanguinis verò copia neque tres heminas excedat, neq; duabus minor eſto in ijs, quibus ſuppreſſæ hæmorrhoides affectionem pepererunt: qui verò ob aliam cauſam malum hunc habitum contraxerunt, ijs vena ſecanda omnino eſt, cùm vires primam ſectionem fieri debere valde adhortentur. cæterùm qui hoc morbo tenentur, hiera ex colocynthide purgandi ſunt. Diæta verò ſit attenuans & exiccans: & aquas ſponte natas, potiusq; aluminoſas & nitroſas, ac deinde ſulphureas oportet ſumere: alia verò genera lauationum rarò ſunt adhibenda. eos autem mirandum in modum largior abſinthij potus, cottabiſmiq; & dropaces iuuant.

De aqua inter cutem. Cap. XXIII.

AQua inter cutem fit vel propter nimiam iecoris

refrigerationem: vel ex frigoris multitudine quæ in tota mole corporis redũdet: vel ex quibuſdam alijs partibus vehementer refrigeratis, quæ iecur æquè ac ipſæ ſunt, poſſunt afficere: nam niſi refrigeratum iecur ſit, effici hydrops nõ poteſt. Simul verò iecur afficitur, cùm lienis, & ventriculus, & inteſtina, ac præſertim ieiunum, itemq; cùm pulmo, renes, & ſeptum tranſuerſum refrigerata fuerint. Oritur etiam ex immoderata hæmorrhoidum euacuatione, & fluxu muliebri, atq; etiã menſtruis purgationibus ſuppreſsis. Atq; eius tres ſpecies ſunt, quarum vna aſcites nominatur, in qua humor tenuis ea loca implet, quæ infra thoracem ſunt: altera tympanias eſt, quæ eadem loca flatu implet: tertia dicitur hypoſarca in qua totum corpus intumeſcit, & cadaueri ferè ſimile redditur. Hydropicorũ verò curatio non eſt cuique facilis, indigetq; artificis præſentia: & tamen quædam ad curationem accõmodata indicabo, quæ tu quoq; poſsis efficere. ſtercus bouis gregarij ſiccũ diligenter tere, in poſca coque, vt farinã hordeaceam, ſulphuris quartã partem inſperge, & ſuper totius ventris capacitatẽ impone. Aut caprinum ſtercus in pueri vrina, aut capræ ad luti ſpiſsitudinẽ ventri applicata ſummè eos purgat. Dabis etiam potui decoctũ radicis calaminthę, aut apij, aut corticis radicis ari ex vino: aut ficũ agreſtẽ vino auſtero triduum macerato & cyathum vnũ dato, & paulò pòſt vſque ad tres cyathos exhibeto: vel ſquamæ drach. 1. medulla panis excipe. catapotia fac, & da. Epithema vehementer aquam educens. Fœnigræci vncias quatuor, farinæ hordeaceæ vnc. tres, ſtercoris columbini vnc. quatuor, reſinæ frictæ lib. vnã, axungiæ veteris lib. duas: quæ liquari poſſunt, eliquentur, alijsq; prius tritis in aceto, affundantur, vtitor.

De lie-

De lienis affectionibus. Cap. XXIIII.

CVM lien inflammatione laborat, scirrhũ statim contrahit sanguine, qui in venis est, propter crassitudinem obstructo. opus ergo est medicamentis attenuantibus, nec manifestò calfacientibus: ijsq; parum adstringentium admiscere oportet, vt firmata particula propriam actionem seruet: hanc verò suapte natura vim habere videtur flos salis, qui in vesica appositus lienis scirrhos curat. post huius vsum valentioribus etiam remedijs vtendum est. Compescit enim absq; molestia lienem cortex radicis capparis: sed nihilo minus induratũ splenem iuuat extrinsecus impositus, & in potu sumptus: siquidem epotus, crassos glutinososq; humores, & quandoq; etiam cruentos eosq; nõ modo per vrinam, sed per aluum etiam vacuat. Idem facit minoris centaurij succus foris adhibitus, & epotus, & cyclaminus viridis & siccus illitus: violæ albæ radices cum aceto, acorum, ammoniacũ, caprinum stercus illitum, & foris cum ficubus applicitum: lupinorum amarorum decoctum cum ruta & pipere potui datũ, eorundem farina illita: aqua in qua ferrum candens sæpe extinctum sit, hanc febricitantibus per se dabis, nõ febricitantibus verò, cum vino. Illine etiam cinerem cochlearũ cum aceto, aut capparim aceto maceratam, tritamq; & cyprino cerato exceptam: aut fæcem ex acri aceto impone. cataplasma verò adhibe ex fœnigræci vncijs quatuor, farinæ hordeaceæ vnc. tribus, cardamomi vnc. 1. ficuum pinguium libra vna, verbenacæ vncia vna. ficus aceto acerrimo perfunde, & validè cõtundens in mortario cætera misce, & in vnum redactis vtitor.

De renum & veſicæ abectionibus.

Cap. XXV.

REnibus natura cõparatum eſt, vt ſeroſum excrementum tenuiſsimo ſanguini in venis commixto in ſe trahant. ergo vbi meatus per quos huiuſmodi excrementum attrahitur, plus, quàm par eſt, fuerint dilatati, veriſimile eſt cum tenui ſanguine craſsiorem quoque materiã tranſmitti: deinde ſi renes calidiore acrioreq; temperatura fuerint, neceſſe eſt craſsiorem illam materiam excalfactam, & exiccatam in arenæ, lapillorumq; ignitorum formam cõcreſcere. ergo lapidem frangentibus, & incidentib. citra perſpicuam caliditatem medicamentis vti oportet: maior enim caliditas cum magis exiccet, calculorũ aut arenæ concretionem adiuuat. Calculos frangentia. Huiuſmodi ſunt baſilicorum aſparagorum radices, rubiq; & vitrum combuſtum, graminis radix, adiantum, bdellium, lauri radicis cortex, althææ ſemen, cicer arietinum, & præſertim nigrum: ceraſi, rhu arboris, & pruni gummi, cyperi radix, paliuri fructus, triboli fructus, lapis ſpongiarum, acetum ſcillite, maluæ agreſtis radix, rutæ ſylueſtris radix. apij radicem in vino coque, humoremq; exprime, eiusq; cyathos binos dato, & aquæ tantundem. ac lapides quidem qui in renibus ſunt, in declinante ætate: qui verò in veſica gignuntur, in puerili fieri conſueuerunt. Medicamentum quod calculoſis inſpergitur. Balſami fructus, lapidis ſpongiarum, pulegij ſicci, maluæ agreſtis ſeminis ſicci pares portiones contunde, cribra, datoq; cochlear vnũ ex vini diluti cyathis duobus. lapides enim confringit.

De renum, & veſicæ inflammationibus.

Cap. XXVI.

REnum veſicęq; inflammatio pręcipuam curationem

nem postulat: nam cùm seroſum excrementum per eas partes purgetur, ideo fit, vt ſi id acre, & bilioſum in toto corpore ſit, nullo eorum, quæ vrinam cient, vti debeamus: nocebunt enim, vtpote mordaces ſuc cos partibus inflammatis inducentes. Si verò nihil tale ſubſit, neque malitia humorum in toto corpore inſit, mulſa dilutior potui dabitur: ea enim inflammationes ſoluit citra mordicationem, humores impactos euacuans: nam & incidit, & attenuat, & rarefacit. Cæterùm quod de mulſa exẽpli gratia dictum eſt, ad omnia, quæ attenuant, & incidunt citra mordicationem, transferri poteſt. Et quẽadmodum particulis omnibus inflammatis quies conuenit, ita has quoq; quieſcere eſt melius. Sed cùm quieſcere non poſsint, cùm ipſa vrinæ ſint inſtrumẽta, perexiguam admodum potionem dare oportet, vt quo longiore tempore fieri poſsit, cõquieſcant. Illud eſt præterea perpendendum, totum ne corpus acrium excremẽtorum ſit plenum: nam ſi ita ſit, quo plures ad renes & veſicam humores ferantur, eo magis conualeſcẽt: potusq; copioſior eſt offerendus, acrimoniaq; minus obtundenda: & præſertim nobis quæ mordicationes obtundunt, commiſcentibus. In tempore verò inflammationum, cataplaſmata, & medicamenta, & irrigationes ex oleo, & cætera omnia, quæ inflammationes ſoluũt, adhibere oportet. Ad renum & veſicæ affectionem inflammationis ſenſum referentẽ. Seminis lini drach. 1. amyli drach. 1. dato cochlear ex aqua modicè bibendum.

De abſceſſu renum, & veſicæ, & meatuum vrinæ exulceratione. Cap. XXVII.

DOlores circa ilia, per interualla horrores inæquales, febresq; inordinatæ accidunt ijs, quorum renes abſceſſus infeſtat: pus autem concoctum per vrinas

excretum,vlcus esse testatur,quod celeri auxilio indiget:nam si non citò ad cicatricem perducatur,difficilem curationem reddit.Vlcera verò quæ in renibus quæq; in vesica sunt,ex situ,actione,& proprietate eorum substantię,& facultatis discerni debent. Ex situ verò ad hunc modum. Cùm vesica patitur, in pube,imoq; ventre dolor sentitur:at renibus affectis,lumbos dolor posterius exercet: ex actione,difficultas vrinæ, eiusdemq; suppressio fit, cum vesica morbo causam affert.Sed renibus laborantibus,vrina sine impedimento redditur:ex corporis proprietate,carnes fibrosę ex renibus excernuntur,squamę verò membranosæ ex vesica vlcerata. ex ipsa deniq; facultate, quia in exulcerationibus vesica vehementi dolore cruciatur, renes verò obscurè dolent, & quasi pōderis sensum in lumbis habent.In meatibus quoq; vrinæ exulceratio quandoq; oritur, pusq; & sanguis mingit: sunt enim hi inter renes & vesicam collocati.Si verò exulceratum pudendum sit,pus & sanguis citra vrinam excernitur. Ad abscessus, qui renes & vesicam obsident. Seminis lini, seminis cucumeris,seminis papaueris albi,tragacanthæ,singulorum drach.* octo. amyli drach.quatuor. pastillos confice. Ad vlcera vesicæ cum inflammatione. Nuclei pinei numero viginti, cucumeris satiui seminis grana xl. amyli,nardi, singulorum drachma, seminis apij drach. v. nardum & apium in aquæ sextario coquantur, deinde ex decocto duo cyathi præscriptis admiscentur. Ad sanguinis profluuium ex vesica. Aluminis scisilis drachmā, tragacanthæ drach. octo,gummi obolos v. cum passo dabis.

Gal.habet duas.

De renum duritie ex Rufo.

Cap. XXVIII.

QVæcunque durities in renibus oriuntur, dolorem

rem nullum afferũt:ægris tamen ceu pondus quoddam ab ilijs videtur pendere, coxendices ſtupent, crura imbecilla ſunt,vrina modica emittitur: totus deniq; habitus ijs ſimillimus eſt, qui aqua inter cutem laborãt. Hos ergo mollire ceratis, malagmatis, frictionibus, & fomentis oportet:eisque offerenda ſunt quę vrinam cient, & item ſubduci aluus debet.

De renum imbecillitate.

Cap. XXIX.

EST autem hic etiam renum morbus, quo efficitur,vt continere vrinam non queant, ſed latioribus effectis aliquid etiam ſanguinis è vena laxati emittitur,& alia itidem craſsiora effluunt.His cibi adſtringentes,& vinum nigrum conueniunt:ab vrinam verò mouentibus abſtinẽdum:exhibenda in potu ſunt ea,quæ ad ſanguinis reiectationem valent,præcipuè verò ſanguinariæ ſuccus,tragacantha in vino macerata, ſimphiti radicis decoctum. Extrinſecus autem imponenda ſunt quæ ad fluxum, & ad ſputum ſanguinis accommodata ſunt.His confectis reficere ægrũ oportet aſinino lacte, ſitanio pane, & carnibus. Si verò ſanguis per circuitũ quendam excernatur, priusquàm ſanguis ipſe vacuetur, grauitas in lumbis & humeris ſentitur: ſanguine euacuato, leuitas ſequitur. ergo vena in cubito paulo ante circuitum ſecanda eſt, uictusq; ratio inſtituenda, quæ humorum redundantiam non gignat.

De ſcabioſa veſica. Cap. XXX.

CVM vnà cum vrina furfuracea ſubſidentia excernuntur,tum venas aut veſicam ſcabie tẽtari ſignum eſt.id verò & tenuitate,& craſsitudine vrinarum internoſcetur. nam vrinæ tenues, venas: non tenues, veſicam affectam eſſe oſtendent.

De vesicæ inflammatione.
Cap. XXXI.

VEsicæ inflammatio cùm difficillimè curatur, tum verò maximè mortifera affectio est: nam & febrim acutam ægroti habent, & vigilijs torquentur, & delirant, & biliosa pura euomunt, & excernere vrinam non possunt. In his, si nihil prohibet, vena sine mora secanda est: perfusionibusq; continenter calefacere eos oportet. porrò in oleo coquatur ruta, anethum, & althææ radix. aluus molli clysteri abluatur. Præstabit etiam oleo papauer indere: & anseris adipem eliquare, aut gallinæ adipem infundere. Atq; ego quidem semiobolum succi papaueris cum myrrhæ, & croci portiuncula dissoluens in oleum quandoque conieci, pessusq; confeci, vt mulieribus adhiberi solent, & statim dolor sedatus est, & somnus homini irrepsit. Fomentis etiam vti prodest: & in aqua calida insidere: esto autem ea aqua seminis lini, & fœnigræci decoctum. Cerata quoq; ex hyssopo, & castoreo confecta sunt imponenda.

De vase rupto in vesica.
Cap. XXXII.

VAs in vesica ruptum, acutum morbum parit. Sanguis partim foras emittitur, partim intus condensatur. ac ad sanguinis quidem fluuiũ talia adhibebis, qualia cæteris quoque sanguinis defluxionibus conueniunt: id quod & potui dando, & foris impouendo medicamenta idonea perficies. Sed cùm sanguis in vesica concretus est, in primis danda nobis opera est, vt eum medicamentis dissoluamus. Artemisia igitur in potu præbenda est, & elichrysum, & cyrenaicus liquor, & silphium, & conyza, & absinthij & radiculæ semen vino solutũ. Post hæc verò, nisi grumi dissoluantur, spatium quod inter anum & puden-

dum

dum interiacet, quod perinæum dicit, secare oportebit, quemadmodum in vesicæ calculo fieri consueuit, atq; ita grumos educere: in cæteris rebus nō secus, quàm in sangninis defluuio, progrediendū est.

De vesicæ tuberculis. Cap. XXXIII.

CVm in vesica tubercula oriuntur, optimū est curare vt matureſcant, vt cùm primùm incipiunt, dissoluantur: ne in suppurationem conuertantur. Si vero maturari non queant, ijs medicamentis, quæ ad renes cōscripsimus, addendum erit nasturtium, erui farina cum melle, stercore columbino, & caricis, & fomentis vtemur.

De vesicæ vlceribus. Cap. XXXIIII.

VLcerum vesicæ curatio nō differt ab ea, quam ad renum vlcera descripsimus: nam & hic quoque copiosus lactis potus conuenit. reliqua verò diæta frugi & bona esse debet. leniens itidem medicamētum supernè quod pectinem comprehendat, adhibebitur: itemq; ceratū, quod ex œsypo loto, butyro, styrace, & anserino adipe conficiatur. In meatum verò vrinæ infundemus aquā & lac, & rosaceum calidum: in intestina verò ptissanę cremorem, butyrum, cucumeris semen cum lacte tritum, singulis rosaceo perfusis, injciemus. Cùm injicere clysterem velis, in genua pronus homo reclinetur: ita enim vesicæ secedunt, & intestinum laxant, vt infusum commodè recipiant: frequenter etiam in aqua calida æger desideat, cæteraq; faciat, quæ de renum vlceribus præscripta sunt nobis.

De diabete ex Galeno. Cap. XXXV.

MIhi quidem ad renes etiam pertinere videt morbus, quē nonnulli hydropem matellæ, nonnulli profluuium vrinæ, nonnulli diabetem, nonnulli verò ab immensa siti dipsacon nominant: qui rarissimè con-

tingit. Qui hoc morbo tenentur, siti enecantur, & idcirco largè bibunt: idq; quod biberunt, tale reddunt, quale fuit ab eis epotum. Huius morbi causam renum imbecillitati quispiam posset attribuere.

Diabetæ curatio ex Rufo.

Cap. XXXVI.

SVmmum remedium huic morbo est, vomitum statim prouocare, potum verò frigidiorem exhibere: & reliqua diæta vti frigidiore, ita vt coctis oleribus vescatur, potionem ex melle & vino mixtam bibat, ptissanæq; cremorem sorbeat. vrinam prouocantia adhibenda non sunt. Præterea per sudores reuellere oportet: optimè quoq; faciet, si in dolio ita fiat euaporatio ad exudandum, vt caput foras excedat, reliquum verò corpus totum calefiat, & aërem ipse frigidum trahat: in cæteris, velut febris ardens, curandus morbus est. ergo farinæ florem aceto & rosaceo subactum cataplasmatis modo præcordijs impone: vitis etiam folia tenera cõtrita, & vmbilici veneris, & parietariæ, & portulacæ, & aliarum omnium consimilium: herbæ verò sanguinalis succũ & helenium assiduè præbibendum in vino nigro dabis: & palmularum cremorem, & item baccarum myrti, & pirorum. In principijs verò venam etiam in cubito secamus, & quandoque medicamentis torporem inducentibus vtimur.

De vlceribus, quæ in sede & pudendis sunt.

Cap. XXXVII.

PVdendorum, aniq; vlcera, que absque inflammatione oriuntur, valde exiccantia medicamenta postulant: quale est id, quod ex charta cõbusta conficitur: anethum vstum aridum, & cucurbita cremata. Siccis verò recentibusq; vlceribus etiam aloë arida in puluerem redacta & applicata prodest. Sed omnium

nium maximè dolorem lenit, & nihilo tamen minus efficax est pópholix. Si humida sint vlcera, pini cortex per se, & lapis hæmatites cóueniet: si verò etiam altè descendant, prædictis manna miscebitur. Cæterùm vteri vesicæq; exulcerationes ijsdem remedijs curantur, indigent autem instrumentis, per quæ intromittantur: quocirca ex medicamẽtis, quę insperfilia nominantur, aptiora sunt ea quæ sicciora sunt, vt crocus, & pompholyx & aloë rosaceo mista, tum plantaginis, aut alio etiam simili succo excepta.

Ad testium & pudendi affectiones.

Cap. XXXVIII.

AD scroti pudendi dolores butyri, resinæ, paribus portionibus vtitor: vel lini semen cum aqua decoquito, additaq; myrrhæ & resinæ decima parte, illinito. Ad pudendum verò intumescens facit hoc, vitis folia. x x x. thuris denarius, cerussæ denarij quinque, tere & illine. Vtere etiam marinæ frigidæ perfusione, & quiete, & colis deligatione. Si verò à sudoribus vlcera in scroto gignantur, gallam tritam, aut alumen insperge. Ad excrescentia verò, quæ thymia dicuntur, elaterium infunde: piri semen contritum impone, aut menularum quinque & viginti capita contere, & illine, & hircinum fel oblinito. Iam ad rimas quoq; pudendorum valet resina fricta cum rosaceo trita donec ad strigmẽti crassitudinẽ, mixto etiam oui assati vitello, redigatur: Hederæ quoq; foliorum siccorum cóbustorũ cinis cum rosaceo in pila plumbea tritus imponitur. Ad inflammationes verò pudendorum vuam passam exectis acinis, & cuminum trita imponito. aut hordei farinã aqua mulsa incoquito: aut vitis folia tenera trita cũ polenta imponito: aut cuminum tritum cum butyri & resinę pari portione eliquata adhibeto. Testiculos verò

vlcere aphthis simili correptos terra cimolia ex aqua oblinito, finitoq; siccescere, & aqua calida abluito, myrto arido trita, & modico smyrnio trito conspergito. Carnem verò in testibus increscentem cinis sarmentorum cum nitro & aqua subactus, atq; illitus curat.

De gonorrhœa, & satyriasi.
Cap. XXXIX.

GOnorrhœa est seminis excretio inuita, quæ continuò fit citra colis extensionē: in satyriasi verò pudendum palpitat, quemadmodum etiam alia corporis pars palpitatione corripitur, ac nisi pudendi palpitatio sedetur, vasa seminis in resolutionē, vel conuulsionem cadunt. Pudendum verò in satyriasi semper arrectum est, moriunturq; celerrimè, qui sic affecti sunt: cumq; vitam finiunt, aluus inflatur, & frigidi sudores erumpunt, quales occupare etiam alios solent, quibus conuulsiones vitam auferūt. Hic morbus rarò mulieribus accidit. Ergo vbi pudendū palpitat, vena secanda est, & victus ratio attenuans instituenda est, vinumq; circuncidendum, cibum assumere quotidie quidem, valenter nunquam, sed paulatim conuenit. Optima autem sunt beta & malua, & modicum mercurialis eis admixtæ, & ius cochlearum esculentum. non pessimè feceris, si clysterem quoque simplicem inieceris. quæ vrinam mouēt, cauenda sunt. Lumbis verò refrigerantia, vt solani succus, aut portulacæ, aut alterci, aut cicutę, adhibeantur. Est etiam necesse colem, & pubem aliquo refrigerante, quod dolorem leniat, inungere: vt argenti spuma, cimolia, & cerussa, quæ aceto, aut aqua aut vino dulci, aut sapa diluantur. Supinum verò requiescere noxium est. Conuenit etiā bibere medicamentum ex nymphęæ radice atq; iride confectum. Rutę

verò

verò ſuccus & ei, qui profluuio ſeminis vexetur, & ei, cuius penis arrectus ſit, proderit.

De pollutione quæ in ſomnis fit. Cap. XL.

POllutiones quæ in ſomnis contingunt, cohiberé oportet victus diminutione, & qui minus calefaciat, & laſsitudinibus cauendis. adiuuat etiam cubile frigidius, & corporis in dextram vel ſiniſtram partem reclinatio, & medicaméta omnia frigida lumbis ſub ſtrata, qualia ſunt corianum, *apium, cicuta, ceruſſa, & portulaca: eaq; omnia ex aceto.

De priapiſmo. Cap. XLI.

PRiapiſmus eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinem & orbem tumefacti, ſine venerearũ rerũ appetitu: eſt autem flatus ventoſus, qui membrũ tumefacit, ex humoribus glutinoſis & craſsis à magna caliditate generatus. Perſpicuũ autem eſt, non oportere membra calefacere, ſed leniter refrigerare cerato roſaceo cum aqua conquaſſato, & ex chamæmelino, pudendo & lumbis impoſito. Victus medicamẽtaq; adhibenda ſunt, quæ attenuandi vi citra manifeſtam calefactionem ſint prædita. Vtendum etiam eſt ijs, quæ ſuapte natura efficacia ſunt, & per experientiã inuenta: nymphæaq; in potu danda, & viticis ſemen & ruta viridis obſonijs miſcenda: ſed hæc in principio danda non eſt, abundè enim calfacit, ſed poſt aliorum extenuantiũ vſum adhiberi debet. Qui euacuatione vti velit, id vomitibus faciet: quę enim per inferiores partes euacuationes fiunt, ſæpenumero vicinas partes fluxione tentant.

De hæmorrhoidibus. Cap. XLII.

QVibus venæ, quæ in ano ſunt, nimio plus ſanguinem profuderunt, ijs habitũ in aquam inter cutem tranſire contingit, habitusq; fieri deteriores, & eiuſ-

modi,vt non nutriantur. Qui enim ita sunt affecti, curari difficulter possunt: periculú enim est, ne cohibito quandoque sanguine, cùm largum eius profluuium sit, propter defectionẽ & imbecillitatẽ aliquid patiantur: quocirca cùm multæ hęmorhoides sint, vna relinquenda est, per quam fiat expurgatio. Sed nonnullę sunt interius, quę nó apparent, eæq; difficilius curantur: nónullæ uerò cęcæ, quæ cruenti quidem nihil excernút, sed tamen plus doloris, quàm illæ, afferunt: harú verò ora ciclamini succus illitus aperit.

De vteri affectionibus. Cap. XLIII.

SVffocationibus quæ ex vtero fiunt, conuenit agarici drachma ex vino. plantaginis fructus, & succus cum vino, vngula, qualis cochleæ est, epota. acetum scillite absorptum. olfacta verò suffocatas excitant bitumen, castoreum, galbanum, pix liquida, cedria, accensum & extinctum ex lucerna linamentum naribus admotum, capilli combusti, ruta, silphium, cæpæ. Suffitus præterea fiunt ex gagate lapide, vngue purpurarum, bitumine, castoreo, galbano, silphio, cornu ceruino: ano verò ruta cum melle lana excepta imponitur.

De nimia purgatione. Cap. XLIIII.

IN primis extremæ partes vinciendę sunt: posca potui danda. & ex posca perfusiones fiant. micæ panis in posca sumantur, aut alica lota, aut oryza, aut ouũ tenerum frigidum. loco autem imponendum est medicamentum ad sanguinis profluuium accommodatum. Potui verò dandum balaustium cum posca, aut hypocisthidos, aut acaciæ succus, aut terræ samiæ aster. omnibus prętstat sesamum in posca madefactũ, donec tenerum reddatur, deinde edatur. rheũ quoque cum posca ad id valet. Sed & per sinum muliebrem inditum sanguinis fluxionẽ compescit. quod

facit

facit etiã hypocisthidis, itemq; acacię succus cum aceto & manna contritus. Mirificè quoque auxiliatur spongia noua in liquida pice intincta, deinde combusta, tum trita, & admota. Suber quoque vetustissimo fictili comburitur, donec candescat, deinde teritur, & tum loco inspergitur, tum verò in pesso injcitur. Vtilia quoque sunt ad sanguinem cohibendum ea quæ extrinsecus admouentur, ac præsertim quod ex taurocolla conficitur: taurocolla enim pulchra & dilucida in posca madefacit quoad dissoluatur, deinde in linteolum validum illinitur, tum pubi lumbisq; agglutinatur. Emplastra quoque agglutinantia ad hoc valent.

Mulierum non concipientium curatio. Cap. XLV.

MVlieribus non concipientib. instituenda victus ratio est, vt neque otiose, neq; laboriose vitam degant. lauacra adhibenda sunt neque assidua, neq; copiosa. cibi potusq; sufficient, qui facilius cõcoquantur. Hoc verò quod prȩcipuũ est, minimè despici debet, vt neq; viri, neq; fœminę corpus obesum redatur. Vir enim pinguis ad liberorũ procreationẽ aptus nõ est, quia pudendũ pudendo aptè conferri nõ potest: & pingues parũ seminis emittũt. Sed neq; admodum attenuandę sunt, quas cõcipere velimus: est enim perspicuũ si aqua, aut aliud quippiã excernat, eas nõ esse liberis creãdis idoneas. Aquę vitãdę sunt quæ per aquęductus important, & cęteræ quę durę, salsæ, & nitrosæ sunt, quęq; aluũ subducũt: nam quæ plus subducunt, propter imbecillitatẽ conceptionẽ impediũt. Porrò calefacientia omnia iuuant, quęq; leniter flatus pariunt: ergo vini potũ aquę potui prę ponimus. Ex oleribus, orminũ, erisymum, erucam,

& si quid aliud eiusmodi est, miscerí adhortamur: ruta verò & mentha maximè omniũ vitádæ sunt. Cùm autem purgatio propinqua est, ei quæ vsa sit cibis sanguinem gignentibus, & vberius sit educata, alimentum subtrahendum erit, & aliquid addendum quod minus sanguinis creet: & item quippiá sumendum, quod purgationẽ irritet: qualia sunt odorata, acriaq; olera: hæc enim vuluam excitant, præsertim verò scandix, crethmon, fœniculum, apium, smyrniumq;. Si verò propter succorum malitiam mulier non concipiat, ea erit euacuanda, aut bona victus ratione corrigenda. Sin ob vteri frigiditatem conceptus non fiat, laboribus, omnibusq; fomentis adhibitis calor erit reuocandus: nec ab re fuerit castoreum potui dare, itemq; semina odorata offerre, vt cuminum, anisum, pulegij comam, iuniperi fructũ, pipere singulis adiecto. Sed præstabit hoc vti medicamento: epithymũ, euphorbiũ, piper, dauci semen, petroselini semen, contere ad drachmas octo, potui hoc dato. ventrem probè subducit, vterumq; calefacit ita, vt multis iam menstruæ purgationes fluxerint, quæ antè non purgabantur. Si non satis sit per inferiora purgatio, vomitus ciendus erit: id enim quod pituitam quæ inferiores partes obsidet, euacuat, omnino prodest. id faciunt vteri fomenta: hæc vaporibus perficiuntur, vapores autem ex aqua calida adhibentur. Ergo mulier in sella collocata vapores rectè assumet. abluenda autẽ aqua est, in qua elelisphacus, artemisia, ruta, cyperus, pulegium, & acorum, seminaq; odorata sint incocta. Hæc etiá singulatim pubi applicantur. Polyarchi quoq; epithema proficit: quin & frictiones pubis & lumborum nihilo minus conducunt. vuluæ quoq; apponenda sunt calefacientia. Sunto autem quæ apponenda sunt, ex myrrha,

myrrha,ruta,galbano,& castoreo confecta:vulua ta men prius aqua mulsa,aut marina fouenda est.quan doque etiam ex aceto diluto medicaméta imponenda sunt:tenui autem linteo, aut molli lana sunt illinenda,vt ne adhibita corpus erodant, aut exulcerent.Arguit autem frigidiorem vuluam mensiũ suppressio, victus non probè institutus, & crassi succi, & stupor in pube,lumbis,& cruribus. quæ verò penitus refrigeratæ sunt, eæ ne venerem quidem cupiunt.ergo in frigidis sic progredi oportet.Calidiores verò vuluas cognosces tum ex toto reliquo corpore calidiore, tum verò ex menstruis purgationibus perexiguis,& laboriosis, & pudenda muliebria exulcerantibus:& ex multa caliditate siccitas consequitur.ergo humidiora alimẽta his adhibenda sunt, atque ex oleribus maximè conueniunt lactuca,malua,blitum,aut cucurbita,cucumis,pepon, atriplex, portulaca, & omnia ea quæ frigidiora sunt. Vesicæ verò & lumbis &pubi refrigerantia imponẽda sunt, & succi etiam sunt illinendi. Cùm verò menstruas purgationes rectè procedere appareat,tunc desinente purgatione opportunũ corporis cõmiscendi tempus est.Cùm verò succi humidiores conceptum impediunt,victus siccior conuenit,labores partium superiorum augere,frictionesq; adhibere,& vomitus copiosius ciere, exiccareq; alimenti mediocritate oportet,&victus omnis siccior instituendus est.Sed proderit etiam vuluam medicamentis adstringentibus confirmare,qualia sunt lentisci,myrti,rosarum, rhu,& punici, rubiq; florum tenerorum, & gallarũ decocta.Si verò à crassioribus succis concipere prohibeantur,humor erit considerãdus. Si erodens sit, mulieres purgare medicamento cuique humori accommodato oportebit: deinde sero lactis aluũ du-

cere, tum victum meliorem instituere: pituitosos autem aquosos; humores, laboribus, sudoribus, & vomitionibus absumere. Sufficiet autem castoreum bibere, & fomentis foueri. Quoniam verò flatus quoque, ne mulier concipiat, impedimento sunt, primùm cibi parcitas imperanda est: deinde cuminum & anisum, & apij semen, rutæq; & anethum, & permulta aromata offerēda sunt, quę tum potui danda, tum verò præparanda, & imponēda. Quæ verò propter vteri os clausum non concipiunt, earum vterus odoratorum ablutionibus, fomentis, & applicitis medicamentis aperiendus est: prius tamen molliores ablutiones adhibendæ sunt, in quibus malua, & lini semen, & fœnumgræcum sit incoctum, & oleum probum sit infusum. quandoque etiam mel injicitur. Post molliora verò, ad validiora progrediendū est, vt ad artemisiam, ad conyzam, ad calamintham, ad pulegium, & ad anthemida. Applicabuntur verò resina terebinthina, nitrum, ficus pingues, casia, & serum picis. Quibus verò vteri os nimium fatiscit, victus siccior, fomenta, medicamentaq; sicciora conueniunt, vt horum ope vteri os conniueat: talia sunt capitula punici mali, lentiscus, rubi radix, & myrtus. Postremò autem vteri auersiones fomentis dirigemus: id enim foměta præcipuè possunt: quod fiet etiam ijs, quę molliunt, inditis. Cæterùm præposteram Venus maximè facere ad conceptionem videtur.

Non spirantium curatio.

Cap. XLVI.

QVæcunque propter repletionem, & suppressionem sanguinis spiritu priuantur, eis venam statim incidere conuenit, siquidem ita celeriter respirant: suntq; parciore victu alendæ. Si verò in hoc malum propter perfrictionem & imbecillitatē caloris, qui in cor-

in corde est, cadant, euacuationes vitare oportet, ne euacuando magis etiam perfrigerentur. Præstat igitur, quacunque fieri ratione possit, calorem deinceps excitare, vt ipsæ refrigerij cupiditate externũ aërem trahant: ad quod cùm peruenerint, curatæ sunt, neque vlla præterea curatione indigent.

De suffocatione ex vtero, ex Phlumeno. Cap. XLVII.

IN prima accessione, vel si iam vteri suffocatione correpta mulier sit, summa deligare, & post vincula fricare valenter poplites, suras, cruraq; omnia conuenit: quęq; fœdioris odoris sunt, naribus admouere: & cucurbitulas inguinibus & imo ventri agglutinare, clysterem q; inijcere. In longis verò accessionibus etiam quæ flatus educunt, in anum & sinum muliebrem indenda sunt, quale est hoc quod constat ex ruta trita cum melle, addito modico cumini & nitri, quo partes vtrobique copiosè inunguntur. Cæterùm vnguenta odorata in vuluam indita, ipsam ad se trahere consueuerunt: ad hæc verò quispiam voce asperiuscula eadem inclamet, deinde admoueat quæ sternutamentum excitant. Cùm mulier ab accessione euaserit, ei vena secanda est, si nihil vetet: & melius est vt à poplite sanguis detrahatur. Interposito verò septem dierum spatio, hiera ex colocynthide dabitur, mox castorei potione vtemur: hoc enim sæpe mulierem ægram morbo liberauit: diluendum autem est mulsa, & artemisiæ decocto. Pessuli quoque mollientes, & insessus eidem affectioni aptè adhibebuntur.

De fluore muliebri. Cap. XLVIII.

FLuor, qui muliebris dicitur, est cùm totũ corpus per vterum expurgatur & euacuatur, citra vuluæ

ipsius affectũ. Id verò quod euacuatur, eiusmodi est, cuiusmodi est id, quod superat in corpore: nam quod rubrum est, sanies sanguinis est: quodq; albũ est, à pituita prouenit: pallidum verò à bili proficisci tur: quandoque verò aquæ speciem præse fert. Si verò sanguis purus fluat, vt in venæ sectione fit, diligenter animaduertendum est, ne qua erosio in vulua sit facta. Ergo cùm affectus sit humidus, oportet auxilia siccantia citra manifestum calorem adhibere: frictionibus totius corporis, & vnctione ex melle abundè cocto vti: dareq; medicamenta, quæ vrinam moueant, qualis est aqua, in qua asarum & apiũ sint incocta. Præterea totum corpus per ventrẽ euacuare expedit.

Simplicia muliebrem fluorem curantia. Cap. XLIX.

POrtulaca in pastu, & eius succus in potu acceptus: balaustij, rubiq; fructus, & flos: roboris pars quæ sub cortice habetur: trunci membranosa pars: quod glandis putamini subest: cauda equina maximè rubrum fluorem ex vino aut aqua pota curat. Itemq; hypocistis, lentisci fructus, fructus, & ex vino epotus. rubrum quoque fluorem famius aster, & lemnia sphragis compescit.

De vteri inflammatione. Cap. L.

IN primis irrigatione ex vino & rosaceo, deinde ex oleo puro vtendum est. hapsus verò lanæ succidæ, pubi & lumbis absq; deligatione adhibeatur: post triduum vena secanda est, sanguisq; à cubito detrahi debet. Cibus erit alica ex mulsa, & panis lotus, aut oua sorbilia. Facta inclinatione, cataplasmatis vtendum est. componetur autem cataplasma dolorem leniens, & somnum concilians, si quis capita papauerum in mulsa coquat, eaq; capita abijciat, & oleum immi-

immiſceat, & quæ ad cataplaſma adhibēda ſunt, adijciat. Si uerò inflammatio calidis irritabit, cùm affectum eryſipelatis naturam referentem habeat, ab ijs cataplaſmatis abſtinere conuenit, vti autē eo quod ex ouorum luteis vnà contritis, & addito roſaceo aut melino conſtat. Cùm verò declinatio appareat, refrigerantia cataplaſmata omittenda ſunt, & ad cerata tranſeundum. Deniq; per totū curationis tempus inſeſſibus vti expedit.

De vuluæ abſceſſibus. Cap. LI.

CVm inflammatio in ſuppurationem conuerſa eſt, ſuppuratio cataplaſmate ex fœnogræco, & lini ſemine, & præcipuè etiam ex hordeacea farina, cui ficus adijciatur, adiuuanda eſt: interdū verò ſtercus quoque columbinum adhibetur. Inſeſſus frequentiores vtiles ſunt. Peſſuli imponantur, in quibus calefacien di & irritandi vis inſit. Sciendum verò eſt, abſceſſum rumpi quandoq; per vuluæ ipſius os, quandoq; per veſicam: ac ſæpe etiam in rectum inteſtinū rumpit.

De vteri vlceribus. Cap. LII.

APtè quis curabit vuluæ vlcera tum inſeſſib. tum irrigationibus, tum verò etiam cataplaſmatis. Sed accommodatius hoc medicamentū eſt. Crocus optimus cum muliebri lacte læuigatur: deinde cera tyrrhenica ſoluta cum roſaceo, & adipe anſerino excipitur, tum linteolo inungitur. Sed quod ſequitur, & melius eſt, & ad dolorem ſedandum multò aptius. Capita papaueris in paſſo diluto biduum aut triduum madeſcunt, deinde coquuntur, donec abunde molleſcant: mox capere oportet florū roſarum, aut foliorum contuſorum & cribratorum drachmas quinque, & croci drach. tres, & ſimul omnia conterere, tum decoctum papauerum his admiſcere, ceræ tyrrhenicæ drach. octo. eliquatas, roſaceiq; parem

portionem affundere ijs quæ in pila fuerint, ac simul mollire: postremò verò medicamentum in vase stanneo seruare, & in ipso vsu rosaceo deliquare, & in pesso imponere.

De cancro vuluæ. Cap. LIII.

HIc morbus curationem non recipit, lenire tamen & dolores temperare conuenit insessibus ex fœnigræci maluæq; decocto. Egregiè autem leniunt, in ipsis accessionibus adhibita maluæ aut althææ folia in mulsa cocta, donec flaccescant, paucisq; micis, & rosaceo & caricis, melilotoq; & ruta adiectis: hæc enim quandoque indurata dissoluunt. His peractis, cerata lenientia applicanda sunt. Lac verò muliebre emulsum leuat, succusq; plantaginis calidus: itemq; pessi ex croco, *hyssopo, & lacte muliebri confecti ægrotas etiam leuant.

Ad vuluæ fissa. Cap. LIIII.

AD vuluæ fissa iridem cum melle, & terebinthinam simul emollias, & imponas. Insessus quoq; ex ptissana in crassum succum dissoluta, aut ex ficuum decocto conueniunt: callis enim sublatis, id quod è cadmia conficitur rosaceo deliquatum conueniet.

De phymo vteri. Cap. LV.

ORitur phymus in ore vuluæ vel propter exulcerationem præcedentem, vel propter inflãmationem, quæ scirrhũ contraxit. Curandus verò est insessibus emollientib. ex hydrelæo, & fœnigræci decocto, & cataplasmatum & pessuũ emollientiũ impositione. Si inueterarit, vtendum erit vaporibus & suffitib. ex aromatibus. Phymum deniq; soluit pessus ex * hyssopo, resina, & terebinthina confectus.

De vuluæ inflatione. Cap. LVI.

INflatur vulua tum spiritu in concauo eius spatio concepto, quo casu pubes etiam intumescit, tum verò

rō etiā cùm totus imus venter non minor est, quàm in hydrope tympanite conspicitur. Statim autē affectæ mulieri in initio auxiliari oportet: nam si inueterarit, curari nullo pacto potest. Ergo in principio, si nihil impediat, venæ sectio facienda est, aut tentanda per hierā ex colocynthide purgatio: mox catapla smata ex caricis, hyssopo, nitro, ruta, adhibēda: tum cucurbitulæ cum scarificatione affigendæ, & malagma Polyarchi imponendū, & vtendum insessibus ex rutæ, pulegij, artemisiæ, casiæ, & caricarum decocto. Pessus quoq; ex terebinthina, galbano, myrrha, iride, & hyssopo confecti conuenient.

De vtero procidente. Cap. LVII.

VTerum procidentem continere suo loco oportet, prius iniecto clysteri ad fæces deijciendas. Eodemq; modo, si in vesica excrementa sint, per catheterem fistulā erunt educenda: deinde ęgra in sella supina collocanda est, coxis accliuibus, poplitibusq; reflexis, & cruribus diuaricatis: deinde hapsus lanæ mollis capiendus est, qui figura & crassitudine sinui muliebri pro portione respondeat, tenuiq; linteolo circundandus est, & in succū hypocisthidos, aut acaciæ vino dilutæ immergendus, & vuluę imponēdus, & citra laborem id totū quod procidit, sursum agendum, quoad totus tumor in sinu factus subsederit. Pubes verò spongia ex posca expressa extrinsecus operienda est. Porrò mulier ita iacebit, vt crurib. extensis sit, alterumq; alteri incumbat. His cōfectis, cucurbitulas cum flāma copiosiore suprà ad vmbilicū & vtraq; ilia affigere oportet. Tertio die lana sinui iniecta insideat mulier in vino nigro austero modicè tepido: aut in rubi, aut myrti, aut malicorij decocto. Cùm hæc peracta fuerint, lana iniecta tollitur, alteraq; eodem medicamento imbuta imponitur.

Cataplasmata verò foris imponunt super imum ventrem, quæ ex palmulis, & polenta, vel lenticula, vel malicorio conficiuntur: tribus deinde diebus interpositis eadem fiant, donec ex eo quod particulæ cõstrictæ manent, firmũ argumentũ vitij sublati capiamus.

De articulorum doloribus, podagricis, ischiadicijsq; sanandis. Cap. LVIII.

HOrum curandorũ intentio cõmunis est cum ea, quæ inflammatis particulis adhibetur: discutiendũ enim est id, quod in loca confluxit: quod si tenue sit, breuiore temporis spatio fiet: sin crassum & tenax, longiore, & multò etiam longiore si glutinosus crassusq; sanguis sit. & licet longius proferatur, tamen quadragesimũ diem nõ excedet inflammationis curatio, si medicus omnia rectè faciat, & æger dicto audiens sit. Quandoq; autem humor, qui irruit, sanguineus est, quem plerunq; in doloribus articulorũ esse dixeris, estq; hic crassus ad similitudinẽ quodammodo crasitudinis vitri fusi: vbi verò in ipsis articulis diutius immoratus sit, nõ solùm crassior, sed glutinosior etiam redditur: atque ex his tofi oriuntur: & postquàm effecti fuerint, articulum ad pristinum statum redire planè posse ne speraueris. Principium verò curationis sumendum est à vacuatione humoris affligentis. Si corpus humoribus ex æquo redundarit, facta primùm omnium venæ sectione, purgatio deinde adhibeat, cui succedat vsus medicamentorum localium loco & tempore adhibendorũ, ita vt manibus & pedibus ea imponantur, quæ repellere defluxum possint. In coxendicũ verò morbis hæc vitemus: cùm enim ea in profundo sita sit, sanguis à vicinis vasculis & musculis ad ipsam attrahitur: ergo in coxendicum dolore mitigantib. medicamentis in principio opus est, quæ neque multùm refrigerent,

rent,neq; valenter calefaciant,qualia poſtea adhibe ri oportet. Cæterùm eos qui abdomini inſeruiunt, quiq; mala victus ratione vtuntur, ne curandos quidem ſuſcipere debemus. Qui verò nobis curantibus parent,maximopere iuuabis, ſi ineunte vere primùm euacuabis, deinde ad exercitationes, & ſalubrem diætam perduces. Cùm autem coxendicũ dolor à ſanguinis multitudine non raro fiat,eum celeriter curabimus venis poplitis,aut malleolotum inciſis. Si quis verò ante totius corporis vacuationem acria medicamenta ſuper particulas affectas imponat,is affectum ita reddit, vt ſanari nullo pacto poſſit,copia nimirum ibidem condenſata atque impacta. Iam verò vomitus quoq; coxendicum dolorib. magis,quàm infernæ euacuationes auxiliantur. In quibus verò humorum denſatio, vehemens, & quæ diſſolui ægrè poſsit,ab acribus medicamentis facta ſit,ijs affixa cucurbita ſummũ affert auxiliũ: itemq; clyſter expurgantib. confectus, qualis eſt is, qui ex colocynthide paratur. Ad articulos podagra laborantes, & affectiones ex defluxionibus obortas, & item ſcirrhos,ariſtolochia ex aqua epota iuuat. Farina fabarum cocta ſuillo adipe adiecto ad hæc valde facit: vt verò Adamantinus cenſuit, braſsicarum ſiccarum radicum & cauliũ combuſtorũ cinis cum ſuillo adipe optimè facit: ſi dolor adſit,nouo & inſulſo: ſi digerendum ſit,vetuſto & ſalſo. Vulpes totę incoctæ in oleo articulorum morbos ſanant: has nonnulli viuas in magnum vas, nonnulli verò mortuas conijciunt. Simili quoque modo hyænas coquunt, & oleum digerens conficiunt: deinde peluim eo implent,& totos in eo arthriticos immerſos voluerũt, atque vt ibidem diutius immorarentur, imperauerunt: ex hoc enim effectum eſt, vt non ſolùm tumo-

res,qui in articulis essent, sed vt totum etiam corpus euacuaretur. Cæterùm de tophis licet septimo libro dictum sit, tamen nonnulla etiam dicentur.

Curatio tophorum, qui in morbo articulorum sunt. Cap. LIX.

ALbarum violarum radices cum aceto, scirrhosas inflammationes in articulis curant. Caseo quoque acerrimo in tophis articulorum vsus sum: est autem dissoluendus carnis suillæ sale condîtæ decocto, & diligenter in mortario terendus, atq; ita tophis impositus magnopere prodest: nam cùm sponte sua cutis rumpat, quotidie & sectionem ipsam, & tophos absq; molestia humore qui excernitur, replet. Platani folia viridia trita inflammationes quæ in genibus sunt, iuuant. Præterea genu, quod ex frigore dolorem contraxit, euphorbiũ tritum oleo eliquato mixtum, & cera adiecta sæpe adhibui: id quod etiã in alijs particulis feci, & statim dolorem sedaui.

Ad scirrhos Philagrij medicamentum in quinto podagricorum. Cap. LX.

PEucedani radicis, asij lapidis floris, si huius copia non sit, salis ammoniaci, propolidis pinguis, singulorũ vnc. duas, ammonaci thymiamatis vnc. j. lanæ succidæ combustę vnc. j. aristolochię rotũdæ, pumicis, canini stercoris, æruginis rasæ, squamæ æris, misyos, singulorũ denar. xviij. castorei scrup. duodecim, myrrhæ vnc. tres, viscì quercini vnc. tres, ceræ vnc. xj. & semissem, pitynæ vnc. duodecim & semissem, picis brutiæ vnc. xviij. scrup. duodecim, olei veteris, & aceti acerrimi, vtriusque quantum satis sit.

Quomodo se quispiam à podagra tueatur. Cap. LXI.

SAl cum oleo tritus in frictione adhibitus, omnes, qui se

qui se à podagra vendicare voluerunt, nisi admodū ficca intemperie prædīti essent, mirum in modum iuuit. Hoc autem remedio per totum vitę spatiū manè & vesperi, & vbi inflāmationes declinauerint, vtendum est. Aliud ad podagricos. Quæ tertio libro cap. L. descripta sunt, cape, oleo vetustissimo coque ad emplastri crassitudinē, & nitrū tritissimū inspergē, tum excipe, & linteum illinendo vtere.

Ad ischiadicos. Cap. LXII.

FArinam lupinorum amarorū cum acetō, aut oxymelite, aut posca, ischiadicis applicant: aut calamintham coquunt, & cataplasma conficiunt, ischiadicisq; vt efficax remedium admouent. Capparis radicis cortex coxendicū dolores tum epotus, tum extrinsecus cataplasmatis accommodatis mixtus iuuat. Costo præterea & oleo resolutos & ischiadicos vtiliter perfricamus. garum & muria expiscibus sale conditis ischiadicis infunditur. eosdem etiā thlaspis semen sanguineum humorem vacuās per anum impositum iuuat. cum centaurij verò minoris decocto nonnulli infundunt, ac bilioſum humorem vacuat: sed si sanguineū educat, magis proficiet. Sunt etiam quædam in potione experta, vt omnino à morbo liberare existimentur. Sed simplicissimum est id, quod Diatessaron nominat. Chamędryos lib. j. gentianę vnc. ix. aristolochię rotundę vnc. ix. seminis rutæ sicci sextarius: contundenda sunt, & per cribrum traijcienda, dandumq; ex eis quotidie cochlear vnū magnum ieiunis, & peracta concoctione ex aquæ frigidæ cyathis duobus per annuū tempus. Quod verò ex septem rebus conficitur, est huiusmodi. Hyperici vnc. i. centaurij vnc. iij. chamępityos vnc. iij. gentianæ vnc. v. aristolochiæ rotundæ vnc. j. agarici vnc. iij. petroselini vnc. j. mellis Attici lib. v. Datur

autem drachma ex aquę cyathis tribus: atq; ita dein ceps eo est vtendum.

NONI ET VLTIMI LIBRI FINIS.

Interim dum editionē Oribasij librorum, qui ex epitome collectorum ad Iulianum supersunt, paramus, hoc opusculum in lucem protulimus. quamuis enim videremus multa menda subesse, quæ neq; auxilio eorum codicum, quos habuimus, neque Galeno, quem Oribasius autorem habet, neq; Paulo & Aetio, qui studiose Oribasiū sunt sequuti, adiuuantibus restitui potuerunt, tamen maluimus hoc, qualecunque est, in manus hominum peruenire, vt fructum, quem poterunt, ex eo ferant, quàm vt re tandiu desiderata ob hanc causam diutius priuarentur. Nos verò, si melior vnquā codex in manus nostras incidet, curabimus diligenter, vt quod nobis concessum nunc non fuit, tunc planè conficiamus. Hæc te scire interpres uolebat.

ORIBASIVS DE LAQVEIS EX HERACLE.

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

VIDIVS LECTORI.

LAudatur liber de Laqueis à Gal. in libro de Fascijs, quamuis alibi quoque mentionem facit laqueorum, qui hoc opere continentur, refertur tamen hic liber in Græco exemplo ad Oribasium autorem. Quicquid est, opus vtilissimum est, sine quo multa sunt, quæ in medicinali arte nec comprehendi, nec præstari possunt. Pertinent enim laquei non modò ad fasciandum, sed etiam extendendum ossa fracta, vel suo loco mota, seu æqualiter, seu inæqualiter adhibere vim oporteat: tum ad curanda atq; alliganda membra, dum manus adhibetur.

Quæ ratio sit laquei attollentis.

AD ATTOLLENTEM habena adhibeē duplicata, cuius vtrunq; caput sinistra manu continetur, sinus verò dextra prehenditur, & capitibus superinijcitur, sic, vt capita sita sint in medio sinu: quo fit, vt ex vna parte, laquei nexus feratur, capita ex altera. Habet autē hic laqueus facultatem extendendi æqualiter, pertinetq; non modò ad extendendum membra, sed etiam ad continendū, cùm in suā sedem compelluntur, & ad figurandum corpora, vbi quid manu fieri oportet. Rectè quidē eas partes intendit, quæ binis ossib. continentur: quandocunq; enim alterum vitiosum sit, sinus super ipsum, capita



super integrum imponũtur. Nam sinus corpori inhę rentes affectam partem vehementer distendunt, at capita cùm recedant à corpore, eam partem quæ bene valet, vel nihil omnino intendunt, vel certè quàm minimum. Membris quoq;, cùm reponuntur, aptissimus est, sicuti cubito, cùm in aliquam trium partium excidit, in quas vbi prolapsus est, brachium curuum est, neq; extenditur, id est, in posteriorem, interiorem, atq; exteriorem: in quo casu laqueus ossib. brachij iuxta primam palmæ partem inijcitur, capitaq; eius sublimiora feruntur, & vt retinacula sint, ad aliquid immobile deliganť. Ad figuranda insuper corpora, vbi manu medemur, adhibetur cõmodissimè: in ijs enim quæ iuxta anum vitia infestant, vbi tractantur, brachia poplitibus subijciuntur, & huiusmodi habenæ attollentes ad brachia dantur in vicinia manus, eorumque capita ad ceruices hominis adducta, inter se vinciuntur: quoniam attollens laqueus non solum inijcitur implicitus, sed super membrum quoq; circumponiť. Suspensa enim fascia sinus membro subijciť, capitaq; eius per mediũ sinũ traijciunť, eaq; ratione circumpositus conficitur.

Quo

Quo modo laqueus Nauticus debeat adhiberi. II.

EX medio sinu duplicatę habenę duos itē sinus facere oportet, eosq; inter se permutatos ita collocare, ut interior extrinsecus, exterior ab interiori parte situs sit: hac enim via nexus laquei ab vna parte, ab altera capita procedunt. Est autē idoneus ijs, quæ



extendi inęqualiter debent: valet item tum ad continendas ferulas, quæ fracturis accommodantur. Iunctura nanq; adhibita vnum habenę caput sinistra manu teneatur, alterū verò per affectam partem voluatur, sic, vt vnus & alter sinus fiat, per quos reliquū habenæ caput traijciatur, vt ab ea parte quæ in nos spectat, versus contrariam porrectū sinistra rursus contineatur, quo iniecto ferulæ in sinus demissæ ad vitiosum membrum dentur, capitaq; attrahant̄, & inter se alligentur vt ferulas teneant. Valet item ad cubitum sustinendum, non secus atq; ad intentionem, aut ad ferulas continendas, imponitur enim implicaturq; ad cubitū suspendendum, vbi lata fascia non est. In quo casu sinus ita inter se diducendi sunt, vt

alrer prope cubitum sit, iuxta manũ alter, capita verò ad ceruicem adducenda sunt, ibiq; nodo inter se deliganda.

Laqueus χιαστὸς quo modo implicetur. III.

AD χιαστὸν habena duplicanda est, cuius vtrunq; caput siniſtra manu continendũ: sinus verò dextra prehensus conuertendus est, sic, vt capita ad similitudinem literæ X aduersa inter se sint, inde enim nomen



habuit χιαστός. Quo facto sinus capitibus X literam referentibus superinijciendus, quodq; ex his subiectũ est, per medium sinum attrahendum. Eoq; fit, vt medius laquei nexus appareat: à lateribus verò hinc sinus vnus, inde duo capita se ostendant. Valet autẽ, vbi oportet inæqualiter distendere.

Pastoralis laqueus qui Sandalius dicitur, quo modo inijciatur. IIII.

PAstoralis, dictus à quibusdam Sandalius, cum eo implicatur, quem χιαστὸν nominauimus, hic siquidem primò est adhibendus, vt Sandalius fiat: quo iniecto sinus eius dependens attrahi debet ab inferiori parte sursum, per medium eius sinus qui contra capita

situs

ſitus eſt : ſic enim ab vna parte laquei nexus, ab altera capita collocantur: in nexu verò terni ſinus, duo ſcilicet à lateribus, tertius in medio conſpiciuntur.

4



Adhibetur autẽ cõmodiſsimè ad talum prolapſum, vbi reponitur. Vnus enim ſinus à poſteriori parte tali ſuper latum neruum datur: à priori alter ad partẽ pedis ſuperiorẽ : medius, hoc eſt tertius, plantę ſub ijcitur. Quo facto capita ad id vinciuntur, quo extendendi cauſa vtimur: neq; talo duntaxat cõuenit, ſed maxillæ, quæ excidit, vbi in ſuam ſedem compellitur. Vnus enim ſinus ad frontem hominis, alter ad occipitium datur, medius per os procedit vtrinque ſub malis: capita verò per tempora ad ægri caput feruntur, ac ſiue, vt retinacula ſunt, ſiue, vt à ſuperiori parte extendant, ibi inter ſe vinciuntur.

Draco laqueus, qua via inijciatur. V.

AD laqueum draconem media habena à poſteriori

parte tali, incipiat, iuxta latum neruum : capita verò versus priorem ferantur ad superiorem partem pedis, vbi X literæ similitudine accepta, ad plantam porrigantur, & rursus inter se aduersa eandem literam repræsentent: post hæc circa talum, vel ab inferiori parte sursum, vel à superiori deorsum circũdentur, tum deligentur ad id, cuius opera ad extendendum vtimur. Facit autẽ hic laqueus ad talum suo loco motum, vbi reconditur.

5



Qua ratione is laqueus adhibeatur, quem Simplicem nodum dixerunt. VI.

LAqueus cui nomen est simplex nodus, à quibusdam Perineos appellat. Quomodocunq; autem vocetur, eius ratio est. Habena simplicem nodum accipiat, eiusdemque sinus attrahat, capita verò dependeãt: deinde membrum, quod reponere opus est, inter superiores sinus collocandũ, tum alter sinus in alterum insitus, ad capita ducendus, communiq; nodo cum capitibus ad id vincendus, quod intendendum adhibemus. Habet autem inæqualem extendendi facultatem.

6



Lupus

Lupus laqueus quo modo nectatur. VII.

DVæ habenę iustę longitudinis duplicentur sic, vt capita ab eadem parte collocentur, sinus inter se aduersi sint, tum capita quæ ab inferiori parte, sursum, quæ à superiori, deorsum vellantur, sic, vt medius laquei nexus, vtrinq; verò bina capita se ostendãt. Habet autem vim extendendi æqualiter, pertinetq; nõ



modò ad osium, quę restituuntur, intentionem, sed in herniæ curatione ad membranam abdominis adstringendam, item ad vincienda venarum capita sanguinem fundentia. Nos autem in sinus conijcere lina simplicia consueuimus, quæ communi medicorũ vocabulo, quòd relaxent, σχασμία dicuntur: neque hæc ipsa temerè adijciuntur, sed vt, vbi quæ arctata sunt, remittere volumus, per lina id præstemus, & non per capita.

Nodi Herculei ratio. VIII.

Ad nodum Herculeum, habenam adhibere oportet, quæ duos nodos accipiat inter se distantes, quo fit, vt Herculeus nodus vtrinq; se ostendat, hinc autem sinus, inde verò sint capita duo. Valet vbi æqualiter intendere consilium est. Quòd si sinus, qui contra capita est, medius incidatur, à Lupo laqueo non differet.

8



8



Simplex charchesius qua via implicetur. IX.

AD simplicem charchesiũ, qui vim habet extendendi ęqualiter, duplicari habena debet, capitaq; eius siniſtra manu contineri, sinus verò dextra ſurſum cõuerſus ſuperimponi capitibus, quæ media opus

9



pus eſtaduerſa inter ſe collocare in ſpeciẽ Xliterę. Eo facto ſinus capitib. iniectus, à ſuperiori parte deorſum attrahat, per mediũ eius partis, qua Xliterę fuit accepta ſimilitudo: ſic em̃ laquei nexus medius appa ret, ab vno latere ſinus vnus, ab altero duo capita.

Duplex charcheſius quo modo implicetur. X.

DVplex charcheſius æqualiter diſtendit, ac ſimplici longè eſt efficacior. Eius autem ratio eſt, habenã prehendimus duplicatam, capitaq; leua continentes, ſinum patimur dependere: tum ex capitib. quæ contra ſinum ſunt, alterũ duplicamus, ſic vt paruus



ſinus fiat, quem in ſiniſtra manu ponimus, alterum per ſinum traijcimus, deinde nexum per ſinus conuertimus, & in ſiniſtra collocamus. Quo facto, ex capite quod contra ſinum eſt, rurſus alterum ſinũ efficimus, quem nexui adiungimus: poſtremò penden tem ſinum per medium nexum trahimus, ab inferio

ri parte ſurſum: quo fit, vt ab vno latere ſint duo capita, ab altero vnus ſinus, quibus laquei nexus medius interijciatur.

Duplex charcheſius quo modo ex ſimplici fiat. XXI.

CVm duplex charcheſius variè conſueuerit implicari, ſiquidem per ſe interdum, interdum fit ex ſimplici, nonnunquàm conficitur circumponendo. Suprà demonſtratum eſt, quo modo per ſe inijciatur, nunc qua ratione ex ſimplici fiat, exponemus. Adhibere igitur primò ſimplicem charcheſium oportet,



ſinusq; alterum ab altero diducere, deinde eum qui ſubiectus eſt, in ſuperiorē cōijcere, & ſimiliter vtrunque diducere, ac per ſpatium, quod ipſis medium interijcitur, ſinum qui contra capita eſt, ab inferiori parte ſurſum attrahere: ſic enim rurſus laquei nexus medium ſeſe oſtendit, hinc vnus ſinus, inde bina capita conſpiciuntur.

Duplex

Duplex charchesius quo modo implicetur circumponendo. XII.

QVoniam vehementi validorum corporum intentione, laquei capita ex vna parte sæpius rumpuntur, ante perfectam intentionem, ne cogamur intendentis adhuc laquei capita relaxare, charchesium circũponimus. Tenentes igitur siniſtra manu caput, circa membrũ reſtituendũ tres ſinus efficimus inter ſe di-



ſtantes, ita, vt ex his quod ſatis eſt dependente, poſt hæc primum ſinũ in poſtremũ demittimus, & ſemel aut iterũ eos conuertimus, per quos mediũ ſinũ rurſus attrahimus. Quo fit, vt circa membrũ laquei nexus, ab vno latere vnus ſinus, ab altero duo capita ſe oſtendant.

Plinthij, quod alioquin quadruplex circulus dicitur, quæ ratio ſit. XIII.

AD plinthium laqueum adhibeẽ habena circulum repreſentans, id eſt, ſine capitibus: hæc ab interiori parte manus, pollicibus minimisq; digitis circundatur, nec non vtrique indici, vt ſinus in vtraque manu

terui

terni sint, vnus circa minimum digitum, circa indicẽ alter, tertius super pollicem. Post hæc, sinus in quos insiti pollices sunt, ad proximos minimis trãsferunt: tum ad indices, qui minimis iniecti fuerunt, deinde sinus, in quos indices demissi postremò erãt, medij à pollice à superiori parte deorsum vellunt, sicq; ab

13



vno latere duo sinus, totidem ab altero, medium inter hos laquei nexus ad rhombi similitudinem conspectui subijciuntur. Habet autẽ æqualem intendendi facultatem, & non solùm ad intentionem, sed videtur ad menti quoq; fracti compositionem pertinere. Nam mentum ipsum sub fractura aliquando peruersum, in laquei complexum, rhombum referentẽ inseritur ab exteriori parte, sinus verò per malas, partesq; superiores, ad summũ caput feruntur, atq; ibi inter se deligantur.

Laqueus Epangylotus (ita enim appellatur, quoniã sinus super sinum inijcitur) qua via inseri possit. XIIII.

Ad

AD Epangylotum, vnum habenæ caput inter sinistræ manus pollicem & indicem collocamus, eamq; extrinsecus vltra primá palmæ partem adducimus, inde per palmam ipsam, datam inter pollicem & indicem vtriusq; manus attrahimus, post hæc inter minimum & proximum digitum demittimus. Eo facto



habenæ caput dextra manu sursum vellimus, extremamque partem inter minimum ac proximum digitum tenemus: quo fit vt duo sinus efficiantur, inter quos attractus nodus apparet. Facit autem ad corpora figuranda, vbi manu curatio adhibetur. Inter sinus enim vtraque manu hominis coniecta, reliquis habenæ partibus totum corpus firmiter continetur.

Ratio eius laquei, quem auriculas nuncupant. XV.

AD auriculas, epangylotus primò inijciendus: danda autem opera est, vt alter sinus amplior sit, quē implicare oportet ad modum laquei chiasti, sic, vt duo sinus oculis exponantur, inter quos, quod exhabena dependet, duplicatum se ostendat. Rectè autem adhibetur vbi prolapsa maxilla reponitur, tum ad



processus capitis recondendos. Simus enim dantur ad tempora ægrotantis, quodq; inter eos duplicatū conspicitur, ad frontem, deinde vinculum illud inijcitur quod Leporē auritum appellant, postremò auriculæ, vel vt contineant, vel vt à superiori parte extendant, super caput offensi porriguntur.

Laqueus duos habens sinus (quem nonnulli minus propriè strangulantem dixerunt) quo modo inijciatur. XVI.

LAqueus, quem duos sinus habentem appellant, ex binis constat chiastis, quorum alter ab altero deducitur. Est autē aptissimus ad corpora figuranda, vbi vitia iuxta anum curantur: siquidē brachia subiecta poplitibus, eiusmodi laqueis adstringuntur: at

pars,

16



16



pars, quæ media inter ſinus duplicata dependet, ad ceruicem hominis fertur, atque hac via corpus figuratur.

Ratio laquei, quem ſtrangulantem propriè nuncupant. XVII.

LAqueus, qui propriè ſtrangulans nuncupatur, ex

simplici fit charchesio : hic enim primò inijcitur sic, vt alter sinus ab altero distet. Confert autē ad quos proximè expositus: brachia nanque rursus coniecta in sinus coarctantur, & ea pars habenæ, quæ duplicata est, media similiter collocatur, in eamq; ceruices inseruntur.

17



m. Quo modo adhibeat laqueus ὑπέρβατος, id enim nomen traxit, ex eo quòd suprà feratur. XVIII.



Hyperbatus fit ex laqueo Nautico, siquidem in

hunc primò implicitum brachia inseri debent, sinúsque inter se diduci, & capita ad ceruices deligari.

Laquei igitur, quorum expeditissima comprehensio est, huiusmodi sunt.

Oribasii de Laqueis finis.

ORIBASIVS EX HELIODORO DE MACHINAMENTIS.

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

VIDIVS LECTORI.

MAchinamentis non solùm vtuntur architecti, sed medici etiam, cùm his robustiora membra vtiliter, & quantũ fieri potest, sine dolore extendant, vbi luxatis vel fractis medentur. Hæc ab Oribasio collecta sunt ex Hippocrate, Galeno, atq; aliis autoribus, vt patet, vbi singulorum vsus & structura exponitur. Sed præter vtilitatem, quam in curatione exhibent, multos aperiunt in medicina locos, qui sine his omnino sunt incomprehensibiles. Quanquam in hoc libro machinamenta aliqua desunt, quæ autor inter initia commemorauit, vbi vniuersam machinamentorum rationem recensét: sed optimè nobiscum agitur, quando non omnia interierunt.

Quibus modis luxata restituantur. I.



VXATA in suã sedem tribus generalib. modis collocanť, quib. alij ferè omes continentur. Vnus vocať palestricus, ad quẽ ferè solas manus admouemus, atq; hic vtpote imbecillis, aptať ad mollia corpora, mu-

liebria nimirum & puerilia: tum ad masculà, quæ illis robustiora sunt, modò recens vitium fuerit. alter methodicus dicitur, ad quem instrumenta adhibemus, quorum vsus in communi vita est: hic omnibus idoneus est, pueris, fœminis, masculis iam robustioribus, & corpori iuuenili, atque ijs luxatis quæ iam vetusta sunt. Tertius reponẽdi modus qui per organa est, maius momentum habet: valet enim ad prolapsa, vbi malũ diutius trahit: valet ad corpora athletarum: præterea quæcunq; prolapsa curationem recipiunt, & sub methodico modo curari nequeunt, omnia organorum opera reponuntur.

De organorum differentijs. II.

ORganorum medicinalium differentiæ in vniuersum, & quasi generales, summũ, vt alij sentiũt, ternæ habentur: alia enim tractoria sunt, alia machinamenta, alia quæ erecta collocantur. nobis autem placet nõnulla tractoria esse, nonnulla machinamenta, nõnulla quę erecta, nõnullaquę plana collocantur. Tractoria sunt, quę cùm parua breuiq; sint structura, extendẽdi duntaxat facultatẽ habẽt. Hęc vt suo munere fungantur, aduentitia quædã postulant, vt scamnũ, lectũ, scalam, eò ꝙ per se vsui esse minimè possint, quocirca & alligata, & in plano sita nuncupantur. Nam vbi in agro, aut solitudine quapiam, quæ suo loco mota sunt, reponimus, ac neq; scamni, neq; lecti, neq; scalæ copia est, aliquid in solum defigimus, ad quod tractorium organum alligemus. Machinamenta sunt organa tractorijs ampliora, minora tamen alijs, quæ non modò intentionem, sed impulsum quoq; pollicentur, ac præcipuè quorundam membrorum gratia comparantur. Erecta organa sublimiorem structuram habent, & non solum ad extendendum valent, sed etiam ad impellendum. Porrò autem plana orga

na

na sunt, quorũ humilis structura est. Ex ijs constant, quæ & extendendi & impellendi vim habent, ita, vt homine illis insidẽte, recondi quod elapsum est, possit. Reperiuntur etiam in his quædam propria structuræ discrimina.

BEx qua materia struantur organa. III.

Asis, crura, latera, trãsuersaria, cubiti, testudines, adiuncta crura, hæc omnia, quæ in organis ampliora expediunt, ex robustiori materia conficienda sunt, vtputa ilignea, vel fraxinea, quæ secundas obtinet. Oportet autem ea de causa, validissimã esse organorum materiã, vt vim queant in condendis articulis sustinere, quod in ijs potissimũ organis requiritur, quæ erecta collocantur. Vertebræ, radices, claui, vnci, catenulæ, vectes, omnia quæcunq; exigua sunt, quæq; plus efficiunt, ærea vel ferrea comparentur, vt quod structuræ exiguitas detrahit, materiæ firmitas restituat. Aliquando autem quæsitum est, ferreã ne, an ænea sumi debeant. Inquiunt, qui ferro æs præferunt, hoc leuius esse & facilius tractari, minusq; rubiginem trahere quàm ferrũ: contrà qui æri ferrũ anteponunt, validiorẽ huius materiã laudant, ære enim efficacius robustiusq; ferrũ est. Atqui de ferro conuenit, firmius esse: sed superuacuũ est eximiũ robur, vbi eius nullus est vsus, cùm liceat hæc ex ære fabricare, quod mollius est, & satis roboris habet: licet tamen & ex ferro. Quòd si ex ære fiant, sumaſ id, quod ducitur: nam quod conflaſ, facilius rumpitur, cõminuitq;: ita vt præstet ex ferro hęc parare, quàm ex fuso ære. Sed quoniã ferrũ citò rubigine obducitſ, idcirco aliquot interpositis dieb. subinde pingui aliquo inungendũ, ac ne rubiginẽ sentiat, manu perfricandum. At dicet quis, si ferrũ neglectum rubigine corrumpatur, id culpa domini ipsius organi fieri.

Ex quibus partibus organa conſtent, & quis ſit earum vſus. IIII.

COntinet̃ om̃e organũ nõ omnibus, ſed quibuſdã ex ijs quę numerabo, nempe baſi, cruribus, tranſuerſarijs, cubitis, axibus, regulis, teſtudinibus, cochleis, tympanis, clauis, manubriolis ductarijs, vectib. baculis verſantibus, obicibus, cuneis, item lunatis lignis, orbiculis, trochleis, foſsis, operculis, vertebris, fibulis, radicibus, vncis, catenis, forficibus, ſedilibus, priapiſcis: ad hæc cochlea fœmina, quæ græcè περικόχλιον appellatur, cuneolis, chiniſcis, columbarijs, ergata. Hæc ferè ſunt, quibus organa componuntur, quorum vſus ſigillatim iam nunc exponendus nobis eſt. Baſis ad id potiſsimum ſtruitur, vt ſuper eam erecta organa ſtatuantur. Crura in organis & latera dicuntur, in ijs quæ erecta collocantur, propriè crura, minus propriè latera: ſed in tractorijs propriè latera dicuntur, minus propriè crura. Hæc ferè in organis ſtatuuntur, vt ipſorum machinationes contineant: propriè autem in organis erectis crura rectè commodeq́; dimenſa, ad illam pertinent condendi rationem, quæ excitando præſtatur. Tranſuerſaria quæ διαπήγματα dicuntur, vt Gręcũ nomen indicat, ad crurum laterumq́; compaginẽ fiunt, ad quẽ vſum primò præcipueq́; deſtinantur: huc accedit, quòd machinationes quoq; ſuſtinẽt, vtputa trochleas, cubitos, atq; alia quædam. Cubiti ad eum vſum in organis comparantur, vt per ipſos, quæ ſuo loco mota ſunt, à ſuperiori parte extenta reponantur, quemadmodum videre licet in organis Fabri atq; Andreæ, in quibus cubiti per ſuperius tranſuerſarium demiſſi in teſtudinem figurantur, vt hac elata, quæ prolapſa ſunt à ſuperiori parte intenta recondantur. Latæ cubitorum ſummitates, alæ ab architectis dicuntur:

imæ

imæ verò partes quadratæ, calces. Hi ergo propriè cubiti nominantur, sed quidam vocabulo abutuntur. Spathæ impellendo sunt idoneæ: ea autē spatha quæ in Fabri atq; Andreæ machinamento est, vtimur, vbi extrahendo impellimus, ad femur in posteriorem partem erumpens. Sunt & aliæ spathæ in quibusdam organis, ad alios impellendi modos fabricatæ. Radices & fibulæ complures vsus in organis præstant. Primò enim radix & fibula in organo Fabri spatham distinent ad testudinem. Est quidem in testudine radix: spatha verò, qua parte quadrata est, mediū habet cauum, in quod radix eadem inditur: deinde fibula continendi causa, in spathā atq; radicem pertusam inseritur. Propriè radices ad id fiunt, vt recipere vncos posit, & alios effectus præstare: sed fibulæ item gratia est, quòd machinationes immobiles seruat, vtputa axes. Catenæ eò pertinent, vt fibulæ ex ipsis suspendantur, quo seruentur in organis, neque decidant. Vnci adijciuntur, ne mobiles machinationes moueantur, veluti axes, quóue in radices coniecti quædam organorum machinamenta sistant. Per vertebras (quas Græci τροφώματα dicunt) ferè id efficimus, vt quædā organa immobilia moueanť, sicuti crura organi Andreæ. Crura enim in organo trāsuersa secta, vertebris fibulisq; continenť, vt organo modò erecto, modò per vertebras inclinato, circumducendo impellamus. Ad exemplū huius structuræ organi Andreæ plinthij crura prope basim secta sunt, rursusq; vertebris cōtinenť, vt organū modò erigaī, modò per vertebras motū, adiunctis crurib. innitaī, vsumq; illius organi præstet, quod planum collocatur. Hi sunt effectus vertebrarum in organis. Axes ad corporum ductionem, hoc est, intentionem spectant, quorum quidam ab vna parte ad alteram pene

trant,ac per se mouentur:quidam latent,& per alias machinationes conuertuntur.Penetrat axis in plinthio Nilei,& scamno Hippocratis: latet in Appellidis organo,quod,quia per tres funes circumuoluitur, trispastum appellat:& in Nymphodori glossocomo.Penetrantes igitur axes per se manibus conuertuntur,latentes autem per alias quasdam machinationes.exempli causa:Nymphodori glossocomo per tympanum, & cochleam ad lentis imaginē fabricatam, in trispasto per funes alligatos, ad clauos qui in axibus infigunt,funes alligant,vel habenę,atq; huiusmodi alia ad extendendū pertinentia.Manubriola ductaria,bucula versantia & vectes,omnes hæ machinationes ad axiū cochlearumq; versationes statuuntur.Primas obtinent manubriola ductaria,secundas vectes,quib. minus efficacia sunt bacula versantia:pleraq; enim ex ipsis exigua cū sint,vna manu cō uertuntur.Chinisci,cuiusmodi sunt in lyra,excogitati sunt ad axes continendos. Vbi enim fibulæ non sint,quid poterit aliud vtilius inueniri?Quod enim ad vim pertinet,vsum habent fibularum: decoris autem causa,insculpta habēt anserina capita lignea.Statuunt in organis phliæ,vt ab vno latere ad alterum penetrantes axes contineāt,cuiusmodi sunt in scamno Hippocratis,& in nostro. Est & alia media phlia in organo Hippocratis ad similitudinem literæ ν, eo nomine fabricata,vt ad eam impellendi ratione,quę extrahendo fit,vbi femur excidit accommodet. Trochleæ in organis collocant,vt funes liberè duci possint,veluti in organo Fabri,quod duplicē trochleā, qua testudo mouetur, in superiori transuersario cōtinet.In nostro quoq; organo rursus trochleæ sunt, quæ per inditos funes,axes attollunt.Verùm trochleę ferè ad id fiūt,vt axes & habenę celeriter ducant, simulq;

simulq; vt ad intentionē, quæ alio intercedente motu fit, accommodentur. Orbiculi struuntur ad trochlearum motionem, quæ per se sunt immobiles: collocantur autem in medio earum, quemadmodum in Demosthenis ἀσφάβη, & ad funes continendos, vt in trispasto Apellidis. Cuneus præsertim paratur ad humeri caput in alam prolapsum, ac deinceps ad alios quoq; vsus. At lunatum lignū prodest, vbi humeri caput in priorem aut posteriorem partem excidit. Est autem polus lignum infixum superioribus crurū extremitatibus, in organo Philistionis. Luxato enim humeri capite brachium extenditur, polusq; obijcitur ad hominis ceruices. Epipoma verò, quod & epipigma dicitur, est χ figura in ligno insculpta, in quam conijcitur χ inuersum: qualis conspicitur in eo organo, quod Hermes dicitur. Fit autem hoc, ne ab Hermis vultu corpora terantur, vt in organi compactione ostendemus. σκαλάθιον verò & σκιθάλιον cōmuniter parata sunt, vt epipigma ferāt. Est quidē σκιθάλιον lignum sex digitorū in medio hebes. σκαλάθιον verò lignū sex digitorū rotūdū, quod angustiori basi nitit̄, & quasillo simile est. Sunt & in organis quędam columbaria insculpta ad similitudinē columbarum, quæ & ornandi causa facta sunt, atq; ad id etiā vt aliud ferant epipigma. Tympanis hæc gratia est, quòd quędā organorū machinationes, quæ maximū vsum præstant, per ipsa paulatim mouentur, vt axes & cochleæ. Est autem tympanum rotunda machinatio dentata. At Delphines dentibus inclusi machinationes motu prohibent, quod vnci quoque efficiunt. Testudines in organis ad id collocatæ sunt, vt corpora, quæ restituuntur, paulatim & minimè concussa extendantur. Quemadmodū enim

testudines animalia lento gradu procedunt,ita machinationes,quibus illa referuntur.Porrò autem ex testudinib.nonnullæ transuersarijs similes sunt,aliæ oblongæ,aliæ cubi speciem repræsentant.Transuersarijs similes sunt in organo Andreæ,Fabriue:oblongæ in quadrata columna, quæ appellatã Hermes.Cubum referunt in rotũdacolumna Heraclidę Ephesij. Præterea testudinũ aliæ cubitos & spathá attollunt, aliæ cuneatam & lunatam appendicem:quædã nihil attollunt,sed solùm sunt ad extendendum inuentæ. Cubitos attollit testudo,quæ sursum fertur, in organo Andreæ:cubitos & spathá testudo,quæ est in organo Fabri.Cuneata & lunata appendix ea testudine excitatur,quæ in Herme est.Nihil attollit,sed solummodo extendendo est ea testudo, quæ in rotunda columna Heraclidæ Ephesij collocat: similiter & quæ deorsum fertur in organo Andreæ. Alæ autẽ & dracones fibulæq; infixæ clauorũ vsum prẹstant:propriè autem dracones,quod ad materiam pertinet, in vicem manubrioli ductarij fabricantur. Quoniá verò testudines plerunq; à cochleis mouentur, proximum est,vt cochlearum structuram atq; vsum exponam.Comparantur ergo cochleę in organis,ad alias machinationes impellendas,puta tympana & testudines,qua paulatim & nulla ratione concutiendo extendant.Cochlearũ quædam quadratæ sunt,quædã ad imaginem lentis,quæ figuræ nomen inuenerunt, relatæ ad capreolos,at non ad structuram scapi:quę libet enim cochlea rotunda,est ad tornum rotundata.Differunt cochleæ à capreolis,quòd aliæ quadratæ,aliæ ad lentis imaginem dicuntur. Quadrata cochlea est,quæ capreolos habet quadratos,atq; ex ijs non solùm quod prominet,sed etiam quod cauum est,cuiusmodi cochleas videmus in organo Andreę.

quæ

quæ in lentis ſpeciem ſunt, id capreoli quod cauum eſt, altè anguſtum habent, latum verũ in ſummo, contrà quod prominet à baſi latum, vertice ipſo tenuat. Similis autem eſt huiuſmodi capreolus lenticulæ dimidiatæ, à qua figura cochlea hæc ad imaginem lentis dicta eſt. Cochleæ igitur tam quadratæ, quàm ad imaginem lentis, ad motionem diuerſarum machinationum ſtatuuntur. Quadratæ enim teſtudines compellunt: quæ ſunt ad imaginẽ lentis, primò quidem tympana, interdum etiam teſtudines in ijs, quæ peri cochlia nuncupantur.

Qua ratione quadrata cochlea teſtudinem moueat. V.

DEmus teſtudines ita eſſe fabricatas, quemadmodum in organo Andreæ, quarũ ſingulæ pertuſæ ſint, atq; in id cauum cochleæ demiſſæ: ab interiori autẽ parte caui ferrea, vel ænea lamina teſtudini infixa ſit, quæ quidẽ lamina dens nuncupatur. Hic igitur dens teſtudinis, in cochleæ capreolo includitur. Quo fit, vt in quadam cochleę cõuerſione, lamina quę dens nuncupatur, teſtudini infixa, atq; in cauo capreoli contenta, teſtudinem moueat. Præterea ex ijs ipſis cochleis quadratis, alia ſimplex eſt, alia duplex. Simplex cochlea eſt, quæ vno duntaxat capreolo excauata, vnamq; teſtudinem impellit: in duplici, bini ſecti ſunt capreoli, hæc & binas teſtudines mouet, qualis cochlea reperiĩ in magno Andreæ organo, quod plinthium nuncupatur. Excauatum enim lignum eſt à medio ad tranſuerſaria capreolis inter ſe aduerſis, ita, vt quadam cochleæ cõuerſione orſæ teſtudines, vel à medio verſus tranſuerſaria, vel à tranſuerſarijs verſus medium impellantur. Eſt & alia cochlea duplex in eo, quod κυρτὸν appellatur, excauata à ſummo principio vſq; ad extremum aduerſis capreolis,

quæ rursus duas testudines mouet, quemadmodũ in ipsa organi structura videmus. at cochlea ad imaginem lentis tympanũ mouet: siquidem capreoli cochleæ, tympani dentibus insiti, machinationẽ cõuertunt, quemadmodũ cochlea, quæ baculo versante, vel manubriolo ductario conuertẽ, in tympani dentes conueniens machinationes mouet. mouet interdum eadem cochlea testudinẽ, sed non amplius perdentem, quemadmodum quadrata, verùm in fœmina cochlea contenta, quæ in ipsa testudine struitur: quoniam testudinis cauum, in quod cochlea demittitur, excisos habet capreolos aduersos ijs qui sunt in cochlea lentis formã referẽte, sic, vt id quod prominet ex capreolis cochleæ lentẽ referentis, in cauo capreoli fœminæ cochleæ recipiatur, quodq; cauum est in capreolis cochleæ, id quod extat ex capreolo, cochleę fœminę capreolis admittat. Accidit autem in cochleæ conuersione, vt testudo modò sursum moueat, modo deorsum, cùm cochlea in ipsius capreolis voluat. Huiusmodi structuræ plurimæ adhibent ad organa, quæ plana collocant: ad id enim fabricant, vt homines, quibus luxata restituunt, inclinatis organis insidant: organa enim quæ plana collocantur, ita parata sunt, vt ægris super ipsa vel sedentibus, vel cubantibus, luxata reponant. Priapiscus, qui & stiliscus & scalmus nuncupat, in quolibet organo quod planũ colloceẽ, statuit. Fit autẽ ea de causa, vt ei parti quæ inter anũ & naturale est, obex sit, vbi quę prolapsa sunt, restituunt. Est igit Priapiscus lignum octo digitorũ, magna ex parte rotundũ, ab eo, quod supereſt quadratum, sic vt quadrata ipsius pars conijciatur in cauum, ad literæ π similitudinem quadratũ, in organo quod planũ collocatur: reliqua verò pars, quæ extat inter anum & naturale, obijciatur.

tur. Configitur autem in transuersarium π ferreũ. vt firmiter Priapiscũ cõtineat. Sed in nostro organo videre licet magnũ π ferreũ ad aliũ vsum comparatũ, nempe ad gibbam spinam per pressum impellendam. Opercula in organis parantur, vt machinationes sub ipsis occultentur, ne si absq; operculo fuerint, idiotis pateant. Annuli adhibentur ad organa tractoria, vt alligari possint: ad alia verò, vt machinationes contineant, quemadmodum in Menecriti Bucranio, vbi axis continetur: atque eadem de causa in alijs organis. Forfices in organis arctè transuersaria cum cruribus iungunt, ad hunc enim vsum infixas forfices æneas inuenimus. Adiuncta crura id efficiunt, vt organa quæ erecta collocantur, illis innixa, inclinataque, eundem vsum præstent, ac si plana statuerentur. Præfatus ex quibus omnia organa parentur, & quorsum singulę ipsorum machinationes spectent, declarabo in sequentibus, quænam ex organis immota, suo munere fungantur, & quæ mota: tum ex ijs quæ mouentur, quæ nam suo loco maneant, quæ locum mutent, dum mouentur: rursus ex ijs quæ immobilia sunt, quæ perpetuò & ubique immobilia maneant, quæ eximi possint, ad alios quoque vsus idonea. Hæc itaque immobilia sunt in organis: basis, crura, latera, transuersaria, cuneata & lunata appendix, sedile, priapisci, atque alia complura. Vsui sunt cùm mouentur, vertebræ, vnci, axes, tympana, cubiti, cochleæ, testudines, atque huius generis plurima. Mouentur in eodem loco manentia, vertebræ, vnci, tympana, cochleæ, pleriq; axes. Locum mutant testudines, cubiti. Eorũ quę in organis immobilia sunt, quædam semper & ubique immobilia sunt, quędam & eximi, & inseri possunt. Semper quidem immobilia manent, basis, crura, latera,

transuersaria,radices,sedilia,lunata appendix: extra hi possunt in quibusdam organis,quamuis immobilia sint,tum cunei,tum priapisci, qui ad alios quoq; vsus facti extrahuntur,& immittuntur.

Ex Galeno de machinamentis. VI.

ARticulis reponendis Hippocratis scamnũ per se abundè est. Si quis autem velit alijs quoq; vti, est polyspaston(ita appellatum,quoniam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præstet)quod iter facientibus maximè idoneum est. refertur autem ad Archimedem autorem. In vrbibus verò non alienũ est Fabri vel Andreæ organum,cùm erecto opus est: vbi plano,scamnum Hippocratis præcipuè aptatur.

De glossocomo machinamento. VII.

NOn ab re quidem mihi glossocomũ videtur à iunioribus medicis inuentũ,quod seu femur, seu crus comminutũ sit,vbi callus circumdatur, commodissimè admouetur. Habet autem à prima parte axem, ad quem extremi laquei in diuersa extendentes deligantur. Inijciantur laquei extremis partibus ossis, quod curatur, fiantq; ex duabus habenis,sic, vt quatuor vterq; capita habeat,bina à dextra,totidem à sinistra. Ex ijs capitibus quę inferioris laquei sunt,per foramina facta in inferiori parte glossocomi ad axẽ duci debent:quæ superioris,primò procedere ad superiora,deinceps ipsa quoq; per latera glossocomi perforata traijci, quibus foraminibus trochleæ includantur. Vtrinq; ergo ab exteriori parte glossocomi,superioris laquei capita ferenda sunt ad axẽ: his enim ita constitutis,vna axis conuersio pariter ambos laqueos extendit deorsum versus, illum qui ad inferiora fracti ossis alligatur sursum,alterum sic, vt composita fractura in posterũ liceat quotidie hanc laqueorum in diuersas partes intentionem corrige-

CAPSVLAE MACHINARIAE ICON.

A *Axis ad quem laqueorũ capita circumꝫciuntur.*
B *Laqueus ſuperior.*
C *Laqueus inferior.*
D *Inferius caput capſulæ*
E *Trochleæ.*
F *Superioris laquei capita ab exteriori parte capſulæ.*



re,valentius,vel leuius extendẽdo.Laqueũ igiť, qui in inferiori parte eſt,directa ductione axis extendit: eum qui in ſuperiori parte,intercedente alio motu, Græci διὰ τῆς μεταληπτικῆς τάσεως dicunt.

Nilei plinthium. VIII.

FActum eſt plinthium Nilei ad eorum organorum exemplum,quæ vocantur tractoria quadrata oblonga.Duo enim habet latera longa palmos quatuor, digiti craſsitudine,quæ extremis partibus tranſuerſarijs inter ſe compacta ſunt.Eſt autem tranſuerſariorum craſsitudo & latitudo,quanta laterũ,ſed longitudo palmum implet. Meritò igitur cùm talis compactio ſit,vt latera quatuor palmos longa ſint,tranſuerſaria vnum,totius organi quadrati ſtructura oblonga confecta eſt.Licebit autem,ſi quis voluerit,latera breuiora,quàm dictum eſt,efficere, quandoquidem organum per vnicum axem,effectũ præſtat.Media itaq; latera pertuſa ſunt rotundis ac peruijs foraminibus,per quæ axis traijcitur,qui media parte cluum infixum habet:capitib.verò,quibus latera excedit,vectes æneos,vel ferreos decem digitorum magnitudine.Sunt item in organo quatuor annuli lateribus affixi,bini ab inferiori parte,totidem à ſuperiori. Antiqua huius organi ſtructura autore Nileo talis eſt.Herodotus quidam architectus tranſuerſariorum priores partes medias excauauit ad figurã literæ ω,ne habenæ quæ à corporibus quibus vis adhibetur,ad axis clauum feruntur,extantibus angulis atterantur,ſed rectà procedãt.Hactenus Herodotus.

Nos verò quam accipimus hiſtoriam,referemus. Ferunt Paſicratem architectum Sidoni organũ hoc vidiſſe,quod à ſtatua continebatur, aliter tamen fabricatum.Nam cùm eadem compactio eſſet,conſpiciebantur in eo organo ab extantibus axis capitib.

æneorũ

Nilei plinthij effigies.

A Duo latera. B Transuersaria. C Rotunda, ac peruia foramina. D Axis, qui media parte clauum infixum habet. E Vectes ænei. F Annuli. G Transuersarij priores partes excauatæ ad figurã literæ ω. H Aeneorũ draconũ cõplexus. I Foramina rotunda. K Tympana ænea dentata. L Fibula indita. M Vncus.



æneorũ draconum complexus, quorum capita è regione ad caudas spectabant. Sed quô pertinebant hi dracones? non aliò nisi vt inuicem vectium axes conuerterent: tum in organo, quod Sidoni erat media, transuersaria pertusa erant rotundis foraminibus, quæ clauo axis responderent. Constat autem foramen eundem esse vsum, qui in organo Herodoti, nimirum vt habenæ quibus corpora extenduntur, ad clauum rectæ per ea foramina porrigantur. Retulit insuper Pasicrates, axem inclusa habuisse in vicinia laterum tympana quatuor ex ære dentata, duo ab interiori parte, totidem ab exteriori, atq; item in lateribus foramina fuisse dentium ordini respondentia, vt postquam abundè extenta corpora fuissent, fibulę inter dentes eò demissæ, vbi in luxatis restituendis opus esset, axem sisterent. Sed recentiores tympanis omissis priori parte latera pertuderunt: pertuderũt item in orbem aliquo intermisso spatio, & ipsa axium capita, quo ad vsum dictum fibulæ inditæ axem mobilem

Plinthij alterius, scamnum referentis, icon.

N *Scamum quale in ludo videmus.*
O *Caua quadrata.*
P *Fibula.*



bilem tuerentur. Ego autem cùm fibulę decidant, ad eum quem dixi vsum, vncos lateribus infixi: axis verò capita foraui sic, vt huius foramina illis conuenirent, quæ erant in orbem in lateribus aliquo spatio interiecto, quo, vbi vellē in luxatis condendis axem immobilem reddere, vncum includerē in foramen, quod esset accōmodatum. Cōmunis plinthij tractorij fabricatio huiusmodi est: verùm ego aliter plinthium struxi: salua enim eadē laterū mēsura, inferius transuersariū sursum transtuli, quatuor digitis infra transuersariū extrema crura relinquens: axem verò collocaui in medio transuersariorū, cui parti Grę cè ἐφωτι nomen est. Scamnū quoddam, quale in ludo videmus, ab vna extremitate excīdi cauis quadratis atq; oblongis, vt propositorum crurum extrema in eiusmodi caua conuenirent: ipsa item latera extremis partibus transuersa pertudi, foraminibus ab vno latere ad aliud penetrantibus, vt fibula in foramina coniecta plinthium contineret. Hæc de organi structura, nunc ad ipsius motionem aggrediar.

De motu organi tractorij. IX.

QVoniā tractoria organa imperfecta sunt, nec prę stare quicquam per se possunt, sed alterius operā requirunt, puta scalæ, lecti, scamni, quæ vbi nō sunt, eorum vicem exhibet pauimentum terraq; ad prolapsa restituenda, mihi operæpretium videt, quasi doceam in ludo, gratia eorum, quæ nunc tractantur, super scalam præparatam, organi motum enarrare.

Scala præparata ad humerum restituendum in alam prolapsum. X.

PAratur scala vna ex ijs, quę in cōmuni vsu sunt, nō lata, quæ obliquè collocatos gradus habeat: siquidē talis luxatis reponendis est aliena, sed æquè crassā sit, quadratisq; gradibus constet, leuatis angulis, ne

corpora conterant,atque in rotundam figuram reda ctis.huiusmodi scalæ vbi copia non sit, quo mollius corpora insidant, gradus lana inuoluantur. Ordiar autem ab humeri capite in alam excidente.Oportet igitur vbi id restituitur,cuneum funibus suspensum collocare super gradũ idoneũ,cui brachiũ (vt ostendi)superimponatur,& per funes ad eum alligare.Est autẽ ille gradus reponendo idoneus,quẽ retuli.Brachio superiniecto intentioneq; adhibita suspendendus homo est sic,vt duos palmos à pauimento recedat,& cuneus ad gradũ firmiter alligandus,nõ temere,sed eo obseruato, vt ex partibus, quæ cum cauo quodam capitulata est,ad humerũ detur,quæ gibba iuxtà est,ad latus.A cuneo verò deorsum versus altetius siue tertij gradus interuallo, organũ ad scalam vinciendum est per eos quos habet annulos & funes aut habenas, aut alia quæpiã traiecta. Ipsa item scala in pauimentũ fortiter adigenda est,ne in extẽdendo moueatur,sed stabilis maneat,ac sine vlla inclinatione.Quatuor præterea trochleæ, siue solidæ, siue ex duobus lignis curiosius factæ alligentur, quarũ duæ à summo gradu suspensę deorsum spectẽt,duę ab imo sursum.Qua fabricatione parata,cuneus ad id quod prolapsum est reponendũ,admoueatur,tenui lana molliq; obuolutus,tum vt lignũ quod durũ est,circũdata lana minus tactu lędat,tum vt sudor, qui propriè oriri solet ala plurimũ calefacta,magisq; ęgrotantis metu ac labore,lana cuneo imposita combibat. Hæc autẽ scala vel contineat stabiliter ab assistẽtibus, vel extremis partib. in pauimentũ defigat, cuneisq; (vt propositũ est)confirmet.Illud autẽ in aperto est,scalam bene longã esse debere,vt postquàm demissa in terrã fuerit,quod extat, vbiq; pro magnitudine eius qui curat,abundè longũ sit.Scala cõfirmata subselliũ iuxtà collocetur.

A Cu-

Scalæ, ad humeri in alam prolapsi, restitutionem, expressio.



A *Cuneus funibus suspensus, ac super gradum alligatus.*
B *Organum ad scalam alligatum.*
C *Trochleæ duæ à summo gradu suspensæ, deorsum spectantes.*
D *Trochleæ duæ ab imo gradu suspensæ, sursum spectantes.*
E *Subsellium.*

De humeri capite in alam prolapso. XI.

SVper subsellium homo ascendens, brachium super gradum traijciat, ita, vt cuneus aptè in alam demitta tur: post hæc duplicata habena media inter cuneum & humerū detur, capitaq; eius extrinsecus pendeāt: deinde charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens humero inijciatur, non circa medium, ne la certum vrgeat, sed citra tumorem vel vltra: sic enim cubiti inæqualitas laqueum deorsum labi non patietur, præterquàm quòd hoc modo vtilius imponet. Sequuntur enim facilius ea corpora, quæ ampliori interiecto spatio adducunt: quæ exiguo, difficilius. Circundato laqueo capita eius rectà deorsum ducta ad clauum axis religentur, & axis vel per vectes, vel solis manibus cōuertatur, vt eius conuersio directa ductione ab inferiori parte intendat. Eodem autem tempore, cùm aucta iam intentio est, subsellium subtrahatur, vt homo à scala pendeat, atq; ita excitando reponi luxatū possit. Suspenso homine minister assistens à posteriori parte vtranq; manū simul iunctam ad ceruicem eius adducat, collumq; in contrariam partem cogat, idq; fiat, quo tempore intendimus atq; excitamus, cùm laquei ægro iniecti postea laxentur. Neruis abundè diductis, debet qui reponit assistens habenæ capita prehendere, cubitumq; adscalam repellens, humeri caput per habenam extrahere: quo facto remittenda intentio est, & ipse articulus sursum compellendus, vt in regionem pristinam reuertatur. Ratio directæ ductionis ita habet. Sed vt tutò reponamus, optimum fuerit prius quàm nerui extendant, habenis & crura hominis inter se, & integrum brachium ad latus deuincire, ne ob tormentum quod in condendo articulo sentiet, vel super scalam ascendat, vel manu laquei capita contineat.

neat. Licebit etiamnum alio intercedente motu, ab inferiori parte extendere: id qua ratione fiat, subijciam. Iisdem omnibus factis, quæ præcepimus, cùm ab inferiori parte extendentes directa ductione vtebamur, laquei capita per inferiores trochleas traijciuntur ab inferiori parte extra, atque ad axis clauũ religantur, vel ducta ab exteriori parte versus interiorem ad axis vectes vinciuntur, vt axe versato, alio intercedente motu ab inferiori parte extendamus. Nihil item prohibet, quo minus eadem fabricatione parata duplici motu contrario intercedente ab inferiori parte adducamus: quod ad quem modum fiat, indicabimus. Laquei capita ad inferiores trochleas ducta, ibiq; traiecta, ad superiores referuntur, tum deorsum attracta, ad axis vectes alliganť, vt eius conuersio duplici motu contrario intercedente ab inferiori parte extendat. Postquàm abundè extenderimus, proximum est vt impellamus, eo quo ostendimus modo, vbi de directa ductione loqueremur. Hi sunt modi, quibus ab inferiori parte intendimus. Postquàm reconditus articulus fuerit, subsellium ad scalam referendum est, vt æger super id statuať, tam à scala, quàm à cuneo remotus, collocato humero vt antè dixi. Verùm cùm maiores nostri idem organum idoneum à superiori parte attrahendo tradiderunt, sequitur vt nos quoq; à superiori parte extendendi rationem vobis aperiamus. Ergo (sicut dixi) placuit maioribus luxati restituendi modum, & à superiori parte adducendo, & in diuersa trahendo explicare. Potissimum autem à superiori parte intenderũt, vbi humerus non solùm elapsus esset, sed etiam perfractus. Spectemus igitur quibus modis voluerint luxata restituere, à superiori parte intendentes. Scala igitur in cæteris eodem modo præparata, cuneum non

Scalæ ad humeri capitis in alam prolapſi reſtitutionem, expreſsio.



amplius ex funibus ſuſpenſum, ad gradum alligant, ſed ſolùm ſuperimponunt: funiũ uerò capita admodum longa per ſuperiores trochleas ab inferiori parte extrà traijciunt: poſt hæc deorſum demiſſa vectibus, qui pro clauis ſint, circumligant. His ita conſtitutis ſubſellium ad ſcalam ponunt, ſuper quod homo aſcendens, brachium ſuperinijciat, vt cuneus rurſum in alam indatur, deinceps charcheſium laqueum vel alterum æqualiter extendentem humero inijciunt, capitaq; eius deorſum ducta, vt contineantur, ad aliquem ſcalæ gradum deuinciunt. Quibus ita contentis axis conuertitur, per quam conuerſionẽ cunei funis alio intercedente motu attractus, à ſuperiori parte intendit. Neruis, quantũ res poſtulat, intẽtis, impulſus adhibeĩ, per duplicẽ habenã extrahendo, & manib. ſurſum cõpellendo. Equidẽ huic reponendi modo nõ ſubſcribo, ea de cauſa, quã adiungam. Cuneus elatus circumagiĩ, qui cùm ſub ala non manet, articulus ex toto nõ reponitur, ac potiſſimum vbi quis velit ſuſpenſo homine excitando illum reponere. Ea verò extendendi ratio quę ab inferiori parte adducit, ſtabilis eſt, cuneo ſuper gradum collocato, & per funes alligato, vt antea diximus. At quo pacto nos à ſuperiori parte adducentes firmiter reſtituamus, paulò pòſt intelligetis, vbi cõdendi luxati rationẽ recenſebimus. Ratio autẽ quæ in diuerſa diducit, ſic habet: cæteris omnib. ordinatis laquei capita non amplius ad gradum vinciunt, ſed ad axis clauum dantur per ſe, vel alio motu intercedente, vt prius ſcilicet per inferiores trochleas traijcianĩ, tuncq; ad axem deligenĩ. Eadẽ nũc culpari poſſunt, in hac in diuerſa extendendi ratione, quę paulò antè dicta ſunt in illa, quę à ſuperiori parte extendit. Vbique eũ probo, cũ is, cuius articulus reponiĩ, rectus

collocatur, solam ab inferiori parte extendendi rationem adhiberi. Nunc proximũ est, cùm de humero in alam prolapso dixerimus, vt de eodem quoq; in priorem partem excidente pertractemus.

De humeri capite in priorem vel posteriorem partem excidente. XII.

AD humeri caput in priorem vel posteriorem partem elapsum, scala eadem ratione modoq; præparata vel figurata, organoq; & trochleis (vt antea dictũ est) alligatis, rursus, vbi restituere volumus, subsellium iuxtà ponimus, lanaq; vel linteis contegimus gradum idoneum, super quem restituamus: cui (sicut ostensum est) inuoluto, ala insidat: tum charchesium laqueum, vel alium æqualiter extendendi vim habentem humero (vt propositum est) circundamus, cuius capita deorsum attracta ad organi axem religamus, quemadmodum ad humerum in alam prolapsum tradidimus, vt conuersus axis directa ductione ab inferiori parte intendat. Eodem momento quo intendimus, aliquis rursus à posteriori parte assistens, vtraque manu ad ceruices hominis data, corpus in cõtrariam partem repellat. Licebit autem in hoc casu magis & extendere & ducere ad inferiora. Subsellio itaque subtracto, homo suspenditur, vt simul & articulus excitetẽ, & quæ illi superiecta sunt, laxentur. Vbi quantum reponendus articulus postulat intenderimus, circumducendo impellimus: si quidem in priorem partem humeri caput exciderit, ab ea sede inquam venit ad eam, vbi esse naturaliter debet, prominentiori palmæ parte vrgemus, atq; altera manu cubitum à posteriori parte in priorem adducimus, quo facto minister assistens manum apertam lato scapularum ossi opponat, atq; id repellat, ne vis operæ resoluatur. verùm si in posteriorem partem prorumpat

pat, contrarium fieri debet, humeri quidē caput prominentiori parte palmæ vrgendum est, vt à lato scapularum osse in suam sedem reuertatur, atque altera manu cubitum à posteriori parte in priorem adducimus, quo facto minister assistens manum apertam lato scapularum ossi opponat, atque id repellat, ne vis operæ resoluatur. Verùm si in posteriorē partē prorumpat, contrariū fieri debet: humeri quidem caput prominentiori parte palmæ vrgendum est, vt à lato scapularum osse in suam sedem reuertatur, atq; altera manu cubitus ad posteriorem partem prorsus ducendus. Hac igitur ratione humeri caput restituendum ducimus, vbi in priorem vel posteriorem partē eruperit. Sed alij in vtroq; casu eam reponendi rationem probarunt, quæ à superiori parte extendit: hoc quo pacto agant, videamus. Scala eodem modo parata, duplicatæ habenæ vel funis medium lana vel linteo inuolutum alæ subijciunt, capitaque eius per superiores trochleas traducta, deorsum ad axis vectes tanquam ad clauos alligant, deinde humero carchesium laqueum, vel alium qui æqualiter extendere valeat, circumdant, cuius capita deorsum demissa, vt contineantur ad aliquem scalæ gradum deuinciunt. Quibus ita constitutis axis conuertitur, quo conuerso & cōtinent, & à superiori parte intendunt, ac postquam abundè extenderunt, adducendo impellunt. At cùm in diuersa contendunt, capita laquei vel directa ductione, vel alio intercedente motu, funis verò per alium motum interiectum ad axis clauum alligant, vt conuerso axe in diuersa diducant: postquam satis intenderunt adducendo impellunt. Intentiones quidem succedunt, sed impulsus fallax est. Siquidem homine excitato, & suspensione distracto, ægrè articulus restituitur: atque ob hanc causam nunc pla

cuit extendendi ratione tam à superiori parte, quàm ab vtraque præterire. Humeri ergo caput, in quamcunque partem venerit, conuenit ab inferiori parte extendendo reponere, cùm erectus homo collocatur. Qua via humeri caput restituatur, exposuimus. Pergamus igitur ad cubitum.

De cubito. XIII.

AEque duo brachij ossa in quatuor partes erumpunt, in interiorem, exteriorẽ, priorẽ, & posteriorẽ: atque vbi in tres partes venerint, exteriorem scilicet, interiorem & posteriorem, brachium curuatur, & extendi non potest. Commune est horum trium casuum, in quibus curuum brachium minimè extenditur, scalam cum organo (vt dictum est) ad restituendum parare, postea hominem iuxta scalam collocare, vt super subsellium ascendens brachium super conuenientem scalæ gradum inijciat, tum ea iunctura, quæ palma nuncupatur, humerum continere, & laqueum inæqualiter extendentem, vt attollentem chiastum aut nauticum brachio in vicinia manus circũdare, eiusq; capita ad vnum scalæ gradum, vt retinacula sint, deuincire, vt vbi vis adhibetur, recti anguli figura fideliter conseruetur, eoque facto medium duplicatæ habenæ, brachio prope cubitum inijcere, capita verò deorsum ducere ad axem, ibique vel directa ductione ad axis clauum alligare, vel alio intercedente motu, non secus ac vbi humeri caput reponitur, vt similiter axis conuersio ab inferiori parte intendat. Traditur etiam ad cubitum ille reponendi modus, qui à superiori parte extendit, cuius ratio est hæc. Cæteris omnibus (vt propositũ est) constitutis, humerus non amplius vt contineatur, deuincitur, sed laqueus charchesius, aut alius ex ijs, qui æqualiter extendunt, ipsi circumligat, cuius capi

ta ad

ta ad ſuperiores trochleas adducta, ab interiori parte in exteriorem attracta deorſum feruntur, & ad axium vectes quaſi ad clauũ alligant̃: duplicatæ verò habenæ capita deorſum adducta, vt retinacula ſint ad aliquid immobile dantur. Cõuerſo igit̃ axe & continemus, & alio intercedente motu à ſuperiori parte extendimus. At modus, qui in diuerſa extẽdit, hinc manifeſtus eſt: vbi enim in diuerſa extendimus, laquei capita per ſe ad clauum axis vel alio interceden te motu ad eiuſdem vectes deligant̃, vt eadem conuerſio in diuerſa extendat. Neruis quantũ res poſtulat extentis, conuenienter impellere oportet, adducendo, ſi luxata in duas partes venerint, in interiorẽ ſcilicet & exteriorem: extrahendo, ſi in poſterioré: quas impellendi rationes in opere de articulis expoſui. Hæc igitur fieri debent, quando cubitus in propoſitas partes erumpit. Verùm ſi in priorem, in quo caſu diximus extentum brachium non curuari, iterũ eadem ſcala atq; organum comparat̃, æger ſcalæ aſsiſtens brachium ſuper commodum eius gradum imponit, humerus ad ſcalam per eandem iunctur̃ vincitur, laqueus æqualiter extendens ad brachium datur in vicinia manus, cuius capita deorſum feruntur ad organũ, vt ab inferiori parte attrahant̃. Si quis autem velit agere hoc tum continendo, tum à ſuperiori parte adducendo, humerum non amplius ad ſcalam deuinciat, ſed vtriq; membro laqueum injciat, qui æqualiter intendat, vnum ſcilicet humero, alterum brachio: & ſuperioris quidem laquei capita ſurſum ferat vltra caput, alterius verò deorſum, vt (quemadmodũ in alijs reponẽdi rationib. declaraui mus) extẽdat. Quodvbi abundè fecerit, tũc reponendi cauſa duo modi impellendi potiſsimum aptant̃, qui premit, & qui circũducit. Sed antè quidem pre-

mere conuenit, dum intentio adhuc manet, dehinc circumducere, quos impellendi modos multò antè expoſui in opere de articulis. Oportetautē eo, quod luxatum eſt, reſtituto brachium curuare atq; extendere, pronumq; & ſupinum collocare, vt ex toto reſtitutum eſſe intelligas, tum ad angulum rectū in ſequentem curationem figurare. Vtraq; igitur brachij oſſa, vbi loco ſuo non ſunt, per ſuperiores modos reponuntur. Verùm quoniá vtrunq; per ſe propriè vitiatur, cùm ſuo loco mouet, poſthac neceſſe eſt ſcribamus, quonam modo cubitus erumpens, radiusq; diductus ab inferiori parte extenti, reuertantur.

Scalæ ſequentis, per literas declaratio.

A *Cuneus ſub ala per funes ſuſpenſus.*
B *Organum ad ſcalam alligatum.*
C *Trochleæ à ſummo gradu ſuſpenſæ.*
D *Trochleæ ab imo gradu ſuſpenſæ.*
E *Subſellium.*
F *Iunctura quæ palma nuncupatur.*
G *Laqueus attollens in vicinia manus.*
H *Capita laquei, vt retinacula ſint, ad ſcalæ gradum deuincta.*
I *Medium duplicatæ habenæ prope cubitum iniectum.*
K *Capita ad axis clauum directa ductione alligata.*

Scalæ

Scalæ, qua brachij ossa, è loco suo mota, reponantur, expressio.



De cubito & radio. XIIII.

MOuetur per se cubitus interdum loco, & rursus per se radius diducitur, ijs modis, quos in opere de articulis declarauimus. Ad hæc igitur ossa restituenda, scala similiter paratur, humerusq; ad gradum vincitur ea iunctura, quæ palma dicitur: ad ipsum verò brachium vtiliter datur laqueus aliquis, ex ijs, qui inæqualiter extendũt, cuius laquei sinus à parte quę restituitur, capita à contraria, hoc est, ab integra collocentur. Propriè enim laquei, qui inęqualiter extendunt, eas partes magis cogunt, quibus sinus hærent: minus verò, quibus capita. Siquidem consilium est, vbi superius os excidit, ab inferiori parte attrahere: ad id, quod suo loco est, vim minimè adhibere. Huius igitur laquei capita ad axis clauum dari debent, vel directa ductione, vel alio motu intercedente, vt conuersio axis ab inferiori parte extendat. Sed vbi, quantum restituendum os poscit, extenderimus, ido neis impellendi modis vti conuenit, cubito quidem in interiorem partem excidente, radioq; in exteriorem adducto, vtriusq; manus digitos inter se iunctos eminentiæ cubiti subijcimus, prominẽtioresq; palmarum partes vtrinque ponimus, atque his summopere vrgentibus adducimus: sed si in posteriorẽ partem prorumpant, cubitus præsertim, ea reponendi ratio efficacissima est, quæ extrahendo impellit. sin radius in priorem partem conuertatur, expedit premendo, & circumducendo impellere, quemadmodum ostendimus, vbi vtrunq; os in priorem partem elapsum ponebamus. exquisitos autẽ reponendi modos in opere de articulis exposuimus. Repositi autem ossis indicium erit, in cubito libera brachij contractio atq; porrectio: in radio, in pronum vel supinum habitũ conuersio. Quo modo igitur per scalam

B *Organum ad ſcalam alligatum.* C *Trochleæ ſuperiores.* D *Trochleæ inferiores.* E *Subſellium.* F *Iunctura, quæ palma nuncupatur.* G *Laqueus inæqualiter extendens.* H *Capita laquei duplici intercedente motu ad axem data.*



lam homine erecto restituere luxatum cõueniat, demonstrauimus. Verùm quia iusta aliqua de causa, aut propter imbecillitatem, aut ob femur seu crus simul cõminutum, æger stare nequit, dum luxatũ restituit, necesse est in sequentibus aperire, quæ ratio sit restituendi, homine super planam scalam iacente.

Quo pacto iacente homine restituatur humerus in alam prolapsus. XV.

SCalam collocare planam oportet, & vt à pauimento attollatur, extremitatib. lapides vel ligna ab vtraque parte subijcere, atque æquandi gradus causa lin teum superimponere: huiusmodi enim lectus, quod pertinet ad ægrum iacentem, dum restituitur, scamni munus præstabit. Organũ verò ad scalam alligandum ab inferiori crurum extremitate, rursusq; trochleæ (quemadmodum dictum est) binæ à superiori scalæ parte, totidem ab inferiori vinciendæ. Satius autem est ad luxata restituenda, pro scala adhibere scamnum, quod ab altero extremo quadratis fossis excauatum sit, vbi organũ firmiter insistat. Quę prę paratio esse debeat, dictum est: modos autẽ, quibus humeri caput restituitur, exequemur. Prolapso igitur humeri capite collocare hominem conuenit, sic, vt iaceat super scalam, organo ad pedes constituto, supinus, vbi in alam vel priorẽ partẽ excidit: in ventrem, vbi posteriorẽ. Igit vbi in alam conuertitur, funis capita super caput à priori vel posteriori parte adducẽda, mediũq; habenæ duplicatæ dandũ est ad humerum, sic, vt inter ipsum & cuneũ demittaĩ, capitaq; eius ab exteriori parte ferantur, atq; ita pendeant: post hæc laqueus charchesius, vel alius ex ijs qui æqualiter extendũt, humero (vt suprà ostensum est) inijciendus, cuius capita deorsum ad organum adducenda. Cùm capita ergo ad pedes ferantur, age

mus

mus vel continentes, & ab inferiori parte extendentes, vel in diuersa trahentes, siue directis ductionib. vtamur, siue alius motus intercedat, vt antea indicauimus. Cùm satis extenderimus, condere humerum debemus, idoneá impellendi rationem adhibentes. Præcipuè autem duplex impellendi ratio idonea est, & quæ articulum extrahit, & quæ sursum compellit. Manente intentione duplicatæ habenę capita tenentes, vi humeri caput extrahimus, eodemq; momento cubitum in interiorē partem ad latus repellimus: eo enim fit, vt humeri caput facilè promptéq; in exteriorem partem ducatur, moueaturque. Quo facto remissa intentione, protinus sursum compellimus: post hæc humerum prehendentes, attollimus, vt in suum locum collocemus. Hæc sunt quæ fieri oportet, vbi humeri caput in alam excidit.

Scalæ sequentis per literas descriptio.

A *Cuneus alligatus ad funem, cuius capita dantur ad gradum supra caput.*
B *Organum ad scalam alligatum.*
C *Trochleæ à summo gradu suspensæ deorsum spectantes.*
D *Trochleæ ab imo gradu.*
E *Habena media demissa inter cuneum & humerum, cuius capita spectent in partem exteriorem.*
F *Charchesius ad humerum datus.*

Scalæ planæ, qua iacentis hominis humerus in alam prolapsus restituitur, expressio.



De humeri capite in priorem vel posteriorem partem excidente. XVI.

SEd si humeri caput in priorem vel posteriorē partem conuertatur, homine (vt dictū est) figurato, nempe supino, si in priorem partem venit: in ventrem, si in posteriorem, funis aut habenæ medium lana siue linteo obuolutum, alæ subijcitur, capitaque super caput feruntur, non quidem è regione vitiati humeri, sed obliqua versus partem contrariam, ad rem aliquam immobilem vinciuntur, qua retineantur. Ambigitur verò quamobrem capita non rectè ferantur, sed versus contrariam partem obliqua. Pasicrates quidem atque alij nonnulli, hoc ea de causa fieri aiunt, ne à medio funis humeri capite sursum attracto prohibeamur, quo minus ab inferiori parte extendamus. Sed decipiunt similitudine femoris, cùm res aliter habeat: siquidem femur ad r literæ similitudinem declinat: at humeri caput dimidium orbiculatum est, neque potest femoris modo à medio fune sursum adduci. Quorsum igitur id fit? ne sub medio fune, quæ sub ala sunt compressa, alæ regionem compleant, completo enim recessu humeri caput locum non habebit in quem recondatur. Nos etiam non secus atque ij, qui non multò antè vixerunt, ob propositam causam, habenam & funem similiter collocamus. Consueuimus interdum & aliter continere: duos enim laqueos ex ijs, qui inæqualiter extendunt, implicantes, thoraci, dorsoq; sub alis circumponimus, eorumque capita continendi causa ad gradum, qui contrà situs est, alligamus, qua continendi ratione adhibita laqueum æqualiter extendentem humero circumponimus, quemadmodum tradidimus, qua de humeri capite in alam prolapso: cuius deinde laquei capita ab inferiori parte ad organum

demittimus,& ad axem deuincimus, vt eo conuerſo contineamus,& ab inferiori parte pariter extendamus: vi,quantũ res exigit,adhibita,vt articulum reſtituamus, premendo impellimus. Prominentiori enim vnius manus palma vi humeri caput comprimimus,altera verò cubitum huc atque illuc agitamus. Indicium autem repoſitũ oſsis in ſuperioribus explanauimus. Fit etiam interdum,vt ad humeri caput luxatum,medij quoque humeri fractura accedat,cogaturq; medicus eodem tempore vtrique vitio ſubuenire.Docendi autẽ gratia ſermoni inſiſtam, qui eum caſum explicet,vbi & caput humeri in alam excidit, & medius humerus comminuitur.

De humero fracto ſimul & prolapſo. XVII.

QVæſitum eſt à maioribus noſtris, qua via hæc reſtituantur.Paſicrates quidem os ſuo loco motũ primò reſtituit,quòd maiorem vim in reſtituendo poſtulet, quàm fractura. At ſi quis ſub fractura laqueũ inijciens eodem momento velit tam quod fractum eſt,quàm quod excidit,reſtituere,dum vis ad luxatũ quantũ poſtulat,adhibeẽ,fractura plus iuſto intenta, partes fracturę ſuperiectæ vltra debitũ extẽtę lędentur,reſoluentẽ nerui,aut abrumpentẽ,&fortaſſe corpora tota,priuſquàm articulus laxetur:atq; hac de cauſa cenſuit ipſe laqueum ſuper fracturam imponendum,& antè quod luxatũ, deinde quod fractum eſt, reſtituendum.Voluit Ariſtion eodem tempore & luxatum & fractum humerum reſtituere,ne ſi luxatum prius reponaẽ,dum fractura componitur,præ vi poſitum humeri caput erumpat.Quę dicuntur in vtroque caſu ſequi detrimenta,verè ſic habent: quapropter nobis placet antè articulum reponi,proximeq; fracturam curari,ea cautione,ne dum quod fractum eſt,ab

est,ab inferiori parte extenditur,articulus elabatur. Ad luxatum igitur restituendum cuneus à funibus dependens in alam conijcitur,rursusq; capita funis sursum adducunt̃ super caput,humero super fracturam charchesius laqueus imponit̃,vel alius qui æqualiter extendat,eiusq; capita deorsum demissa, vt retineantur, ad aliquam moram vinciuntur,atque à superiori parte attrahendo articulus reponitur: quo facto cuneus in ala relinquitur, vt humeri articulus maneat:laquei verò capita inferiori parte resoluunt̃, & super caput adducta tanquam retinacula vinciuntur,vt vtriusq; præsidio,cunei scilicet & laquei,articulus suo loco seruetur. Post hæc Charchesius laqueus,vel alius æqualiter extendens humero inijcitur,cuius capita deorsum demissa ad axem,vt ab inferiori parte intendant,religantur: quo fit,vt fractura ab inferiori parte intenta componatur, superiori articulo non excidente.Hactenus de humeri capite, nunc de cubito.

De cubito luxato. XVIII.

CVbito in illas treis parteis conuerso, in quas vbi procidit,brachium curuum est,neq; extenditur,homo resupinandus est super asserem scalæ insidentẽ: alligatis trochleis organoque ab inferiori parte laqueus inæqualiter extendens brachio prope manũ inijciendus,cuius capita super caput adducta ad oppositam moram alligentur: tum duplicatæ habenæ medium iuxta cubitum dandum,capitaq; eius deorsum adducenda. Dantes igitur capita, laquei quidẽ humero iniecti,supra caput,duplicatę verò habenę, deorsum, continebimus simul, & ab inferiori parte extendemus,vtostensum fuit in superioribus:neruis abundè intentis eo modo impellemus, quem paulò suprà diximus,cùm de erecta scala pertractauimus.

At si in priorem partem elabatur, in quo casu brachium extenditur, resupinato itidem homine laqueus æqualiter extendens humero injcijatur, capitaque eius super hominis caput attrahantur, tum alter laqueus æqualiter extendens ad extremum brachium alligetur, eiusque capita deorsum ducantur. intentionem verò à pedibus adhibendam esse antea exposui. Eodé autè modo, vbi articulũ restituimus, impellere oportet, premendo scilicet & circumducendo, eademq; ratione, quę in opere de luxatis dicta est. Verùm si alterum os præter naturam habeat, siue cubitus excidat, siue radius diducaī, laqueo rursus æqualiter extendente ad humerum dato, capitibusq; eius sursum super caput adductis, vt retinacula sint, brachio laqueus injcitur, qui inęqualiter extendat, quemadmodum explicauimus, capitaq; eius deorsum ad organum adducuntur, & ijdem impellendi modi accommodantur. Absoluimus iam sermonem vniuersum de cubito atque humeri capite, restat vt ad manum accedamus.

De Manu. XIX.

MAnus in quatuor partes mouetur, in interiorẽ, exteriorem, priorem & posteriorem. Restitui autem debet, vel super scamnum, vel super scalam, quæ plana collocetur. Homine itaque iuxta scalam vel scamnum sedente, figuretur manus supina, si in interiorẽ partem erupit: prona, si in reliquas tres. Deinceps circa sinum manus, ferramentum, quo adurimus, transuersum vel transuersus axis detur, atq; ad ipsam palmam vinciatur: tum extremitatibus propositi vectis seu ferramenti sinus laquei inæqualiter intendentis vel medię habenę injcianī, capitaq; à priori parte ad organũ feranī. Brachio autem in vicinia manus circumliget laqueus ęqualiter extendens, cuius capita feran-

A *Organum ad ſcalam alligatum.* B *Trochleæ.* C *Ferramentum datum ad ſinus manus.* D *Sinus laquei dati ad ferramenti extremitatem.* E *Laqueus æqualiter extendens brachio iniectus in vicinia manus.*



ferantur à posteriori parte, rursusq; intentio adhibeatur, quæ paulò antè exposita est, vel continendo, & seu ab inferiori, seu superiori parte extendendo, vel in diuersa adducendo: postquàm abundè intenderimus, impellere debemus, quemadmodum in libro de luxatis exposuimus, premendo, vbi in interiorem vel exteriorem partem venit: vbi in priorem & posteriorem, adducendo. Sed venio ad spinam.

De Spina. XX.

SPina gibba recenti ictu restituitur. Oportet in restituendo hominẽ pronũ collocare, vel super scalã, cuius gradibus asser iniectus sit, vel super scamnum, trochleasq; (vt dictum est) adhibere: post hæc ad spinam dare binos laqueos æqualiter extendentes, vnũ à superiori parte gibbi, alterum ab inferiori, vel quaternos ex ijs, qui inæqualiter extendunt, inter se oppositos, binos à superiori parte, totidem ab inferiori, & superiorum quidem capita sursum, inferiorum verò deorsum adducere, siue vt retinacula sint, & vel ab inferiori vel à superiori parte intendant, siue vt in diuersa diducant. verùm vbi in diuersa diducimus, trochleis vtimur alio intercedente motu agentes. Postquàm abundè intenderimus, eo modo impellimus, quem in libro de articulis enarrauimus. Sequitur autem, vt de modis reponendi femoris pertractemus.

De femore. XXI.

FEmur in quatuor partes prorumpit, interiorem, exteriorem, priorem, & posteriorem: atq; vbi in tres partes conuertitur, crus extentum est, & curuari minimè potest: quòd si in posteriorem partem prolabatur, curuatur, sed nó extenditur. Igitur si in illas tres partes venit, vbi extentum crus minimè implicatur, resupinandus homo est super scalam vel scamnũ, &

duplica-

duplicatæ habenæ vel funis medium lana seu linteo circundatum inter anum & naturale inijciendum, capitaq; eius super caput adducenda. Si in exteriorem quidem & priorem partem femur eruperit, media habena variè quacunq; parte inter anum & naturale dari potest: sed si in interiorem partem exciderit, inter femur integrũ adhibenda est, & articulum, qui restitui debet, ne si femoris capiti subiecta fuerit, membrũ ab inferiori parte attrahi nõ sinat. Quo facto charchesius laqueus vel alius æqualiter extendens, femori extremo circumponendus est, capitaq; deorsum ad organum ferenda, & ad axis clauum alligandа, vt adhibitis retinaculis conuerso axe contineamus, & ab inferiori parte extẽdamus. Nihil item prohibet, quo minus à superiori intendamus, quẽad modum dictum est qua de humeri capite. Neruis, quantum satis est, diductis, ijsdem vtendum est impellendi modis, quos in opere de articulis indicauimus. At si femur in posteriorem partem prolabatur, vbi complicari crus diximus, sed nullo modo extendi, organo ab inferiori parte alligato ęger sedeat, magis tamen in supinum habitum conuersus, in alterã coxam inclinetur, post hęc contineatur, sicut in opere de articulis ostendimus, tũc charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens femori circumdetur, eiusq; capita deorsum demissa, vt ab inferiori parte extendant, ad axem religentur. Neruis quantum res postulat intẽtis, oportet eadem ratione in restituendo impellere, quæ in opere de articulis exposita est, spatha premendo idonea extrahere, & femoris caput in exteriorem partem adurgere, sicq; crure deorsum extento, atque homine resupinato articulus reponitur. Crus autem restitutũ, testatur eius flexus, atque porrectio: in quancunque enim partem vene-

rit, vbi restitutum est, liberam eius actionem spectamus, flexum scilicet & porrectionem.

De Genu. XXII.

GEnu in tres partes erumpit, interiorem, exteriorem, & posteriorem: vbiq; autem crus extentum est. Si in interiorem & exteriorem partem veniat, hominem resupinare conuenit: si in posteriorem, pronum collocare, tuncque laqueos æqualiter extendentes membris injicere, vnũ quidem femori prope genu, alterum cruri super eam regionem quæ carnosa à posteriori parte prominet, rursusque organo ad inferiora deligato, easdem adhibere intendendi rationes, quæ in alijs luxatis sunt ostensæ, impulsumque in opere de articulis declaratum.

De talo. XXIII.

TAlus modò in interiorem, modò exteriorem partem prolabitur, nonnunquam etiam in posteriorem. Rursus itaque oportet hominem sedere, extentoq; cruri laqueum imponere, qui æqualiter extendat, eiusque capita ad posteriorem partem porrigere, ad talum verò sandalium, vel draconem laqueum dare, capitaq; à priori parte ad axem adducere, continendoq; ab inferiori parte extendere, & ijsdem vti modis impellendi, quos in opere de luxatis explicauimus. Restituendi rationem præterimus, quoniam de hac præcipuè agimus, vbi organorũ, quæ plana collocantur, præsertimq; nostri machinamenti, motum declaramus.

Scalæ sequentis per literas descriptio.

A *Laqueus inflectus cruri æqualiter extendens.*

B *Sandalius laqueus ad talum datus.*

Scalæ, qua talus è loco ſuo motus reſtituitur, expreſsio.



Glossocomum Nymphodori. XXIIII.

GLossocomum Nymphodori tractorium organũ est quadratum, habet autem duo latera, quæ extremis partibus per duo transuersaria inter se iunguntur: laterum verò & transuersariorum eadem est magnitudo, sunt enim longa lataq; duos palmos, crassa digitos totidem. Quare cùm æqualis sit eorum modus, iure glossocomũ ex eorum numero est, quę propriè quadrata appellantur. Media igitur latera excul pta, cauataq; sunt, cauis non nimis altè penetrantibus: quibus includitur axis habens in medio tympanum, cui ab vtraq; parte ferrei vnci sunt, duo in vniuersum, vel foramina, in quæ possint conijci funes, quorum hęc ratio est. Funes duo vncis medij circum ligantur, & ab vtraque parte prope foranina nodum accipiunt, quorũ capita quum quatuor sint, duo traijciuntur per transuersarium prius, ab interiori parte extra, reliqua duo per id, quod posterius est. Secundum tympanum cochlea speciem lentis referens rectà collocatur, hæc composito vocabulo græcè κοχλιάξων dicitur: eius extremitas demittitur in cauũ non penetrans prioris transuersarij: pars verò quæ cochleæ modo striata est, iuxta tympanum collocatur: quod supereſt ex eius longitudine per foramen transit, extremaq; parte baculum versans habet, quo torquetur, vt cochlea per id versata tympanum moueat: conuerso hoc axis versetur, quo moto funium capita, quæ extrà procedunt, ad intendendum ducuntur. Sunt item in Glossocomo opercula, vt quæ in eo sunt machinationes occultentur: tum quatuor annuli ad latera fixi, bini ab inferiori parte, totidem à superiori, ea de causa, vt alligari organum possit. Huius fabricationis autor est Aristion filius Pasicratis, siquidem aliter structum fuit à Nymphodoro. In

vetusta

vetusta enim structura extat cochlea non per transuersarium, sed, qua opercula sita sunt, traiecta: duas enim forfices ferreas ad latera affixa habet ad mediũ pertusas, quarum vna axi subijcitur, altera superponitur, vtraque à latere tympani collocatur: inferior angustius foramen habet, superior latius. Cochlea igitur ab ea parte, qua opercula sita sunt, traiecta, atque à forficibus contenta, alterum operculum sine impedimento clauditur: alterum claudi non patitur pars cochleæ, quam penetrare diximus, cuiq; baculum versans affigitur. Hoc itaque operculum medium transuersum in duas partes secatur, quarum altera manet immobilis, altera clauditur, atq; hęc media in longitudinem lunata figura exciditur, vt cùm operculum clauditur, lunatum eius cauum propositam cochleę partẽ excipiat. Hanc Nymphodori structurã non accepit Aristion, sed adiecit organo axem habentem tympana foraminaque, vt axis, qui in medio est, motus, vbi velis consistat, & vi minimè voluatur: transtulit item annulos iuxta prius transuersarium, ne organum à parte operculi, sed à parte prioris transuersarij alligetur: traiecit præterea funium capita per opercula, hæc quidem à superiori parte, illa verò ab inferiori. Quod quidem pertinet ad annulorum situm, vnà nobiscũ sentit: sed axem, quem adiunxit, tanquam superuacaneum reijcimus. Siquidem vnus axis ex robusta materia præparatus, quod opus est, abundè efficit. Sed cum glossocomi fabricationem absoluerimus, sequitur vt ad eius motum veniamus.

Gloſſocomi Nymphodori, clauſi & aperti, per literas declaratio.

A *Latera.* B *Tranſuerſarium prius.* C *Tranſuerſarium poſterius* D *Cauum non penetrans.* E *Axis habens tympanum in medio.* F *Foramina, in quæ funes conijci poſsint.* G *Funes duo.* H *Capitæ*

Nymphodori gloſſocomum clauſum.



H *Capita funium traiecta per prius transuersarium.*
I *Capita funium per posterius transuersarium traiecta.*
K *Cochlea speciem lentis referens.* L *Manubriolum.*
M *Quatuor annuli in transuersarijs.* N *Ferrea forfex.*
O *Pars operculi, quæ manet immobilis.* P *Pars operculi in lunatam figuram excisa.* Q *Axis habens tympana foraminaq;.*

Nymphodori glossocomum apertum.



De motu organi. XXV.

VBi humeri caput suo loco mouetur, præcipueque si in alam veniat, ad scalam eodem modo paratam, quo in Nilei Plinthio explicauimus, nunc pro Plinthio Glossocomũ alligetur, non ab operculis, ne sub cochlea habenæ abrumpantur, sed à priori transuersario, annulis prope ipsum affixis. Aperiantur item opercula, capitaq; funium ad axem alligata excipiantur, hæc quidem à superiori parte, illa verò ab inferiori: ac deinceps, vbi restituere volumus, subselliũ prope scalam ponatur, super quod homo ascendens brachium sic traijciat, vt indatur cuneus in alam. Circumligetur insuper humero charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens, eiusq; capita ducantur ad superiora funium capita, vt machinationum motu, aut directis ductionibus ab inferiori parte intendamus, aut alio intercedente motu, aut per duos contrarios motus interiectos, hoc modo. Laquei capita per inferiores trochleas traijciantur, & cum funium capitibus colligentur, quo rursus fit, vt machinationes motæ, alio intercedente motu ab inferiori parte extendant: verùm si per superiores laquei capita traijciantur, deinceps per inferiores demissa ad funium capita vinciantur, rursus machinationum motus per duos contrarios motus interiectos, ab inferiori parte extendit. Impulsus verò, quos deinde res postulat, fiunt, quemadmodum dictum est, vbi humerus in alam prolabitur, & per duplicem habenam extrahendo, & intentione remissa per manus sursum compellendo. Retulerunt alij organum hoc, vbi à superiori parte extendere volumus, idoneũ esse: transferunt enim ipsum ad superiorem partem supra caput, cuneumq; ad gradum adhærentem, solutum tamen, in alam conijciunt, deinde capita funiũ cunei,

ad in-

ad inferiora capita funium organi religant, & charchesium laqueũ humero injciunt, cuius capita deorsum adducta, ad imum scalę gradum immobilem deuinciunt, vt per hęc retinaculis adhibitis directis ductionib. à superiori parte intendant. Licet etiam, organo ab inferiori parte alligato, à superiori extendere alio intercedente motu: alligatis enim laquei capitibus, vt (quemadmodum dictum est) retinacula sint, cunei funium capita per trochleas traiecta cum superioribus capitibus funium organi vinciunt, vt machinationibus motis, alio intercedente motu à superiori parte extendant, aut laquei capitibus non amplius retinaculi vicem exhibentibus, sed ad funiũ organi capita alligatis, vel ad superiora directis ductionibus, vel alio intercedente motu ad inferiora idem præstent, cumque abunde extendunt, eosdem adhibent impulsus, quos paulò antè proposuimus. Quæ relata sunt, adscripsimus: probamus autem & in hoc, quod de Nilei Plinthio diximus, vbi scala erecta collocetur, intentionem ab inferiori parte adhiberi, cuneo ad scalam alligato: eam verò quæ vel à superiori parte trahit, vel in diuersa diducit, ex toto prætermitti, eiusmodi siquidem imbecilles sunt. Quòd si homo iaceat, sic interdum censui luxatũ reponi. Contentus sum propositis reponendi rationibus, exempli causa propter organi motum huc allatis. Omnia enim luxata per hoc quoq; instrumentũ reponi possunt, non secus ac per Nilei Plinthium. Vtriusq; machinationes sunt diuersæ, sed reponendi rationes eædem, sic, vt liceat ex superioribus vniuersum huius organi motum intelligere.

Trispastum Apellidis, seu Archimedis. XXVI.

ILlud in primis scire conuenit, quod neque Apelli-

des,neq; Archimedes medici fuerunt, sed architecti,qui machinamentū hoc excogitarunt(quemadmodum nos accepimus de historia)ad naues deducendas funibus nō per manus,sed per ergatā attractis,illius autem seculi medici eius structuræ modū minuentes trispastū organū medicinale ad luxata, fractaq; restituenda fabricarūt in hunc modum. Totum organū ex eorum genere est,quę oblonga quadrata nuncupantur,est autem hoc modo compactum: duo latera longa palmos quatuor,digiti crassitudine inter se coagmentantur per transuersaria longa palmos duos,crassa digitum. Latitudo potissimū posterioris transuersarij sex digitos æquat: prioris propter opercula palmos duos. Vt retulit autē Pasicrates, media latera excauata sunt, cauis nō nimis altè penetrantibus,quibus duo axes includuntur,rotas habentes in vicinia laterum. Vtriusq; axis rotæ perforatæ sunt,peruijs foraminibus, quæ non alia de causa facta sunt, nisi vt in ea funes immittantur, quorū ratio hæc est: Funes duo extrema parte nodum accipientes,coniecti in prioris axis foramina attrahuntur ita,vt nodi super foramina collocentur:tum funes circa suas vterq; rotas inuoluuntur,& per posterioris axis foramina traiecti nodū accipiūt. Posterior axis medius inter rotas foramen habet, in quod rursus funis conijci debet:sumit funis longus,qui ab vtraque extremitate nodū acceperit,deinceps per propositū foramen traijcit sic,vt nodus foramini iungatur,post hæc circa medium axem inuoluitur,quo facto altera eius extremitas per posterius transuersarium,quod medium perforatū sit, traijcit. At quid nunc fit fune traiecto? manu tractus euolutusq; posteriorē axem conuertit, quo cōuerso alia capita funium, qui extra procedunt,ducunt. Adhibent autē

funes

funes quatuor, duo, & item duo, atque ad hunc modum immittuntur. Sumuntur funes duo, qui extrema parte nodum acceperint, & per duo foramina prioris axis, quæ inter rotas sunt, traijciuntur, attrahunturq; sic, vt nodi foramina contingant, tuncque funium capita per prius transuersarium perforatum ab interiori parte versus exteriorem traijciuntur: aut prehenditur funis vnus duplex, cuius capita cõiecta in prioris axis foramina attrahunt, vt medius funis inter foramina statuatur, postea eiusdem funis capita traijciuntur per foramina transuersarij prioris. Duo item alij funes sumunt nodo extrema parte deuincti, hi per foramina inter rotas posterioris axis facta, & à medio foramine recedentia attrahuntur, qui deinde, vbi eorum nodi ad foramina peruenerint, tunc ducuntur traijciunturq; per posterius transuersarium perforatũ sic, vt quinq; nunc sint, funium, quæ extra ferunt capita, duo per prius transuersarium, tria per posterius. His posteriorib. manu attractis, inclusisq; funibus (vt dictũ est) inuolutis atq; euolutis, capita eorum, qui exterius ferebant, ducuntur, extenduntq; capita habenarũ, quibus di stenditur corpus. Huiusmodi organi structuram Pasicrates exponens reprehendit tanquã minimè efficacem: vniuersum enim organi opus consistit in ductione funis posterioris, qui manu attrahitur, ac nequit manus in restituẽdis luxatis vim tantã sustinere, præsertim vbi magni articuli sunt, & corpora robusta. Quamobrẽ organi structurã immutauit, duosque axes, qui inclusi erãt, ita struxit, vt penetrarent, & priorẽ, minorẽ exiguis capitib. extantẽ, posteriorem maiorẽ & longiora capita habentẽ, & ad prioris quidem axis extantia capita clauos cõfixit: posteriori verò vectes adiecit: demissis axibus duobus digi-

tis machinamentum in restituendo sic mouit. Habenas extendendis corporib. iniectas ad extantia prioris axis capita deligauit, vt posteriori axe conuerso prior moueretur, & euolutis inuolutisque funibus nerui extenderentur. Sed Aristion Pasicratis filius patri aduersatur, vt vetustam organi structurā ignoranti. In vetusta enim (inquit) organi structura, axes non mouebantur in laterum cauis, sed circa ferreos chodaces affixos lateribus in capreoli formam excauatis, quod videre licet in organis ad aquā hauriendam comparatis, quæ ob fabricationis rationem facilè conuertuntur, neq; tamen rotæ in se continent armillā, sed chodacē. Quoniā igit̄ axes per armillas mouent̄ circa chodaces, & rotæ per chodaces circa armillas axes promptè admodū uersabunt̄, atq; idcirco sine impedimento erunt, etiamsi funis manu ducatur. Ob id autem ipsum trispastum organū appellatū est, quoniā tres funes agunt, vnus quidem extrà ductus, duo inclusi. Hactenus ipse probabiliter scripsit, sed vera sunt quæ à Pasicrate adducuntur: non enim potest manus funem ducens bene restituere, sed fortasse monstrationis causa in ludo organum mouere: vis autem quæ in restituendo requiritur, per manū minimè poterit adhiberi. atq; ea de causa ijsdem omnibus factis quę in vetusta scriptura sunt ostensa, tertium axem organo adijciendum iudicauimus, cuius capita traiecta per latera essent, vt posterior axis nūc medius fiat, medius autem perforetur: in extantibus capitibus vectes demittantur, vel manubriola, aut bacula ductaria: medius verò funis posterior, vbi circa axem est inuolutus, traijcitur per foramen axis penetrantis, suoq; ibi capite alligatur. His ita constitutis conuersus posterior axis, ille inquam cuius capita extant, funem circa se inuoluit, quo fit vt medius

axis

axis moueatur, quo moto prior quoque axis mouetur. Tribus axibus conuersis, funium, qui extrà ducuntur, capita tenduntur, cum quibus vinciuntur habenæ quæ corpora extendunt. Habet item organum opercula, veluti glossocomum, ne machinationes oculis exponantur: atque item annulos ad latera affixos, quibus alligetur. Hæc est vniuersi trispasti fabricatio. Restituendi autẽ modi aptantur ijdem, quos posuimus in glossocomo, distat enim solum, quibus mouetur, machinationibus: prẽterea funium eadem est ductio, habenis ad eos alligatis. Sed iam trispasti fabricationem expli catam habemus.

Trispasti machinamenti Apellidis seu Archimedis per literas declaratio.

A *Duo latera.*
B *Prius transuersarium.*
C *Posterius transuersarium.*
D *Duo axes habentes rotas in vicinia laterum.*
E *Funes circa rotas inuoluti.*
F *Funis coniectus in foramen medium inter rotas posterioris axis.*
G *Funis duplex, cuius capita traiecta per foramina prioris axis, per prioris transuersarij foramina trayciuntur.*
H *Tertius axis, cuius capita traiecta sint per latera.*
I *Vectes in extantibus capitibus demissi.*
K *Anuli ad latera affixi.*

Triſpaſtum Apollidis ſeu Archimedis.



Fabri

Fabri organum. XXVII.

FAbri organum ad hunc modum fit: ſuper baſim, quæ κρηπὶς nominatur, pro organo dimenſam ſtatuuntur crura duo, quorum longitudo duos cubitos & ſemiſſem æquat, aut etiam excedit: latitudo implet digitos quatuor: craſsitudo tres. Crura hæc per duo tranſuerſaria inter ſe coagmentantur, altero ab inferiori parte, quod quinq; palmos à baſi recedat, altero à ſuperiori, qua crura finiunt. Inferiori tranſuerſario ſubijcit aſſer tranſuerſus, qui & cum laterib. organi, & cum tranſuerſario cómittitur, húc aſſerem ſedile cóſueuerunt omnes appellare, cuius medium ad tranſuerſariũ excidit ad effigiẽ κ. inuerſi, qua parte tranſuerſario infigit ẽneũ κ. Accómodatur tam cauum, quàm κ. demittendo priapiſco octo digitos longo. Inter tranſuerſaria ab interiori parte crurum canaliculi excauant, in quibus, dum luxata reponuntur, moueat quadrata teſtudo, ſpathã & cubitos mouens. Quandoquidẽ prior pars teſtudinis (frontẽ dicunt) peruio foramine pertundit, in quod radix conijcitur, cuius extremũ qua extenuat, ad poſteriorem teſtudinis partẽ per craſsitudinẽ traijcit. Propoſita pars radicis peruio foramine pertundit, per quod fibula demittitur, ne radix euellat, ſed manens in foramine torqueatur. Fibula autem in extrema radice ſcutulo ſuperpoſito includitur. Radix eò pertinet, vt ſpatham in organo ſuſtineat, habet enim organum ſpatham capitulo leniter cauo aſſurgentem, ita longã, vt à teſtudine ad ſuperius tranſuerſarium, quod caput nominatur, pertineat, & cuneati axis modo excedat. Huius ſpathę extremitas, quę contra capitulũ eſt, media in quadratã figuram exciditur, atq; in id cauũ includitur radicis extremitas lata, quę perforat. Perforat item ſpatha ab vno

latere ad alterũ,in quod foramen fibula demittitur, vt ſpatham detineat ad radicem. Ipſa verò teſtudo iuxta medium pertunditur foraminibus quatuor, vel ordine diſpoſitis,vel duobus à priori parte,totidem à poſteriori conſtitutis, quæ non alia de cauſa fiunt,niſi vt funes in ea indantur, vt in ſequentibus oſtendam.Medium caput,hoc eſt, ſuperius tranſuerſarium,in quadratam figuram excauatur,in quod cauum duplex trochlea inditur,quæ circa axiculũ verſatur.Habet item ſuperius tranſuerſarium duo alia caua quadrata peruia,nempe ab vtroque trochleę latere vnum,in quæ conijciuntur quadratæ cubitorũ partes:duo enim cubiti per ſuperius tranſuerſarium demittunt deorſum,& teſtudini inhærent,quæ quadrata caua in ſummo habet. Imas cubitorum partes quadratas tenuesq; architecti calces nuncuparunt: ſuperiores latas ac rotũdas,dixerũt alas.In alas ergo cubitorum,quæ ſuperius tranſuerſarium excedunt, & peruijs foraminibus pertuſæ ſunt,axis conijcitur, cuius capita vtrinque excedunt:medium cuneatum eſt:in extremis capitibus vectes ſunt,vel manubriola ductaria,quibus conuertatur.Alarum partes priores iuxta foramina & axis capita rurſus forantur, vt ſi quando opus ſit,in foramina fibulę demiſſæ ſeruẽt axem immobilem.Organo præterea iuxta crurũ extremitates alia duo ſunt adiuncta crura,vt ſi quando ſedilis vicem exhibeat,ſuper baſim atq; adiuncta crura iaceat.Verùm quia teſtudo per funem elata,& cubitos & ſpatham attollit,in ſequentibus qua ratione funis indatur,adijciam.Sumitur funis duplex,cuius capita per duo foramina, quæ vel iuxta cubitos ſunt,vel à priori parte,vel à poſteriori, vel in medio traijciuntur,vel ab inferiori parte ſurſum adducuntur ſic, vt medius funis inter foramina collocetur,

deinde

deinde capita sursum feruntur, & circa duplicem trochleam prioris transuersarij inuoluuntur, atque (vt dictum est) permutata deorsum procedunt, & ad clauos penetrantis axis religantur: continetur enim organo Fabri, alius axis coniectus in crura, quæ super transuersarium inferius digitis quinque interpositis perforata sunt. In axis medio duo claui sunt infixi: in extantibus capitibus vectes vel manubriola ductaria, quibus conuertitur axis, cuius conuersio per funes testudinem attollit, atque vnà cum spatha simul cubiti & axis, qui alis continetur, sursum feruntur ad luxata, quæ à superiori parte extenta in suam sedem collocantur. Huiusmodi est antiqua structura organi, quod ad Fabrum refertur autorem.

Fabri organa per literas declarata.

A *Basis.*
B *Crura duo.*
C *Transuersarium superius.*
D *Transuersarium inferius.*
E *Asser transuersus subiectus inferiori transuersario.*
F *Medium asseris excisi ad formam x. inuersi.*
G *Priapiscus.*
H *Canaliculi excauati ab interiori parte crurium.*
I *Quadrata testudo.*
K *Spatha.*
L *Cubiti.*

M Prior pars testudinis peruio foramine pertusa.
N Radix.
O Fibula demissa per radicem.
P Capitulum spathæ cuneati axis modo.
Q Extremitas spathæ in quadratam figuram perforata.
R Foramina quatuor testudinis.
S Duplex trochlea indita in cauum superioris transuersarij.
T Caua duo quadrata superioris transuersarij, in quæ demittuntur cubiti.
V Imæ partes cubitorum quadratæ.
X Superiores cubitorum partes rotundæ quæ alæ dicuntur.
Y Axis in alas cubitorum demissus.
Z Fibulæ demissæ in alas perforatas, quæ axem immobilem seruant.
a Alia duo crura adiuncta.
b Funis duplex.
c Alius axis, qui in cruribus continetur.
d Vectes, quibus conuertitur axis.
e Trochleæ binæ ad basim.
f Binæ trochleæ ad summa crura.
g Cuneus.

Fabri

Fabriorganum.



Fabri organum.



De mo-

De motu organi. XXVIII.

CVm erecta organa comparen̄t ad reponendū humeri caput excitando, & alijs quoq; modis idonea ſint, de humeri capite reſtituendo tractare cōſtitui: ordiar autē ab eo caſu, ſub quo in alam prolabit̄. Verùm vt organi motum perfectū habeamus, quaternæ trochleæ organo adijcientur, binæ ab inferiori parte, qua baſis ſurſum ſpectat, totidem à ſuperiori ad ſumma crura. Vbi ergo luxatum reſtituere volumus, cuneata pars axis primum lana vel linteo circundetur, ſubſelliumq; iuxta organum ponatur, ſuper quod homo aſcendat: deinceps vinciantur crura quidem habena inter ſe, ſed integrum brachium extentum, ad latus: in foramina autem alarum indantur fibulæ, vt axis ſeruetur immobilis, vſquedum eo moto opus erit. His ita conſtitutis brachium ſuper axem imponatur, atq; vbi cuneata pars axis in alam coniecta ſit, laqueus charcheſius, vel alius æqualiter extendens humero inijciatur, eiusq; capita deorſum adducta, ad clauum eius axis, qui cruribus annectitur, alligentur, ſune non amplius indito, quemadmodum in organi fabricatione retulimus: axis conuerſio directa ductione ab inferiori parte extendet, id quod etiam, alio intercedente motu, ad hunc modū fit. Laquei capita primò per inferiores trochleas traducuntur, inde ſurſum data ad clauos axis alligan̄t, vt hic verſatus propoſitā intentionē moliatur. Idem quoq; efficitur duplici contrario motu interiecto: laquei enim capita per inferiores trochleas traiecta ad ſuperiores feruntur, inde ad axis clauos vinciun̄t, vt duplici contrario motu interiecto ab inferiori parte extendant. Tales ſunt modi, quibus ab inferiori parte intendimus. Si quis autem à ſuperiori intendere voluerit, ſune in teſtudinem coniecto, veluti in

Organum, quo humeri caput, cubitus luxatus. &c. restituitur, expressum.



organi ſtructura poſuimus, laquei capita deorſum adducat, & tanquã retinacula ad aliquid immobile deuinciat: poſt hęc axem cõuertat: quo conuerſo te ſtudo alio motu intercedente, per funem elata à ſu periori parte intendet. Ex his quoq; ille modus cõprehenditur, qui in diuerſa extendit, hic non amplius requirit, vt capita retinacula ſint, ſed ab interiori parte ad axis clauos vinciantur, vel per ſe vel alio motu intercedente, vt per vnum machinationis motum, propoſitus extendendi modus adhibeatur. Seruetur autem in intendendo axis immobilis, quemadmodum declarauimus. Poſtquàm abundè intenderimus, fibulæ, quæ moueri illum non patiebantur, recipiendæ ſunt, atque ipſe per vectes vel manubriola ductaria conuertendus, vt cunea aliqua ex parte inclinato, extrahendo impellamus, ſicut in alijs organis oſtendimus: poſthæc dum reſtituimus humero deorſum intento, miniſter à poſteriori parte aſsiſtens, manus det ad ceruices hominis, vt corpus verſus pedum regionem cogat in contrariam partem. Verùm, vbi reſtituimus, miniſtro id prẽſtante, quod oſtendimus, ſubſellium pedibus hominis ſubiectum ſubtrahatur, vt ipſe ſuſpendatur ab organo, tum (vt alibi dictum eſt) eodem momento, quo ab inferiori parte extendimus, atque excitamus, per cuneum extrahendo impellemus, deinde intentione remiſſa ſurſum cogemus, vtraque manu membro comprehenſo, &, vt in ſuum locum recondatur, elato. Hac igitur ratione humeri caput in alam prolapſum reſtituitur.

Verùm ſi in priorem partem aut poſteriorem veniat, vertere ſic axẽ oportet, vt quod ex eo cuneatũ eſt, deorſum ſpectet, ſurſum, quod æquum eſt: hoc ſiquidẽ nunc aptatur ad reponendũ humeri caput,

quod in propositas partes eruperit. Eo facto homō super subsellium, quod iuxtà sit, ascendens brachium superponat sic, vt axi insidat: eædemq; intendi rationes adhibeantur, quæ traditæ sunt vbi in alam excidit. Neruis abundè diductis impulsus conuenit, quem in aliorum organorum motione monstrauimus.

Sed si neque cubiti sint, neque axis in alas coniectus, humeri caput in alam prolapsum ita restituit. Agitatur spatha sic, vt capitulum eius, perinde atq; cuneata pars axis superius transuersarium excedat, tum duplex habena media inter spatham & transuersarium datur, cuius capita ab exteriori parte pendent. In restituendo autem, æger ad organum assistens, brachium super transuersarium imponit sic, vt spatha in alam indatur, post hæc charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens humero injicitur, cuius capita deorsum demissa ad transuersarium vt retinacula deligantur: fune ad testudinem dato axis conuersus testudinem, cumq; ea spatham attollens à superiori parte extendit. Aptatur item ille extendendi modus qui in diuersa ducit: laquei capita mutata ad axem alligantur, tunc siquidem cō uersus axis in diuersa diducet. Postquàm satis extenderimus, duplicis habenæ capita continenda sunt, & per hanc ipsa spatha, vt per spatham extrahendo impellamus. Quo facto intētio remittenda est, mēbrumq; sursum adducendum, vt quamcelerrimè in suum locum articulus collocetur. At si organum nō spatham habeat, non cubitos, non axem illis contentum, humeri caput in alam veniens per cuneum sic reponi debet. Cuneus in quem funes coniecti sint, superiori trāsuersario insidat, & per funes ad ipsum vinciatur: deinceps æger brachium superimponat,

cuneusq;

cuneusq; in alam conijciatur, quo coniecto laqueus charchesius humero circumligetur, eiusque capita deorsum demissa dentur ad axem, qui cruribus continetur, vt axis versatio ab inferiori parte extendat. At vbi satis intenderit, impellere oportet, velut in alijs organis demonstrauimus, aut extrahendo, aut sursum cõpellendo, qui modi cùm ab inferiori parte extendimus, potissimũ ad rem pertinent. Placuit alijs per testudinem ita reponere: funem primò resoluunt, ipsumque duplicant, cuius duplicati capita per duo testudinis foramina traijciunt, à superiori parte deorsum, & ad inferioris axis clauos alligant: attollunt itaque testudinẽ propè superius transuersarium, tuncq; restituendum brachiũ superinijciũt, cuneumq; in alam demittunt, post hæc brachiũ per palmam iuncturã ad testudinẽ vinciunt. His ita constitutis, inferior axis conuertitur, testudoq; à subiecto fune deorsum versus attracta ab inferiori parte ducit. quo pacto intentio quidem ab inferiori parte adhibetur, sed humero ad testudinem alligato prohibetur conueniens impulsus.

Cubito in illas tres partes elapso, vbi brachium curuatur, interiorem inquam, exteriorem, & posteriorem, iuxta organum ab omni parte præparatum stare æger super subsellium debet, atq; axis cõuerti sic, vt pars eius, quę cuneata est, deorsum spectet, sursum quæ æqua, dehinc brachium dare super axem. Quo facto humerus ad axem per palmam iuncturam deligandus est: brachio verò in vicinia manus inijciendus est laqueus inęqualiter extendens, eiusque capita sursum adducenda, & ad alam, vel ad extans caput axis è regione alligãda: brachio sic ad rectum ãgulum figurato, habenæ vel latæ fasciæ mediũ ad eam regionem detur, quæ proximè sub cubito est,

cuius capita deorsum ad axem porrigantur. Quòd ad extendendum pertinet, ijdem modi conueniunt, quos, vbi humeri caput restituitur, ostendimus, nũc siquidem licebit, vel continendo, & à superiori parte extendendo, vel in diuersa ducendo vim adhibere, qua abundè adhibita eadem impellendi ratio accõmodatur, quæ tradita est, vbi de aliorum organorum motu pertractauimus. At si cubitus in priorem partem moueatur, in quo casu brachiũ extenditur, membro superimposito, humerus ad axem deligetur, tunc charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens brachio inijciatur, eiusque capita deorsum ferantur, eadem intendendi ratio adhibeatur, pòst idem impellendi modus expeditissimus, quẽ in tractandis organis demõstrauimus. Propriè autem spatha plurimùm videtur ad cubitũ restituendum pertinere. Videamus autem, quo modo vbi neque cubiti in organo sint, neque axis in alis contineatur, opus hoc efficiendum sit. Funis igitur resoluitur, duplicaturque, & eius capita per duo foramina testudinis à superiori parte deorsum traiecta, ad axis clauos alligantur. Testudo autem, cum spatha propè superius transuersariũ attollitur, dein spatha torquetur, & brachium super transuersarium, cui lana circumdata sit, imponitur, humerusq; ad transuersariũ per palmam iuncturam alligatur, brachium verò ad spatham toto membro curuato. Cõuertitur igitur axis cruribus contentus, testudoque deorsum versus à fune coacta spathã similiter deorsum adducit, sicq; ab inferiori parte intendimus. At vbi satis extenderimus, aptatur impulsus, quem paulò suprà posuimus, si in exteriorem vel interiorem partem cubitus elabatur, adducendo: si in posteriorem, extrahendo. Porrò ab inferiori parte extendere possumus, impulsu

pulsu aũt, eò quòd brachiũ deuinctũ sit, ad spatham extrinsecus prohibemur, nisi cùm radix euelli ex foramine posit, extrahẽdo impellamus. Magis autem accómodatur spatha, vbi cubitus in priorem erupit, quem si restituere velimus, funẽ demittere similiter oportet, sinereq; vt spatha dependeat, deinde membro superiniecto, humerũ ad transuersariũ deuincire, brachium verò ad spatham, post hæc ab inferiori parte extendere, vi, quantùm res postulat, adhibita impellere, antè quidem premendo, tum circumducendo, spatha cum brachio torta, curuataque premendi causa. Hactenus de cubito luxato.

Ex *Ruffo scamnũ Hippocratis.* XXIX.

HIppocrates maximè admiratione dignus multis in locis suũ organũ ξύλον appellauit, in quibusdã etiã σχεδίαν: recẽtiores id βάθρον, id est, scamnũ, dixerũt, eoq; affixis crurib. & pro organo & pro scamno vsi sunt, struitur aũt sic. Paratur lignũ sex cubitos longum, latum duos, nouem digitorũ crassitudine, resupinaturq;, & quatuor alia ligna pedem longa extrẽmis partibus rotunda, duo scilicet & duo cuius eius extremis iungunt, huiusmodi ligna, quæ φλιαὶ, ab Hippocrate vocantur, in latitudine peruijs foraminibus pertunduntur, quibus continentur penetrantes axes in medio clauos habentes, & in extantibus capitib. manubriola ductaria ad cõuertendum. Totum lignum in medio vsque ad alteram partem quatuor digitorum spatio iniecto caua habet, quorum altitudo pariter & latitudo treis digitos æquet: caua hæc Hippocrates κατίτενς nuncupauit. Medium præterea lignum altè in quadratam figuram excauatur, quo scalmus demittit, qui priapiscus vocatur. Alias item φλιὰς in medio ad similitudinem

Scamnum Hippocratis.

A *Lignum quadrãgulum sex cubitorum, latitudine bicubitali, crassitudine dodrantali.*
B *Postes breues axes habentes.*
C *Fossulæ.*
D *Lignum teres in medio cauo infixum.*
E *Postes pedales lignum transuersum tanquam scalæ gradum continent.*



literę π, non inutiliter adiectas. Structura igitur, Pasicrate autore huiusmodi est, cui deinceps subdam, qua ratione moueatur scamnũ Hippocratis, quod, vbi vetustam structuram habeat, homine iacente, ad luxata omnia restituenda idoneum est, vt dum singula exequar, declarabo.

De maxilla restituenda. XXX.

MAxilla excidente, siue ab altera parte, siue ab vtraq; homo resupinatur sic, vt caput iuxta axem, qui ab eius parte est, collocetur, brachijs ad pectus, atq; abdomen alligatis, cruribusque inter se, & omnibus ad scamnum organum deuinctis. Tum capiti ea iunctura imponitur, quæ lepus auritus dicitur, eius que sinus

sinus ad ea ligna, quæ proximum axem sustinent, vt retinacula sint, deligantur: media habena in os inditur, quantùm potest intima, iuxta eam regionẽ, qua maxilla cum malis cómittitur, inter dentes maxillares, eiusq; capita deorsum demissa ad axem, qui à pedibus est, alligantur, aliaque habena media mentum complectitur, & in vtranq; partem vltra caput adducta ad axẽ, qui super ipsum est, diducendi causa deuincitur. His ita cõstitutis, inferior axis torquetur, vt continendo, & ab inferiori parte extendendo vis adhibeatur. Postquàm intenderis, quantùm res ipsa postulat, ad eos impellendi modos venies, quos in opere de articulis exposuimus. Si maxilla quidem ab vna parte exciderit, tria efficies, adduces, premes & sursum compelles: sin ab vtraq; extrema mota fuerint, premere conueniet, & sursum compellere. Hæc de maxilla, nunc venio ad humeri caput.

A *Iunctura lepus auritus.*
B *Sinus leporis deligati ad ea ligna, quæ sustinent axem proximum, vt retinacula sint.*
C *Habena, quæ media in os inditur.*
D *Capita habenæ alligata ad axem qui à pedibus est.*
E *Alia habena, quæ media mentum complectitur.*
F *Habenæ alterius capita diducendi causa ad axem deuincta.*



De

De *humeri capite in alam prolapso.* XXXI.

VBicunq; humeri caput restituimus, si in alam vel in priorem partem venerit, resupinare hominem debemus: si in posteriorem, pronũ collocare. Vbi ergo in alam prolapsum restituimus, cuneus eò immittendus est, sic, vt qua capitulum assurgit rotundum ac leniter cauum, in priorem partem spectet, qua æquus est, in posteriorem: expedit autem cuneum, vt mollior sit, linteo vel lana inuoluere. Omne enim lignum (autore Hippocrate) durum est, & tactu lædit, atque hac de causa potissimùm lana circundatur. Adde quòd hæc sudorem absorbet, qui in ala oritur, & ob curationis metum, & ob calorem eius partis naturalem, qui ad diducendum confert: & ꝙ cuneum labi non patitur. Deinde funiũ capita, hæc quidem à priori parte, illa verò à posteriori super caput ad axem adducenda. Media item habena sub ala inter cuneum & humerum danda est, vel (vt alijs placuit) inter cuneũ & latera, eiusq; capita ab exteriori parte attrahenda. Ipsi autem humero charchesius laqueus, vel alius æqualiter extendens, inijciendus non qua laceratus est, ne cum neruosus sit, si adstringatur, doleat: sed suprà vel infrà. Pleriq; superiorem regionem anteponũt tanquam magis idoneã, quod proximè ad articulum accedat, sed locus hic ad curationẽ minus accõmodatur, prohibet enim rectum impulsum. Sub musculo igitur deligandũ censemus, & ob hanc causam, & propterea quòd locus, qui iuxta adstringitur, ægrè laxatur, quę verò mediocri interiecto spatio attrahuntur, facilè sequuntur. Expedit autem, vt laqueus mollius incidat, humerum lana obuoluere, deinde laqueum inijcere: tubercula enim cubito subiecta prohibẽt, quò minus laqueus

ſub extendentiũ vi deorſum labatur. His ita cõſtitutis, laquei capita deorſum demiſſa, è regione ad axis clauum alligãda ſunt, vel circa ipſum obuoluta, vel nodo inter ſe deuincta: magis aũt ad rem pertinent, vbi inter ſe alligato clauo circumponuntur, tunc ſiquidem opus ſuum firmius præſtant: neceſſe autem eſt, vel continere, & ſeu ab inferiori, ſeu à ſuperiori parte extendere, vel per organi axes in diuerſa contendere. Abundè vi adhibita, primùm conuenit impellere, per duplicem habenam extrahendo: & eodem, quo extrahimus, momento cubitum altera manu ab exteriori parte in interiorẽ agere, intentione adhuc manente: tum hac remiſſa laxataq́; , manibus ſurſum compellere. At ſi caput humeri in priorẽ partem moueatur, hominem ſupinum collocamus: pronum, ſi in poſteriorem, cuneoq́; omiſſo, medium duplicatæ habenæ lana inuolutum ſub alam demittimus, capitaque eius ſupra caput adducimus, non è regione humeri vitiati, ſed verſus contrariam partem, homine reſupinato, ſi in priorem partem articulus exciderit. Quæſita autem cauſa eſt, quamobrem id fiat: Paſicrates quidem id propterea fieri dixit, ne humerus detineatur habena è regione ſurſum verſus attracta: recentiores non ea de cauſa, capita obliquè ducenda eſſe dixerunt, ſed ne corpora, quibus ala cõtinetur, compreſſa lati ſcapularum oſsis ſinum impleant: nobis verò cum omnibus conuenit, capita obliquè danda eſſe ad contrariæ partis ligna, quibus axis contiuetur. Rurſus autem humero charche ſius laqueus inijciatur, vel alius, qui æqualiter extendat, eiusque capita deorſum ad axem qui à pedibus eſt, demittantur, vt vel retinaculis adhibitis ab inferiori parte intendamus, vel (ſi placeat) in diuerſa contendamus. Conuenit autem impulſus, quem ad-

admodùm ſuprà declarauimus manibus præcipuè adducendo, comprimendoq; . Similiter autem vbi humeri caput in poſteriorem partem moueatur, homine prono eadem moliri cõuenit, quæ, vbi in priorem venit, tradita ſunt. At vbi ſatis extenderimus, manibus premere, & adducere, & ſurſum compellere neceſſarium eſt.

A *Cuneus.*
B *Funium capita ad axem ſupra caput adducta.*
C *Habena media inter cuneum & humerum data.*
D *Charcheſius laqueus humero iniectus.*
E *Laquei capita ad axem, qui à pedibus eſt, alligata.*



De

De *humero luxato cõminutoq;*. Cap. XXXII.

NOnnunquàm accidit, vt prolapso humero fractura quoq; adijciat membro medio cõminuto, in quo casu recondere articulum oportet, & fracturã componere. Quod ad reponendum pertinet, retinaculo vti expedit, & à superiori parte extendere: quod ad fracturã, similiter vti retinaculo, & ab inferiori parte attrahere: sed antè restituere quod prolapsum est, oportet: deinde quod fractum. Ergo vbi volumus, quod prolapsum est condere, cuneum in alam indimus, capitaq; funiũ super caput attrahimus, ac mediam habenam inter cuneum, & humerum demittimus, cuius caputab exteriori parte procedat. Tum infra cuneũ ac super fracturam charchesiũ laqueum inijcimus, eiusq; capita deorsum ad ligna, quæ axem sustinẽt, ad retinendũ, alligamus: sed funiũ capita ad axem, qui super caput est, vincimus, vt eo cõuerso & contineamus, & à superiori parte extendamus. Neruis abundè intẽtis per cõuenientẽ impulsum articulum restituimus: quo facto, laquei capita super caput data, retinacula fiunt, & alter laqueus, æqualiter extendens, cuiusmodi charchesius est, humero injicit, cuius capita demissa ad axẽ, qui à pedib. est, vinciunt vt & retinendo, & à superiori parte extendendo vis adhibeat. Neq; nunc est quod timeamus, ne fractura ab inferiori parte attracta repositus articulus excidat: siquidẽ, cùm à superiori parte tã à cuneo quàm à superiori laqueo retineat. Vi satis adhibita fracturam manib. cõponimus, quemadmodũ sæpius indicauimus. Quòd si humeri caput in priorẽ vel posterio rem partem venerit, vbi restituitur, easdem animaduersiones desiderat. Hactenus de humeri capite.

De cubito. Cap. XXXIII.

CVbito in illas tres partes elapso, in quas vbi venit brachium curuũ est, neq; extenditur in interiorem, exteriorẽ, & posteriorem, homo super organum resupineĩ, quo cõmodè figurato charchesius laqueus, vel alius æqualiter intendens humero circundetur, cuius capita vt retinacula sint, sursum super caput vinciantur, brachio autem in vicinia manus laqueus injiciatur, qui inæqualiter extendat, puta Attollens, Chiastus, aut Nauticus, cuius capita sursum adducta ad ligna, quibus axis continetur, religenĩ, vtrunque scilicet ad id, ad quod spectat è regione sic, vt cubitus cum humero ad rectum angulum figuretur. Tum duplicatæ habenæ, seu latæ fasciæ medium ad brachium dentur iuxta cubiti iunctura, cuius capita ad axem, qui à pedibus est, vinciantur. Datis igitur capitibus laquei, ad superiora, duplicatæ habenæ, ad inferiora, binisq; axibus vno super caput, altero iuxta pedes collocato, vim adhibebimus, vel cõtinendo, & à superiori, vel inferiori parte attrahendo, vel in diuersa ducendo: eaque ratione impellemus, quæ reponendo articulo idonea sit. Vbi in interiorem vel exteriorem partem conuertatur, adducemus: vbi in posteriorẽ, extrahemus. Quòd si in priorem partem articulus elabatur, in quo casu curuari extentum brachium nequit, homo supinus iaceat in vitiatam partem inclinatus, brachio super scamnum extento charchesius laqueus humero injiciatur, cuius capita super caput procedant, extremo item brachio in vicinia manus alius detur laqueus, qui æqualiter extendat, cuius capita deorsum attrahant, item eadem vis adhibeatur, nempe retinaculis, & intentione à parte inferiori. Equidẽ satius duco in diuer-

COrpus, cuius cutis densata sit ex frigore, vel ex balneo aluminoso, cognosces ex colore albo,& cutis duritie, & eò quòd ægrè incalescat:& quòd soliti sudores non erumpant.Curabis autem calefaciendo tum exercitationibus, tum lauacris, siq́ue imperaris, vt circa lapidem quempiam in balneo se conuoluat, & oleo relaxante perfundatur. Cæterùm aqua, quæ in solio sit, non admodum frigida esse debet, neque ægrotus in ea morari diutius. Vbi se lauerit oleo dulci, tenuium partium, & vetere vngatur.

tur. præstantissimum verò est anethinum, præsertim quod ex anetho viridi sit confectum. præterea verò ad cutis densitatem, sicut etiam ad vehementes lassitudines accómodatissimũ est acopon, quod ex populo nigra conficitur.

De *ijs, quos exercitatio & balnea à cibo admota lædunt.* Cap. VII.

PLerisque autem, qui cibo expleti se exercuerunt, non mediocres noxæ acciderunt, cùm & caput repletum, & iecur obstructum esset. ergo statim adhibenda curatio est, ac capiti quidem deambulationibus, ijsq; à cibo tardissimis, ante cibum verò lenibus quidem, sed contentioribus. iecur verò curandum est ijs, quæ aperiũt. quo in genere maximè præstat oxymel, & medicamentum ex tribus piperis generibus, quod simplicius sit. præterea verò dilutum, in quo absinthij coma maduerit, potui datum prodest. & item anethi, & amygdalarum amararum cum oxymelite. atque ante balneum, cùm ea quæ ventre continentur, confecta sint, medicamentum ex calamintha pari modo cum oxymelite sumendum erit. à cuius frequenti vsu cauere debent, qui amaræ bilis sunt. Vitanda quoque erunt omnia edulia, quæ crassum, glutinosumque succum faciunt, vsque dum cessarit affectio. vtendum verò erit attenuantibus.

De *ijs, qui non exercentur, sed solùm epulis uacant.* Cap. VIII.

VIdemus plerosque, qui corpus non exercent, sed solùm epulis vacant, quorum nonnulli non sæpe in morbos incidunt: cùm raro sint corpore, quodque facilè perspiretur. atque hos quidem ad aliud vitæ

genus traducere non conuenit. At in ijs, qui continenter morbis corripiuntur, morborũ causæ prohibendæ sunt. huiusmodi autem ex corpore existũt, vt plenitudo, & humorum malitia. ergo in quibus plenitudo celeriter congregatur, quantitas imminuenda est alimentorum: in quo illud quoque seruandum est, vt pro cibis valentis materiæ, offerantur qui imbecillæ materiæ sint. Qui verò malitiam humorum coaceruãt, quorum alij pituitam, alij flauam bilim, alij atram cõdensant, debent abstineri ab ijs alimentis, quæ incrementũ humori consueto afferant. horum autem omniũ ita aluus comparanda est, vt facilè deijciat.

De euacuationibus, quæ sanis conueniunt. Cap. IX.

VEteres nonnulli existimarũt satis esse ad bonam valetudinem tuendam, si quotidie aluus inaniretur, vrinaq; sine vitio procederet: atq; eius tantum, quanta esset esculentorum, poculentorumq; copia. hæc si non fiant, succurrendum est. atque vrinæ quidem ciendæ est sandix, apium, fœniculum, & asparagus. aluũ porrò subducit terebinthina ad oliuæ magnitudinẽ dormitum euntibus in catapotio data. Si quis subducere magis velit, parũ nitri adiungat. Iam verò ad aluum leniendam faciunt etiam olera quædam, vt beta, & malua, & brassica, & iusculum conchularum. ac fortasse hæc satis sunt, si nihil, quod magni faciendum sit, prohibeat. Sunt etiam quibus vehementioribus sit opus. sed & præter ea, quę modò diximus, cient vrinam petroselinũ, daucus, anisum, calamintha, origanũ, absinthium, gramen, cardui radix, cythisus, atq; adiantũ. singula aũt ex aqua elixantur, atq; ex vino potui dantur. sanguinẽ enim per

per vrinas purgãt:nec minori sunt adiumẽto, quàm quis cogitatione cõplectatur.Mouent autem aluum mercurialis, in aqua ex sale elixa, & in cibo sumpta, itemq; eius decoctum potui datum : simili quoque modo actę folia,& polypodij radicis drachmæ duę, quæ salsamento insperſæ, &in ptisana absorbeantur. Sunt qui aloës post cœnam sumunt quantùm tria ciceris grana, & quotidie eis vẽter rectè secedit:quẽadmodum faciunt, qui cnicum obsonijs indunt.horum omnium optimum epithymum est in vino potum.Cæterùm qui vult hoc bibere,cœnare quidem debet, vt solitus est,sed tamẽ parcius,& ita quiescere : siquidem leniter euacuat.qui verò vehementius erit euacuandus,is matutinus bibat epithymi drachmas binas in oxymelite.id verò fiat verno tempore, sub initium,prius quàm succi redundantes, per hyemem collecti, qui hactenus cõstiterunt,efferuescãt, effundanturque, & ad particulam aliquam ijs suscipiendis expositã confluant:aut affectionẽ quandam immedicabilem, aut periculosam afferant. Expedit etiam verno tempore sanguinem mittere ijs,in quibus eius redundat copia : sed hoc negotium cõmittendum est hominibus, qui se in vena secanda exercuerint: quorum sunt vbique quamplurimi.quocirca tibi abundè suppetent. Si tales non adsint, tibias tibi scarificato, vt Apollonius Pergamenus censet, atque ita quod opus est, conficies.nam hoc&totum corpus leuius reddit, & capiti prodest vel maximè: neque magnam requirit diligentiã,& menstruas mulierum purgationes suppressas irritat. Iam verò ijs, in quibus malitia humorum inest,& quibus propter superfluorum acrimoniã exanthemata in cute oriuntur,quiq; morsum in lotio, stercoreq; eijciendo sentiunt,confert lac melli admistum bibere, itemq; se-

rum lactis, quod elixando à caseo distingues, si post quàm efferbuerit, vinũ aut mulsam inspergas, & colo traijcias. qua sanè ratione caseus separabitur. sed primùm potui dandum est sale iniecto: facit enim sal vt serum partes corporis celerius permeet. Vbi primùm secesserit, secundo loco bibere iam sine sale poteris: idq; per exigua interualla, donec satis fuerit facta purgatio. sufficient autem ad bibendum modera tè, seri heminæ quinque. Præterea sic affectos iuuat veterum gallorum ius potum. plerisq; auxiliantur etiam vomitus, quibus pituita abundè vacuatur. Sed tamen huius rei non est ordo statuendus, neq; perpetuò vtendum euacuatione est, ne, si qua necessitas cogat hoc omittere, aliqua noxa subsequatur. Est ergo necessariũ, si nimio vino se ingurgitauerint, euomant: aut si nimiùm se cibo expleuerint, aut deniq; si alia æqualis omnium humorũ redundantia totum corpus occuparit, vt vomant. huius autem paris omniũ humorũ abundantiæ signa sunt hæc, grauitas cũ pondere ac mole cõiuncta, fastidium, pigritia, somnus solitò maior, palpitationes corporis, venarum, & intestinorum, horrores inordinati calori cõmisti: hæ enim præcipuæ notæ sunt plenitudinis, qua totum corpus occupetur. Ad hæc si vomere quispiam velit, paranda pituita est, vt tenuis sit, & facilè fluat: quod fiet, si radiculas in cœna sumat, aut porrũ, aut cepas, aut salsamentũ, aut parum origani, aut retrimentum thymi, & sinapi. Sorbitio quoque paretur ex ptisana, eiusq; lomento: carnibus vescatur hœdinis, aut agninis, aut suillis. mel etiam & placentas gustet. vinum autem dulce non purum bibat. tum id spatij post cœnam interponat, quo cibus in stomacho consistat, nec dum incipiat concoctio, postea aqua tepida affatim prius pota vomat. ac si opus sit præ-

præterea tali remedio, idē faciat, vbi probè satisq; euomuerit, posca facies, totumq; corpus abluatur, id quod oculis & dentibus mirum in modum prodest. putrescunt enim vomentibus dentes, nisi id faciant. aquam deinde calidiorem bibant, & quiescāt: interim verò pedes ab aliquo placidè fricētur. Si verò magna cum difficultate quis vomat, melius erit, vt ne ei vomitus cieat. Sed si necessitas vrgeat, tum deniq; vomendum erit: & præter ea quæ suprà memoraui, comedat etiam peponis, aut cucumeris semen, ex melle: aut peponis radicē siccam, & tritam ex melle. nam hæc facilem vomitū parant. ac vacuationes quidem ex medicorum sententia ita fieri plerunque possunt

De uictus ratione, quæ singulis temporibus conueniat Cap. X.

RECtè autē fiet, si dieta sic instituatur, vt anni temporum habeatur ratio. Hyeme igitur multi labores subeundi, & maiore cibi copia vtendum, præsertim verò, si borealis constitutio sit: si verò austrina, pares esse labores debent, at cibi potusq; pauciores: ac totum etiā corpus siccandum, cùm humida tempestas sit. veluti cùm frigida est, calidiusq; est reddendum labore, vsu carnium calidarum, quibus vescamur, & olerū acriorū, & largiore vini potu. Ineunte vere alius vomitibus, alius per ventrem euacuetur, alius venæ sectione sanguinem detrahat. quæ remedia sumat quisque pro cōsuetudine, & vt ei propensus est animus: videmus enim plerosque prudentes esse, ac scire quid eis quandoq; cōducat, atq; etiam medicos admonere, vt venam secent, aut quid aliud vtile efficiant. ita est hominū natura comparatum, vt recto quodam motu ad hæc obeunda feratur, &

ducatur. victus autem ratio verno tempore cõmutetur, vt & labores minuantur, & à cibis detrahatur, potus verò, quia tempus calidius est, augeant. Aesta te autem quies confert, itemq; laborum, atque alimentorũ diminutio. Porrò alimenta frigidioris materiæ sint, & potus sit liberalior: omniaq; fiant, quæ ad refrigerandum, & humectandum pertinent. Autumno autẽ, cùm is sit omnino inæqualis, atq; inordinatus, & morbos omnis generis afferat, magna diligentia adhibenda in ratione victus est, ne quid erroris in concoctionibus, in rebus venereis, in frigido potu cõmittatur. Sed temperantes in his omnib. mortales sint: declinent enim aëris intemperiẽ, qui manè frigidus est, atque ardens meridie: nec fructibus autumnalibus se expleant: quippe qui non solùm copia, sed etiam malitia humorũ, & flatu, quem gignunt, officient: cùm præsertim quæ hisce fructibus maximè præstant, ficus & vuę flatum creent: nisi ante alios cibos sumantur, atq; etiam alia alimenta vitiant. at præsumptæ neq; flatus cient, neque alios cibos vnà secum corrumpunt. Vbi aër sit factus frigidior, tum corpus proportione calefacit, & omnia ita facit, vt cùm hyems proxima est. Post æquinoctium verò proderit aliqua ex prædictis euacuationib. vti, vt nihil superuacaneum hyemeretentum molestiam afferat. atque ita quidem habita temporum anni ratione, vitam poterit ritè quispiam instituere.

De *senum victus ratione.*

Cap. XI.

SEnes, quia frigidæ siccæq; temperaturę sunt, calefieri, & humectari postulant. & à somno fricentur ex oleo: hęc enim vitale robur excitant: deinde verò vtantur deambulationibus, quæ lassitudinem non afferant

ferant,& gestationibus, quæ eorum viribus conueniant:atque imbecilliores quidem solùm gestentur: robustiores verò, vtrunque faciant. Ergo qui citius imbecillior fiat,hæc munera obeat. in quo illud etiã est tertio loco obseruandum, vt senes paulatim comedant, vt inquam tertia hora panem sumant cum optimo melle, aut alicam ex aqua coctam, melle admixto:septima verò lauentur,tum prandeant,atque in primis sumant quæ aluum leniunt: deinceps ea, quæ probi sunt succi:tertio loco post prandium panem vino temperato madidum, aut aliquid aliud, quod optimi succi sit,& difficulter corrũpatur,adijciant.Iam verò senibus neque vina,neq; edulia crassi succi, offerenda sunt: quoniam frequens ipsorum vsus vel aquam inter cutem, vel lapidem in senibus gignit,cùm & iecur,& lien,vel etiam renes obstruãtur.Si verò potione, quæ ex vino melleq; cõficitur, vti velint,vtantur:præsertim si lapide renum,aut podagra,aut articulorum doloribus infestentur.atque in doloribus quidem articulorum satis erit ei vino mulso petroselinum admiscere:in calculosis verò bestonem herbam,quę etiam saxiphragũ dicitur.quam ad rem valebit etiam pota ipsa simplex ex vino melleq; confecta,si parum piperis,rutæq; recipiat.quocirca vitare semper debent senes, vt antè dixi, quæ obstruunt.quę si quis necessitate compulsus capiat, statim post ea sumat medicamentum, quod ex calamintha,vel ex tribus piperis generibus cõstat,si horum neutrum ei suppetat,piper album in pollinẽ redactũ, obsonijs inspergat,& potionibus indat. quo etiam tempore vtile erit cepam alliumq; gustare.aluo autem mota, quandoq; theriaca sumenda est: & quoniam senex propter naturę imbecillitatem pitui tosa excrementa perpetuò coaceruat,opus ei est in-

cidentibus,& victus ratione attenuante.sed non est in ijs morandũ diutius : verùm statim est potius declinandum ad humectantia. Quòd verò ad fructus attinet,sub autumno,cęteris omnibus anteponat ficus maturas,hyemeverò,caricas.Lac etiam si ipsum concoquere ritè queat, neq; vlla iecoris sit affectio, dari non veto.nunc verò quoniam in senili corpore serosa,pituitosaq; excrementa gignuntur, apio, mel le,vinoque albo quotidie vrina cieatur. Si cui aluus adstricta sit, subducatur. id fiet, si ante cibos oleum absorbendum dederis, & quandoq; etiam si per infernas partes indideris. nam & excrementa mollit, & lubrica reddit. in quo genere acres clysteres vitandi sunt,quippe qui intestinũ exiccent.quinetiam olera præ cæteris cibis sumpta ex oleo & garo, & ficus,& pruna,& reliqua generis eiusdem aluum subducunt.quod faciũt hyeme caricę, & oliuæ sale condĩtæ:& damascena sicca,quę vel cocta sint,vel certè maduerint in aqua mulsa, in qua mel liberalius sit. Atque ego quidem non hoc consilij dederim, quod quidam faciunt, vt aloën, aut picram senes capiant, nisi magna quędam necessitas vrgeat.quamuis enim vno die aluus consistat, nihil tamen medicamentosum exhibendũ est.Si verò magis aluus cohibeatur, tertio die dabitur mercurialis,& cnicus cum ptisana, & terebinthina ad vnius Ponticæ nucis, ac sæpe etiam ad duarum,& trium magnitudinem.nam prętерquàm quòd aluum probè ciet,pulmonem etiam, renes, & alia viscera expurgat. optimum etiam est, quod ex caricis pinguibus & cnico medicamentum fit.sed ab vtrisq; auferãtur quæ sunt extrinsecus circumiecta,simulq; tundantur.caricarum autem multo maius esto pondus,quàm cnici.detur hoc ad duarum,aut trium caricarum magnitudinem. Sed vicissitu-

situdine quadam horum est vsus cómutandus. natura enim id vnum, cui assueta est, solet contemnere. porrò senes diutius quàm iuuenes in lecto morentur, vt excrementa ipsorum eo fotu rectè concoquantur.

De *uini facultate*. Cap. XII.

QVI bonæ valetudinis curam gerit, vini, rerumq; venerearum vim, facultatemq; nosse debet. Vinum igitur recreat, ac suscitat calorẽ nostrum, atq; ideo concoctiones meliores fiunt, & sanguis probus gignitur, alimentum quoque in omnem corporis partem à vino, quia vim habet permeandi, diducit. Quo circa eos, qui tenues ex morbis sunt, habitiores reddit, & simul etiam appetitum alimentorum affert: & pituitá attenuat, bilem vrinis expurgat, iucunditateq;, & alacritate perfundit animum, & robur addit. Vinum ergo moderatè potum est horum bonorum causa. immodicè verò contrariorum. Itaq; ebrij languidi fiunt, delirãt, eosq; arctus, & profundus somnus complectitur. quamobrẽ tam immoderatus vini potus vitandus est. longo autem tempore leniter bibere cõuenit: nam & copiosam vrinarum purgationem, & sudores elicit. Sed his peractis præstabit vomere mulsa assumpta ita, vt minimum quidem noxæ inde cõtrahatur. Si verò quis liberalius potet, ne se alijs alimentis nimiùm impleat: atque inter bibendum cocta brassica vescatur, bellariaq;, ac potius amygdalas gustet: his enim & ebrietas leuatur, & vomentibus nihil affertur incõmodi. Præstantissimum autem est absinthij dilutum, antè quàm potemus, sumere: id enim crapulæ obsistit maximè. Si verò morsus in aliquo vinum excitet, aqua frigida sorbeatur, & postero die absinthium iterum bibatur, corpusq;

deambulationibus, frictionibus, balneo, & pauciore alimento reficiatur.

De *rebus uenereis.* Cap. XIII.

VSus rerum venerearum pectori, pulmoni, capiti, & neruis est noxius. mentē verò ad manſuetudinem traducunt ita, vt melancholia, & inſania ſedetur, & amantiū nimia cupiditas minuatur, vt etiam amicas odio proſequantur. Nunc verò, qui corpus commiſcent, plenitudines vitare debent, præſertim vini, & inanitionem, quæ ex vomitu, & purgationibus per inferiores partes factis: & ſi cui ſua ſponte aluus fluat. cruditates quoque cauendæ ſunt, & item laſſitudines, & ſi quid aliud ſuſpectum ſit, ne morbum inuehat. minimè autem vtendum eſt rebus venereis autumno, neq; etiam alio tempore, in quo vulgaris vllus morbus verſetur. Tempus verò, quo veneri deoperam, accōmodatum eſt poſt ſumptum cibum antequàm dormias: quandoquidē ſomnus ſubſequens laſſitudinem ſedat. hoc etiam tempus idoneum eſt filijs procreādis, cùm ob alia, tum vel maximè, quòd mulier in ſomnū cadens, magis ſemen continet: ſed quoniam venus reddit corpus rarius, frigidius, ſiccius, atque imbecillius, ideo fit, vt quę ipſum denſare, calefacere, humectare, & corroborare valeāt, admouere debeamus. Sunt qui ſemen valde calidum coaceruant, quòd in venere exercenda excernunt, corporeq; imbecillo ſunt, & ſtomacho exoluto, ipſiq; extenuantur, humectantur, ſiccantur, & cauis oculis fiunt: deinde verò ob has res à venereis abſtinent, ideoq; caput grauatur, & ex repletione cibum faſtidiunt: tum eis in ſomno res venereæ obijciuntur, vt cum aliqua corpus miſcere videantur, atque ita eadem patiuntur. talibus nihil dandum eſt eorū,

quæ

quæ seminis copiam gignunt: sed ea potius alimenta, & medicamenta, quæ semen dispergant. vngendi quoque à balneo sunt lumbi oleo rosaceo, aut melino, aut omphacino. verũ quia præstet id spissius esse, ne inunctum effluat, addenda erit cera, & succus aliquis, in quo refrigerandi vis insit. atque medicamentum ex cera & oleo, quod cerelæon vocant, cõficietur, si in pila ceram, oleumq; valde mollieris refrigerantem succum affundendo, & in vnum omnia diligenter conducendo, & diutissimè subigendo. succus verò refrigerãs est, qui ex semperuiuo, ex solano, ex Veneris vmbilico, ex psillioq; exprimitur: qui quidem æstate conuenient. at alijs temporibus, alij pleriq;, qualis est lactucæ, & lini seminis in aqua cocti, itemq; plumbi lamina lumbis imposita à venereis insomnijs liberat. idem faciũt herbæ refrigerantes cum ruta & viticis cimis teneris substratæ. quin ipsius etiã viticis, rutæq; semina cõmansa & deuorata idem præstant. Sed cauendum est, ne lumbos valde refrigeremus, ne quid noxæ renibus afferatur.

De *aqua*. Cap. XXIIII.

QVAE bona, quæq; mala in aqua sint, vsu compertũ habere debemus: siquidem aquis ad plura fermè vtimur, quàm alijs omnibus, ad omnẽ victus rationem instituendam. Scire igitur conuenit, eam optimam aquam esse, quæ gustando, olfaciendoque omnis sit expers qualitatis: eamq; fore bibentib. iucundissimam, aspectuiq; puram. Si verò etiam præcordia citò permeet, nihil est, quòd præstantiorem quæras. nam quæ in præcordijs residet, ventrem ferit, inflat & grauat, etsi prædictis bonis prædita est, tamen mala censenda est: eaq; neq; calefit, neq; frigefit celeriter. imò verò quæ in ea coquuntur, tar-

disimè peiusq; coquuntur. ergo præstat aquas, quę huiusmodi sunt, vsu discernere. Qui autem voluerit etiam ex notis quibusdā ipsas cognoscere, id ex ijs, quę dicam, consequetur. Quæ igitur ad septentrionem vergunt, quibusq; sol est auersus, eæ tardi sunt transitus, & indomitę, tardeq; calefiūt, & frigefiunt. quæ verò solis ortum spectant, & per meatū quempiam, aut terram colantur, ac celerrimè calidę, frigidæq; redduntur, eas spes est esse pręstātisimas. Sed bonæ etiam censentur, quæ æstate frigidiores, hyemeq; calidiores sunt. Non desunt, qui aquas pōdere ęstimēt, ac leuiores pręstare cęteris putent. quòd si aquis præter ea, quæ diximus, insit, laudabile erit illud quidem, sed tamen solum non satis firmo argumento est, eas bonas esse ac pluuias quidem esse leuissimas, dulcissimasq;, & tenuissimas, & splendidissimas scriptum reliquit Hippocrates: causa est, quia quod tenuissimum, leuissimumq; est, sol attrahit: quod non modò ex alijs aquis facit, sed id adeò ex ipso mari, cæterisq; corporibus. quam ob rem facilius, quàm reliquæ omnes computrescunt: quippe quæ ex differentibus, multisq; qualitatibus constēt. Sed nemo putet, aquā, quæ facilè putrescit, esse deterrimā. quod enim facilè immutetur, eò potius bona, quàm mala iudicanda est. cùm ergo aliæ optimarum aquarum notæ adsint, licet ea vim habeat, vt facilè putrescat, tamen est præstantissima existimanda. at cùm mutari incipit, in causa est, vt bibētes raucitatibus, tussi, & vocis grauitate afficiantur. Inter pluuiales verò aquas, æstiua, quæ cum nimbo, quęq; cum tonitru pluit, alijs præstat. quæ verò ex glacie, niueque existit, pessima. nam in aquæ concretione, quod tenuiorum partium est, exprimitur: palustres verò, fœtidæq;, & in quibus absurdæ qualitates insunt,

sunt, elixando meliores fiunt. Itaq; vino temperatæ bibuntur, atque acerbæ quidem dulciore, aliæ verò acerbiore. quasdam etiá colare expedit, vt limosas, vt salsas, vt bituminosas. quę valde frigidę sunt, à cibo bibenda sunt: sed neque confertim, neq; affatim, neque sine vino. nonnulli potus, cibosque aduersus aquę vitia inuenerunt: alij enim cicerum decoctum præbibunt, ipsisq; ciceribus vescuntur: alij caucalidas ex aliquo pisce coctas eodem modo comedunt, & fœniculum: alij deniq; betas, cucurbitasq; ex muria & vino diluto præmandunt.

De aëre. Cap. XV.

AER quoq; saluberrimus, optimusq; est is, qui purissimus est: morbosus verò & pernicioſus, qui à paludũ, stagnorumq; halitu, aut à profundo specu pernicioſam aurá exhalante sit infectus: quin ille etiam est pernicioſus, qui ex quibusdam cloacis ciuitates expurgantibus sit turbatus: simili quoque modo is, qui ex oleribus, aut animalibus, aut stercoribus putrescentibus vitietur: vt non bonus etiam est, qui è stagni, fluminisq; alicuius propinquitate nebulosus efficiatur. Iam qui cauo in loco mõtibus vndiq; cincto incluſus est, quia perflatum nullum habet, vitiatur. Qui ergo aëres ita sunt vitiati, omnib. ætatibus pariter nocent, quemadmodũ optimi cunctis prosunt. Cæterùm aëris differẽtia, quæ ex qualitatibus exiſtit, vt ex caliditate, frigiditate, siccitate, atq; humiditate, non eodem modo in omnibus affecta est: sed corpori quod optimo temperamento sit, optimè temperatus aër saluberrimus est, ei verò, quod non sit temperatum, is aër conueniet, cuius sit temperatura contraria.

De lotionibus. Cap. XVI.

LAuari frigida, cõmendo quidem, sed non tamen, vt putem cõferre ijs, qui vt sors fert, vitam degunt, verùm ijs tantùm, qui diligentiam in victus ratione adhibent, laboribus q́ue & cibis, vt par est, vtuntur. plerisq; autem, qui maioris quandoq; refrigerationis indigent, satis est in frigida natare, idq́ue æstiuo tempore, cum iuuenes sunt, & carne bene muniti, & frictionibus præcalfacti. Sint autem neq; rebus venereis, neque alia vlla lassitudine defatigati, neque inconcoctione affecti, neque vomitus, neque alui euacuatio præcesserit: neque ipsi sint vigilijs vexati. nam si aliter fiat, periculosum erit. Calidum autem lauacrum optimum, tutissimumq́; est: nam lassitudines soluit, æqualem omnium humorum exuberantiam digerit, calefacit, mitigat, emollit, flatus, vbicunq; constituerint, discutit, somnum conciliat, & carne corpus ritè conuestit. Præterea verò facilè omnibus & viris, & mulieribus, & pueris, & senibus, & priuatis potest adhiberi.

De alimentorum facultatibus. Cap. XVII.

QVI tuendæ valetudinis curam gerit, debet alimentorum facultates, si quid aliud cognoscere. ergo quę vim habent attenuantem, transitus angustos aperiunt, & glutinosa, quę corporibus adhęrescunt, extrudunt, crassaq́; incidunt, atque attenuat. verùm si quis in eorum vsu diu, multumq́; moretur, serosa, biliosaq́; excrementa gignentur. si verò etiam diutius eis vtetur, melancholicus sanguis fiet. quocirca ab eorum vsu continuo, præcipuè autem ijs, qui biliosa natura sunt, abstinendum est. Iis enim solis hæc conueniunt, qui pituitam, crudumq́; & tenacem, & crass-

craſſum ſuccum coaceruarunt. Quæ autē incraſſantis facultatis ſunt, valenter nutriunt, ſiq; in ventriculo, & iecinore probè cōcocta fuerint, boni ſucci ſanguinē faciunt, & tamen lienem, iecurq; obſtruūt. inter hæc quædam craſſos tantùm ſuccos gignunt, vt lentes: quædam glutinoſum, vt malua: quædam vtrunque præſtant, vt animalia, quæ teſta ſunt operta. atq; ad valetudinem quidem conſeruandam tutior eſt attenuans, quàm incraſſans victus ratio. at quia parum nutrit, ideo ne tenorem, neq; robur affert corpori. idcirco oportet quandoq; ea etiam alimenta offerre, qnæ craſsi ſint, ſed moderatè: ac tum præſertim, cùm ſe alimenti indigentes eſſe mortales ſentiunt. quæ ſanè ab ijs citra periculum ſumentur, qui ſeſe exercent, quiq; ſomno indulgere pro voluntate ſua poſſunt. Sed quicunq; ante cibos exercitationes obire nequeunt, ij omnes alimenta craſsi ſucci vitent. verùm ne ocioſi quidē hæc attingant. nam ad bonam valetudinem tuendam maximum malum eſt ocium non ſecus, quàm moderatus motus maximum bonum eſt. Edulia verò, quæ mediæ materiæ ſunt inter attenuantia, & incraſſantia, ſunt omnium præſtantiſsima: quippe quæ ſanguinem conſiſtentia moderatum faciunt. ita fit, vt hoc alimentum ſit noſtris corporibus accōmodatū: quod verò malos ſuccos gignit, noxiū. id quod eſt perpetuò fugiendum. præſtabit quoq; alimentorū vitare varietatem, idq; potius, ſi ex contrarijs ſint conflata facultatibus. neque enim quæ ſumpſeris, probè concoquentur.

De *alimentis attenuantibus*. Cap. XVIII.

ATtenuant autem hæc, allia, cepa, porrum, ſinapis, piper, ſmyrnium, pyrethrum, origanum, nepita, hyſſopum, ſiſymbrium, pulegium, thyma, ſatureia viri-

dia admota:at ſiccata iam medicamenta ſunt.prędicta verò,ordine conſequuntur hæc,eruca,apiũ,petroſelinum,ocimum, radicula, braſsica,beta, fœniculum,coriandrum,ruta,anethum,libyſticum,cuminum,capparis & terebinthi fructus,ſemen cari,aniſi,dauci, omniumq; odoratorum, acriumq;, & perſpicuè calidorum : vehementer autem attenuant ſemina rutæ,& canabis,vſque adeò vt medicamentoſa ſint. Ex cerealibus verò ſeminibus ad diætam attenuantem ſolum hordeum moleſtia vacat:ſecundo loco cenſentur panes triticei in clibano cocti. à cæteris danda opera eſt, vt abſtineamus: niſi quis velit per longa interualla piſa,lentesq; guſtare. Maxima autem copia alimentorum ad diætam attenuantem nobis ſuppeditatur ex piſcib. ſaxatilibus,auiculisq; montanis,& omnino quæ exercẽtur, ocioſis,& quæ ſiccioribus pabulis, ijs quæ humidioribus vtuntur, & quæ purũ, tenuemq; aërem inſpirant,ijs quæ contrariũ, præferenda ſunt. Piſcibus vti poteris ijs,qui mollem ſimul,& friabilem carnem habent:ab ijs verò,quorum dura, glutinoſaq; caro eſt,omnino abſtinendum.atque hæc quidem duo ſigna friabilitas, & mollities ſunt, quibus omnẽ animantis carnem cognoſcas.cui vtrunque inſit,eius carne ad ſatietatem poteris veſci:cui neutrum,id penitus vita:cui alterutrum,veſci aliquando,non tamen vſque ad ſatietatem. Gallinis veſci non prohibeo eos, qui ſe exercent,itemque columbis,& turturibus, & præcipuè monticolis. his tamen non recentibus,ſed pridie ad minus mactatis veſcendum eſt. nec ſolum turturem concedo,verùm etiam perdicem,& cætera,quorum modicè dura eſt caro. Faciũt ad hanc vitæ rationem piſces ſale conditi : ſuccos enim craſſos, & glutinoſos maximè attenuant.ex ijs eligendi ſunt,qui tenera ſunt

ra sunt carne: cætaceum genus vitandum. potius verò ex aceto atque oxymelle parata quamplurima alimenta offerri conuenit, itemque salienda antè sunt, quæcunq; possint. Iam verò suillas carnes sale conditas gustare quispiam poterit, neq; à fructibus autumnalibus ijs, qui ventrem molliunt, lædetur. deteriores sunt, qui tardè transeunt, magisq; si duri fuerint: sed huiusmodi ne gustandi quidē sunt, nisi qui reponi, atque asseruari queant, quo in numero pira, pomaq;, & non pauca vuarum sunt genera, at mollio res potius licet comedere: qui autē vehementer austeri, acerbiq; sunt, incōmodi ad hanc diætam iudicantur: omnium aptissimæ sunt caricæ, nuces, pistacia, & amygdalæ subamaræ. oliuas neque laudo, neque vitupero. ex dulcibus & potibus, & pastibus solum ferè mel exquisitè tenuem succum gignit. atque inter vina, quæ tenuia, albaq; sunt, crassos succos incīdunt, & per vrinas expurgant. deniq; ad victus rationem attenuantē oxymel est accōmodatissimum.

De *alimentis crassi succi.*

Cap. XIX.

CRassi succi sunt panes, qui sub cinere coquūtur, quiq; non ritè sint facti: & placentæ ex musto similaq; confecti, & lagana, & placentæ, quæ itria nominantur: & quicquid ex tritico sine fermento fit, & item placentæ, quæ ex eadem materia parantur. Simila autē & alica abundè crassi sunt succi. amylum mediocriter. at lobi & succi crassi sunt, & calidi: itemq; lentis pars quæ est veluti caro, fabę fractæ, & pisces, qui molles appellantur, loligines, sepiæ, polypodes, cętaceiq;, in quorum numero sunt tynni. moderatius verò, quàm hi, pelamides. satis verò crassi succi sunt ostrea, buccinæ, purpuræ, chemæ, patellę,

pectines, pinnæ: & quæcunq; testa conteguntur. atque etiam anguillæ, cochleæ, carnes ceruinæ, caprinæ, bubulæ, leporinæ, suillæ, iecur, renes, testes, cerebrum, spinalis medulla, mammę, lingua, & glandulæ moderatè, lac nimis elixatum, casei omne genus. at recentes, & ex acido lacte confecti, minus lac acidum igni coctum, oua quæ ad perfectam concretionem cocta fuerint, ac magis etiã assata, & longè maximè quæ in sartagine fricta sunt. palmulæ, castaneę, bulbi, rapa, pruna, fungi, tubera, nuces pineæ, ficus non probè maturæ. Inter vina autẽ, quæ dulcia sunt, crassum sanguinem faciunt: ac magis id, quod defrutum vocatur: & eadem etiam ratione mustũ, itemq; vina crassa, nigtaq;.

De ijs, quæ inter attenuantia, & crassos succos facientia, media sunt. Cap. XX.

MEdium inter attenuantia, & incrassantia locum tenent panes optimè confecti, carnesq; gallinarum, phasianorum, perdicum, columborum, attagenum, turturũ, & omnium paruarũ auium: itemq; piscium saxatilium, littoralium, ac pelagiorum, gobiorũ murænarum, buglossorũ, & vno verbo, omniũ littoralium, pelagiorumq; piscium, qui neq; lentorem, neque fœtorem edendo afferant. & ficus maturę, & seris ex agrestibus oleribus: est enim hoc cõmune genus multorum, at vnaquęq; species proprium habet apud Atticos nomen, vt lactuca, vt chondrila, vt gingydia, & alia plura. huiusce generis sunt palustris, myacanthinus, chamædaphnes, & bryoniæ, asparagus, vinum flauũ simul & dulce, ac perlucidũ: quale et Aruisium, Lesbiũ, Falernũ, & Tmolite. hæc em̃ & bonũ & moderatè crassum sanguinẽ gignũt omnia.

De

De ijs quæ succum glutinosum faciunt. Cap. XXI.

IN tritici genere, quod graue, densum,& interius flaueſcens eſt, glutinoſum ſuccum facit. quod verò leue,rarumq;,& intus album,minus glutinoſum ſuccum gignit. Simila quoque & alica abundè glutinoſæ ſunt:itemq; tendines,& neruеæ muſculorum extremitates, & particulæ quæ ad labra ſunt, lingua, ſuillum pancreas, agnina caro, ſeſami ſemen, bulbi, palmulæ pingues.

De ijs,quæ crudos succos pariunt. Cap. XXII.

VIrides palmulæ crudis explent humorib. eos,qui eis veſcũtur,radix rapi,caro teſta contectorũ, quorum dura caro eſt, quæ ſalſum humorẽ ex nimia coctione abiecerit:quæ item mollia nominantur,polypodes,ſepiæ, & quæ ſunt generis eiuſdem.omnia etiam animalia cætacea in mari degentia. ex quo fit, vt ſale condita ſint ad vſum tradu&a,vterus,inteſtina,vulua quadrupedũ, duriores glandulæ inco&æ, acidũ lac,panes in ſartagine co&i,lupini, vua in ventriculo contenta,quæ corrupta non fuerit.

De ijs quæ frigidum succum creant. Cap. XXIII.

QVI cucumeribus ſe explent, ijs vt crudum ſuccum coaceruent,vſu venit. id quod ijs etiam contingit, qui inteſtina, vterum quadrupedum, lacq; acidum, boletos, poma immatura, & bulbos denique comedunt.

De ijs,quæ pituitam faciunt. Cap. XXIIII.

PItuitoſum abſolutè ſuccum faciunt partes animalium neruеę,cerebrum,pulmones,ſpinalis medulla,

glandulę non concoctæ, agnina caro, & eorum, quibus testa adiuncta est, mollisq; carnis sunt: & poma non matura.

De ijs, quæ succum melancholicum pariunt. Cap. XXV.

BVbulæ, caprinæq; carnes, magisq; taurinæ, & hircinæ melancholicũ succum gignunt: ac multò etiam magis carnes pecudum, leporum, suum agrestium, carnesq; terrestrium animaliũ salitæ: itemq; lienes animantiũ. ex marinis verò thynni, & balenæ, & cætaceum omne genus, brassicæ, & arborum germina, quæ muria, vel acida muria sint condita, qualia sunt lentisci, & terebinthi: & cinarę caro, & lenticula melancholicum edulium est. Post hæc locandi sunt panes furfuracei, quiq; ex typha, & alijs malis seminibus cõficiuntur, triticum tenerum, aphace, vicia, & vina crassa, atque nigra

De ijs, quæ biliosum succum gignunt. Cap. XXVI.

SIliquæ, cinarę succus amarus est, & simul etiam tenuem bilim facit. ergo melius est, vt ea elixata vesca mur. mel facilè in bilim in calidis corporibus vertitur. omnes enim dulces succi, & itẽ vina dulcia materiam flauæ bili suppeditant.

De ijs, quæ gignunt excrementa. Cap. XXVII.

EXcrementa gignũt palumbi, anseres, præter alas, omnia viscera, spinalis medulla, cerebrum, aues, quę in paludibus, stagnis, pratisq; degunt, cicer, fabæ virides, faba Aegyptia, porcelli nuper nati, ouium caro, & item eorum omnium animantiũ, quæ ignauam vitam ducunt; & pisces fluuiatiles, palustres, atq; in limo

limo viuētes, & omne genus cætaceū in mari viuēs.

De ijs, quæ uacant excrementis. Cap. XXVIII.

EXpertia sunt excrementorum colla, caudæ, alæq; animalium, & agrestium caro, & eorum, quæ in siccis locis vitam transigunt.

De ijs quæ ualde nutriunt. Cap. XXIX.

CAro suum domesticorū valentisimum omnium alimentum præbet, bubulum cerebrū, testiculi, cor, spinalis, aliaq; medulla, alæ anserum, & magis etiam gallinarum, omniumq; pennigerorum ventres, cochleæ, ac magis ter coctæ. ex ijs q testa operta sunt, huius generis censentur, quorum dura caro est: cuiusmodi sunt purpuræ, buccinæ, & similia, astaci, paguri, cancri, locustæ, squillæ, & cætera consimilia. itemq; ea, quę mollia vocantur, vt polypodis, sepię, & quæ talia sunt. ex cartilagineis verò torpedo, turtur modicè. bati verò & liobati, & rhinæ, magis nutriūt, at triglæ, gobijq; minus. lac, quod crassius sit: quod verò liquidius est, minus. Inter panes maximè nutrit siligineus, deinde similaceus, tum ij, in quibus etiam furfur est. triticum elixum, simila, alica, fabæ carnem gignunt, non tamen firmam, densamq;, sed potius laxiorem. cicer magis nutrit: phaseli, ochriq; magis, quàm fœnum græcum. dolichi verò, quos lobos & phasiolos vocant, non minus, quàm pisa nutriunt. lupini quoque vim habent alendi, castaneæ, palmulæ dulces, vuæ dulces, pinguesque, rapa, bulbi maximè nutriunt, ac magis bis cocti. mel despumatum & ad distributionem alimentorum, & ad nutriendum aptum redditur. vinum omne ad crassitiei proportionem nutrit. ergo rubrum, crassumque maximè omnium ad sanguinem gignendum aptum

est: deinde verò nigrum simul, & dulce, & crassum, tum rubrum, crassum, & adstringens. his minus nutrit album simul, & crassum, & austerum: omniũ verò minimè, albũ & tenue. Iam verò omnia, quæ crassi succi sunt, si ritè cõcoquantur, & in sanguinẽ conuertantur, valde nutrient.

De *rebus parum nutrientibus. Cap.* XXX.

PArum nutriunt extremæ partes animalium, vterus, ventriculus, intestina, caudæ, auriculæ, pinguedo, adeps, omne auium genus parum nutrit, si generi terrestriũ comparetur. caro etiam eorũ, quæ sunt confecta senio, minus alit, quàm eorum, quæ adhuc augescunt. alimentũ, quod ex piscibus sumitur, sanguinem tenuiorẽ facit: ex ijs verò quæ testa intecta sunt, quæ molli sunt carne, vt ostrea, parum nutriũt. panes hordeacei, polenta ex hordeo cõfecta, panes furfuracei, omnesque sordidi, & loti, amylum, maza ex polenta, hordeum, auena, milium, & magis panicum, oryza, faba viridis, semen papaueris, sycamina, amygdala, pistacia, pruna persica, armeniaca, pręcocia, oliuæ, ac præcipuè maturę, nuces auellanę, ac potius regiæ, nuces, serica, corna, pruna syluestria, rubi fructus, capparis, præsertim sale condîta, terebinthi pars omnis, brassica, beta, raphanus, napi, asparagi omnes, pastinaca, daucus, carus, cepa, & allium. porra verò cruda nihil penitus nutriũt, at bis, térue cocta, parumper. mala Punica parum nutriũt, itemq; pira, cucurbita, vuæ deniq; passæ, & austeræ, & non pingues.

De *rebus medijs inter ea multùm, & quæ parum nutriunt. Cap.* XXXI.

INter ea quę multùm, & ea quæ parum alunt, interiecti sunt medij phaseli, ochri, & cicerculę. Ficus verò

rò non æquè ac cæteri autūnales fructus, nutriūt, & laxam carnem gignunt. Simili quoq; modo vuæ, sed minus, quàm ficus nutriunt, laxamq; & flaccidā carnem gignunt.

De rebus boni succi. Cap. XXXII.

OPtimum lac est omnium ferè, quibus vescimur, optimi succi. estq; optimum eorum animantiū, quæ integra valetudine fruuntur, cùm nuper emunctum potatur. oua tremula, sorbiliaq; gallinarum, & phasianarum. aues autem, pisces que omnes parum abest quin boni succi sint: præter eos, qui in paludibus, stagnis, limosisq;, & turbidis fluminib. viuūt. Odoratu verò gustatuq; discernere pisces oportet. nam qui in aquis vitiatis degunt, fœtidi, insuaues, mucosiq; sunt. Iam verò carnes animaliū, si probè fuerint concoctæ, optimū sanguinē faciunt: quod præstāt maximè carnes eorū, q̄ boni succi sunt: quale est suillū genus. māma boni succi est, itemq; iecur, partes etiā, q̄ circa labra sunt, & alæ, & cæteræ extremæ particulę. at vulua, & intestina, & cauda minus, quàm carnes probi sunt succi. glandulæ probè coctæ æquè ac carnes probi succi sunt, cor nō est mali succi. pedes porcini præstant grūno, & auriculis. agrestiū bestiarum carnes melioris succi sunt, quàm cicurum. panis purus, ritè confectus, boni succi est. alica, ptisana rectè cocta, fabæ, castaneæ non mali succi sunt. ficus maturæ, vua matura pensilis vacat reprehensione. caricæ statim distributę boni succi sunt: at si diu in ventriculo maneant, mali, & pediculos præterea gignunt: si cum nucibus eas sumas, præstantissimum edulium facies. at quicunq; ficus, caricasq; eum aliquibus alijs edulijs non comedunt, ij non parum læduntur. Lactuca in olerū genere, sanguinē gignit, post eam

intyba. Vina odorata boni ſucci ſunt: atque optimi quidem ſucci eſt Falernum, & Tmolite dulce, & Aruiſium.

De rebus mali ſucci. Cap. XXXIII.

AB omnibus mali ſucci edulijs, etiam ſi facilè concoquantur, abſtinendum cenſeo: ſuccus enim malus ex eis collectus longo tempore latet in venis, qui cùm parum occaſionis ad putreſcendum nactus ſit, febres malignas inuehit. Cæterùm mali ſucci ſunt hęc. ouilla caro, agnina: hircina verò peſsima eſt, deinde arietina, tum taurina, inter has omnes caro caſtratorũ melior eſt: ſeniorũ carnes ſunt deterrimæ. Caro leporina eſt illa quidẽ ſanguinis craſsioris effectrix, cæterùm melioris ad ſucci bonitatem, quàm bubula, ouillaq; : ceruina verò non minus, atq; illæ, mali ſucci eſt. Renes mali ſucci ſunt, teſticuliq;, prę-terquàm gallorum gallinaceorum, cerebrum, ſpinalis medulla, lingua, lien, oua in ſartagine fricta, caſei veteres, boleti, amanitæ, fœnum græcum, lens, auena, cicer non boni ſucci: olyra verò tantò eſt tritico deterior, quantò eſt quàm tipha & auena præſtantior: panicũ, milium, & cętera ſimilia boni ſucci non cenſentur. Iam dracones, galeonymi, ſcorpij, trachuri, triglæ, orphi, glauci, zygænæ, gongri, phagri, & alia cætacei generis, quæ in mari viuunt, mali ſucci ſunt omnia. Poma immatura, pira antequàm concocta ſint, perſica, mala punica, meſpila, corna, pruna, ſiliquæ, terebinthi fructus, cinara, & præcipuè cùm iam obduruerit, cucumeres, pepones, melopepones ſed hi minus: cucurbita eſt his melior, ſed ipſa quoque in ſtomacho corrupta, fit abundè mali ſucci. Ficus minus mali ſucci ſunt, quàm cæteri æſtiui fructus, qui horæi dicuntur. itemq; caricæ: ſed ſi quis

eis

eis diutius vtatur, non admodum bonũ ſanguinem gignent, & inde magna quoq; pediculorũ copia cõſequetur. Ex oleribus nullum boni ſucci eſt: in medio tamẽ eorum quæ bonum, quæq; malum ſuccum faciunt, eſt lactuca, & intybus: pòſt verò, malua, blitum, atriplex. Radices tum olerum, tum verò etiam plantarũ mali ſucci ſunt, quæcunq; acres ſunt, qualis eſt ceparum, porrorum, alliorum radicularumq;, & daucorum: mediæ ſunt radices raporum, & ari.ocimũ ſucci peſsimi eſt, rapum crudius, braſsica, bulbi non probè elixati, cepa, allium, porrum, ſi bis cocta fuerint, ſucci prauitatem deponunt: omnino verò peſsimi ſucci ſucci ſunt olera, quæ ſylueſtria nominantur: vina quoque craſſa, vnaq; fœtida, & quę inſuauia, auſteraq; ſunt, mali ſucci iudicãtur: tale eſt vile bithynum, quod in magnis dolijs importatur: nam quod in paruis conuehitur, neque boni, neque mali ſucci eſt.

De *rebus, quæ bene concoquuntur.* Cap. XXXIIII.

PRobè concoquuntur panes ritè confecti, omnes ſaxatiles piſces, gobius, torpedo, turtur, omne genus volatilium, generi terreſtriũ comparatum, melius concoquitur, præſertim caro perdicis, attagenis, columborũ, gallinarum, phaſianorum, & alæ anſerinæ: & his magis alæ galllnarum: & ad ſummũ, alę bene habitorum, & iuniorum, optimè concoquuntur: peſsimæ verò gracilium, & ſeniorum. Quæ verò ſero lactis educata ſunt, & iecur anſerum, & cæterorum, quæ ita nutrita ſint, teſtesq; pullorum gallinaceorum, facillimè concoquuntur: eiuſmodi quoque ſunt carnes porcorũ: ætati verò florenti, quæ ſe exerceat, accõmodatior eſt porcorũ, quorum ætas flo-

reat, caro: alijs verò, porcorum adhuc crescentium. Vituli melius concoquuntur, quàm perfecti boues, & hœdi facilius, quàm capræ. caro denique adhuc crescentium facilius, quàm non crescentium concoquitur: nux etiam regia facilius, quàm auellana: bulbi facilius concoquuntur, qui bis cocti fuerint: oua tremula & sorbilia, lactucæ, intyba, malua, cucurbita cocta, cùm non vitietur: vina dulcia melius, quàm austera concoquũtur. Cæterùm ex ijs, quæ æquè salubria sunt, id melius concoqui sciendum est, quod iucundius sit.

De *rebus, quæ difficulter concoquuntur.* Cap. XXXV.

AEgrè concoquitur caprarum, boum, ceruorumq; caro: hircina verò est ad concoquendum pessima: deinde arietina, tum taurina, & annosorum animalium caro pessimè concoquitur, & sues senio confecti fibrosam, siccamque, & ideo concoctu difficilem carnem habẽt. Ventriculus difficulter cõcoquitur, atque etiam intestina, uterus, lingua, cor, iecur, aures, caudę, renes, cerebrum, medulla spinalis, & perfectorum animalium testes: anseres, præter alas: palumborum, sturnorum, merularum, & paruarum auium caro durior est: & magis etiam turturis, atque anatis. difficilius verò quàm hæ concoquitur, fibrosaq; est caro pauonum, & otidum: aëriorum animalium ventriculi omnes ægrè concoquuntur. Quo in genere falso à quibusdã laudatur struthocameli venter, & mergi: vix etiam concoquuntur cochleæ, lac acidum, caseus vetus, at nouus, ac præsertim qui ex lacte acido confectus est, melius concoquitur: purpurarum, buccinarũ, & aliorum testa intectorũ caro, quia durior est, ideo ægrius concoquitur: itemq; astaci,

astaci, paguri, cãcri, locustæ, squillæ, & cætera his similia: polypodes quoq;, sepiæ, loligines, & alia, quæ molli cute prædita vocantur, bati, liobati, rhinę, dracones, cuculi, galeonymi, scorpij, trachuri, triglę, orphi, glauci, zygænæ, gongri oua in sartagine cocta, triticũ elixum, polenta, tipha, auena, fabæ, dolichi, phasioli, cicercula, cicer, oryza, lupini, panicum, milium, & his consimilia. lens, sesamum, castaneæ, mala, pira, antequàm matura sint: ficus nondum maturæ, vuæ acidæ, & austeræ, omnes palmulæ, siliquę, ocimum, rapum crudius, bulbi crudiores, pastinaca, daucus, carus, & omnes olerũ radices, & ipsa etiamnum olera, præter lactucas, intybaq;: vina crassa, & noua ægrè concoquuntur, & item aqua omnis.

De *rebus stomacho idoneis, ipsumq; roborantibus. Cap.* XXXVI.

PAlmulæ austeræ, poma cydonia, oliuę sale condîtæ ad hoc valent: præstantiores autem sunt, quæ ex aceto parãtur, vuæ passæ austeræ, vua in vinaceis reposita, nux regia, magis quàm auellana, ac multò etiam magis cum caricis: cynara, gingydiũ, est scandici simile, quod crudum, coctumq; sumptũ stomacho valde conuenit. longiorem coctionem non fert sinapis, raphanus, rapum, nasturtium, pyrethrum, regius asparagus, & palustris, & oxymyrtinus, & chamædaphnes, & oxyacanthæ, & bryonię: bulbi appetitum excitant, & capparis sale condîta: citri extima pars stomachum vice medicamenti corroborat, vinum austerũ os stomachi roborat, ac præsertim vbi ventriculus calida intẽperie laborat.

De *rebus, quæ stomacho incommodæ sunt. Cap.* XXXVII.

BEta sic aliena stomacho est, vt si edatur largius,

morsum etiam inducat: ocimũ quoque, stomachum lædit, & rapum crudius, bitumq́, & atriplex, nisi ex aceto, oleo, & garo sumatur: fœnum græcum, & sesamum subuertunt stomachum. lac in frigido ventriculo, atq; in febricitantibus acescit: si verò quis mel li admixtum lac copiosius propinet, ad vomitum impelletur: pepo non probè concoctus, cholericos inferre morbos consueuit, similiq́; modo melopepo: cerebrũ omne alienũ stomacho est, & spinalis æquè, ac medulla cæterorum ossium: vinum nigrum: & austerum facilè acescit, & ad vomitũ impellit, idem facit crassum, & nouum.

De *rebus quæ non inflant.* Cap. XXXVIII.

NON cient flatum hæc, pisa, phaseli, cuminum, libysticũ, viticis semen, canabis fructus, faba fricta, bulbi plurimùm, aut certè bis elixati, tum ex oleo, acetoq́; sumpti, mel quod coquendo spumam vniuersam depositerit: oxymel flatus discutit. panes hordeacei. Inter ea verò quæ inflant, quæq́; non, medij sunt phaseli, ochri, & cicerculæ.

De *rebus, quæ flatum cient.* Cap. XXXIX.

INflant autem hæc, cicer, lupinus, panicũ, milium, & quæ sunt generis eiusdem, fabæque: lobi minus quàm fabę, maza ex polenta, liquores omnes, sed magis cyrenaicus, silphij liquor, & radix: ex ficubus flatus breuis excitatur, quia facilè deijciũtur: quæ verò exquisitè maturæ sunt, parum absunt ab eo, vt nihil noceant, sicut caricæ: palmulæ virides flatum gignunt, & rapum crudius: lac facilè in ventriculo ciet flatum, atque etiam bulbi crudiores, mel item non perfectè coctum: vina dulcia flatus diuturnos pariunt, sed & dulcia simul & austera, & mustum flatus inducunt.

De

De rebus abstergentibus, incidentibus, & aperientibus. Cap. XL.

ABstergit ptisana, fœnugræcũ, melopepo, vuæ passæ dulces, fabæ, cicer, & magis quod nigrum est: cap paris est satis tenuiũ partium, & deterget, aperitq;, præsertim verò cum oxymelle, aut oleo & aceto ante cæteros omnes cibos sumpta: betæ succus abstergit, ac magis si cũ sinapi, aut aceto vtatur: bulbi vim habẽt attenuandi atq; aperiendi, cepæ, allia, porraq; attenuant, inciduntq; crassos, & glutinosos humores: serum quoque lactis humores crassos attenuat: ficus abstergent, ideo fit, vt multa arenosa ex eorum vsu à renibus excernantur: caricæ attenuãt, renesq; expurgant: amygdalę abstergent, attenuantq;, & viscera purgant, faciuntque vt humores ex thorace, & pulmone eijciantur: pistacia valent ad iecoris firmitatẽ, & ad purgandos eos humores, qui in eis meatibus impacti sunt: mel quod ex calidis siccisq; plantis factum est, maiorem attenuandi vim habet: quocirca etiá aqua mulsa est ad sputũ educendum accõmodata: oxymel, quæ nõ penitus glutinosa, crassaq; sunt, facilè educit, & viscera sine molestia expurgat, ac thoracis & pulmonis affectionibus mirificè prodest: ijs qui succos crassos aceruãt, vina tenuia cõueniunt: siq; frigidi humores fuerint, apta erunt quæ tenuia, veteraq; sunt cum acrimonia coniuncta: vinum verò aquosum ad humores è pulmone educendos facit, roborat enim, humectatq;, & siccat medio criter. Vinum antem dulce in morbis acutis, vbi sit facta concoctio, vt in peripneumonia, & pleuritide ad educendum accommodata sunt.

De rebus obstruentibus. Cap. XLI.

LAC quod seri parum, caseiq; multum habet, non

tutum est ei, qui in illius vsu longo tempore moretur: nam & renes calculo obnoxios lædit, & iecoris obstructiones gignit in ijs, qui præstò sunt, vt hisce morbis capiantur. Caricæ sunt iecori & lieni inflammatis noxiæ, vt etiam ficus: omniaq; dulcia lienem, iecurq; lædunt: aqua mulsa incõmoda est ijs, quibus elata in tumorem viscera aut scirrho, aut œdemate, aut inflammatione laborant: palmulæ pingues obstruunt. Omnia autem genera liborum, quæq; ex similia conficiuntur, obturant, lienem augent, & lapidem in renibus gignunt: idem facit triticea farina cum lacte: alica etiam non est idonea ijs, quorũ obstructum iecur est, & quorum renes propensi sunt ad lapidem gignendum: vinum dulce obstruit, & viscera auget.

De *rebus tardè transeuntibus. Cap.* XLII.

TArdi transitus sunt omnia, quæ ex itrijs & similia cõficiũtur, fabę fractæ, panes puri, lens sine cortice, cerebrum, medulla spinalis, iecur, cor, triticum elixum, oua assa, elixa, in sartagine fricta, lupini, phasioli, pisa, sesamũ, poma, pira nondum matura, siliquæ, vinum dulce, ac magis austerum, & nigrum sine dulcedine, itemq; crassum, & nouum omne: aqua omnis tardè transit.

De *rebus, quæ facilè corrumpuntur. Cap.* XLIII.

FAcilè autẽ corrũpuntur persica, armeniaca, præcocia, & omnes fructus æstiui, quorum natura humida est, in ventriculo facilè vitiantur, nisi citò deijci properent. Omnia deniq; mali succi edulia, quæ humida lubricaque sunt, & subduci facilè possunt, ante alia sumenda sunt: ita enim ipsa citò subducta, cætera secum deducunt: si verò post alias dapes comedan-

dantur, eas etiam simul vitiabunt.

De rebus, quæ difficulter corrumpuntur. Cap. XLIIII.

AEgrè vitiantur chamulæ exiguæ, purpurę, buccinæ, & cætera omnia testa intecta, quorum dura caro est: quæ etiam dare consueuimus ijs, qui propter humorum malitiam cibos corrumpunt: eaq; bis & ter in optima aqua coquimus, & in aliam puram transferimus, cùm prima iam salsa facta esse videatur. Similes sunt astaci, paguri, cancri, locustę, & squillę, & alia omnia, quæ carnem habent, quæ ægrè vitietur, non secus quàm ea, quę testa contecta sunt, quorum dura caro est.

De rebus aluum subducentibus. Cap. XLV.

CIent aluum lens, brassica, atq; ex marinis fermè omnia, quibus testa pro operculo est, & cochleę mixtam ex contrarijs facultatibus naturam habent: ipsum enim solidum cuiusq; corpus permeat, aluumq; comprimit: humor verò ad excretionem irritat. Si quis igitur lentem, brassicamq;, & alia, quorum facta mentio est, decoquat, deinde eorum decoctum oleo, garo, & pipere condiat, tum cui velit bibendũ det, ventrem eo potu subduci videbit: maiorũ quoque herinaceorum, & cochlearum omnium, & veterum gallorum iuscula ventrem subducunt. Brassicam si velis subducere, ollam cum aqua in qua cocta fuerit, prope vas aliquod admouemus, & ita extrahendo in oleum & garum sine mora conijcimus: ad hunc vsum non est admodum coquenda. Iam furfuracei panes cient aluũ, & fœnu græci liquor, ex melle coctus, & sumptus, idoneus est, vt omnes humores vitiatos, qui intestinis cõtinentur, subducat: sed

mel quod ei admiſceatur, eſſe exiguũ debet, ne motſum afferat: oliuę ſale conditę ante alios cibos ex garo ſumptæ, aluum mouent: lac quod craſsius eſt, minus mouet, liquidius verò, magis. Serum lactis valde euacuat, eiq; tantum mellis addendum eſt, quantum ſatis ſit ad condiendũ, ne guſtum lædat. Carnes animalium valde nouellorũ facilius per ventrem tranſeunt: ſimili quoque modo cartilagineorum caro, & torpedo, & turtur, modicè tranſeunt: maluaq; & beta modicè: recens caſeus ex melle, atriplex, cucurbita, pepones, melopepones, ficus, caricæ, vuæ dulces, ac præcipuè cùm humidæ ſunt, ſycamina prius ſumpta, nux adhuc humida ad ſeceſſum eſt accõmodata: aridæ quoq; nuces, ſi prius in aqua multùm maduerint, melq; eis affundatur, vel ſi quis ipſas per ſe ſumat, aluũ abundè molliũt: ſed magis etiam, ſi poſtea aquam mulſam ſorbeas: eſt enim planũ, valere ad aluum ſubducendam, ſi poſtquàm hæc quæ dixi, ſumpſeris, vinum dulce bibas, tum ſpatio quodam temporis interpoſito, & non ſtatim prandeas. ceraſia ſola, præcocia, perſica, & omnia humida & aquea, & omnino quę nullam inſignem afferre guſtantibus, aut odorantibus qualitatem videntur, ſunt medię quodammodo facultatis, inter ea, quæ aluũ ſubducunt, quæq; ſupprimunt. mel ſolum ſi quis non coctũ lambat, aluum rectè ſubducet: aqua etiam mulſa parum vel nihil cocta facilè ſubducitur. vinũ dulce ad ventris ſeceſſum prodeſt: muſtum uerò ſubducit.

De rebus aluum ſupprimentibus.

Cap. XLVI.

PAlmulæ auſteræ, vuæ paſſæ auſteræ, ſycamina, rubi fructus, pruna agreſtia, poma adſtringẽtia, itemq; pira & mala cydonia: atq; etiam aſtaci, paguri, cancri,

cri, locustæ & squillæ, & cætera huiusmodi, quorum mollis testa est: sed minus quàm ea, quæ dura testa sunt operta. Habent aũt hæc salsum in se humorem, quẽ si in aqua deposuerint, non minus quàm ostreorum, & aliorum dura testa contectorũ carnes, aluum supprimẽt: lens quoq;, & brassicæ bis coctæ, & cùm succum deposuerunt, aluum cohibent. Sique humectum ventrem siccare velimus, brassicã modicè coctam priore aqua abiecta, in aliã calidam statim cõijcimus, in eaq; iterum coquimus vsque dum flaccida reddatur: nam quæ bis coquuntur, neq; aërem, neq; aquam frigidã debent attingere: quippe cùm si contingant, nunquam flaccida sint euasura, ne si diutissi mè quidẽ coxeris. si à lente corticem detraxeris, vehementem adstringendi facultatem amittet, neque eodẽ modo ventris fluxiones exiccabit: si verò eam contundas, bisq; excoquas, & priorẽ aquã abijcias, deinde parum aceti, aut gari admisceas (salis habet Orib. 3. Coll. 30.) & aliquid eorũ, quibus aluus constringit, adijcias, ne gustatui molestia afferat, suauissimũ vtilissimũq; medicamentũ simul & eduliũ cõficies. polenta ex vino austero potui data exiccat. oryza cohibet, & item panicum, milium, fricta, leporinæ carnes, vinum austerum, & nigrum dulcedinis expers: & quod album est & austerum, & suluum atque austerum.

De rebus, quæ in alimentis calefaciunt. Cap. XLVII.

HAE res calefaciũt, triticum coctum, panes ex eo confecti, typha, auena, fœnugræcũ, palmulæ dulces, mala dulcia, sesamum, vuæ dulces, ideoq; sitim afferunt vuæ passæ dulces, malua modicè. apium, smyrnium, eruca, raphanus, radicula, rapa, sinapis, nastur

tium, pyrethrum, paſtinaca, carus, allium, cepa, porrum, caſeus vetus, vinum vetus modicè calidum eſt, ideoq; ſitim inducit. fuluũ eſt nigro calidius. flauũ eſt calidiſsimum, deinde fuluum, tum rubrum, poſt hoc dulce, poſtremò album minus cęteris calefacit: vetuſtiſsimum verò abundè calefacit.

De *refrigerantibus rebus.* Cap. XLVIII.

REfrigerant autem hæc, hordeum, quoque modo eo vtaris, milium panicum, tubera, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucumeres, pruna, ſycamina, vuæ auſteræ & acidæ, vuæ paſſæ auſterę, mala adſtringentia, & acida, & inſipida, pira, mala cydonia: refrigerant etiam palmulæ adſtringentes, in quibus frigidus ſuccus ineſt: & lactuca & intyba moderatius. portulaca, papaueris ſemen, aqua, vinum dilutum non perſpicuè calefacit, quam ob rem minore cum periculo febricitantibus datur, vinum album & auſterum minimè pro vini natura calefacit, quod verò album ſimulq; auſterum eſt, & craſſum & nouum, manifeſtò refrigerat. acetum quoq; refrigerat, eſtq; tenuium partium: quocirca neruos magis quàm alia refrigerantia, lædit: medium verò locum inter refrigerantia & calefacientia ſortiuntur panes loti, amylum, atque vuæ vinoſę.

De *rebus ſiccantibus.* Cap. XLIX.

SIccant autem lens, braſsica, polenta, viticis ſemen, eruum bis coctum, & ſæpe in aqua dulce redditum: album verò præſtantius eſt. Porrò quæcunq; aſſa, fricta q́ue edunt homines, ea ſiccius alimentũ prębent: ea quoque, quæ garum, aut vinum liberalius accepe runt, ſicciora ſunt, quàm quibus hęc non inſint. Cęterùm maxima differẽtia alimentis apparandis affertur ex facultate ſeminum, olerum, & plantarum, quę in-

induntur,quæ omnia ſiccátia ſunt ſunt illa quidem, ſed alia magis,alia minus.

De *rebus humectantibus. Cap.* L.

HVmectant ptiſana, cucurbita elixa,pepones,melopepones,cucumeres, nuces virides,ſuſina,pruna, ſycamina,lactuca,intubus:malua aũt & blitum,atq; atriplex maximè omnium olerum aquea ſunt.humectant etiam fabæ virides,cicer,aqua refrigerat & humectat:at calefacta,humectat & calefacit.

De *rebus caput lædentibus. Cap.* LI.

CAput lædunt ſycamina, rubi fructus dolorem capitis affert.palmulæ omnes,eruca,fœnugræcum,ſuluum & auſterum vinum capitis dolorem creat, mentemq; tentat magis quàm nigrum & auſterum.odorata quoque idem faciunt:at aquoſum neque caput dolore vexat,neq; neruos tentat. quod verò pauciferum vocant,capitis etiam dolores ſedat, quos ſucci in ventriculo cõtenti excitarunt . vetus vinũ non aptum capiti, niſi quis admodum robuſtũ caput habeat.aqua in qua vuæ maduerint, quæ fex nominaẽ, capitis dolorem excitat : idem facit vua in vinaceis repoſita

De *rebus dentes lædentibus. Cap.* LII.

LAEdit autem dentes lac,ſi quis eo aſsiduè vtatur: idem quoque gingiuis nocet, easque flaccidas reddit:at dentes facit corruptelæ obnoxios,& qui facilè erodantur. Ergo in alimento, quod ex lacte ſumitur,vino diluto os colluendum eſt:ſed præſtat etiam eidem mel admiſcere.

FINIS PRIMI LIBRI.

ORIBASII AD EVNAPIVM LIBER II.

QVAE scire, quæque facere deberes, Eunapi, bonæ valetudinis tuendæ gratia, superiore libro exposuimus: sequit autem, vt vniuersales simplicium medicamentorum, & eorũ, quæ suppeditari facilè possunt, facultates dicendæ esse videantur. Qua in re docebimus, quibus affectionib. singula medicamenta auxilientur: deinde vt in alimẽtis declarandis, sic in medicamẽtis recensendis faciemus, vt materias cuiusq; facultatis, atq; actionis in vnum conducamus, & describamus: ita enim magna curationum perutilium, quibus quotidie indigemus, nobis suppetet copia: idq; elementorũ ordine seruato fieri poterit quam commodissimè.

De *facultate simplicium medicamentorum per ordinem elementorum.*

Caput primum.

AGni, hoc est viticis folia, flos, & fructus calidæ sic cæq; facultatis vehemẽter sunt, abundeq; tenuium partiũ, ac res venereas cohibẽt. Quã ob rem nõ modò ad castitarẽ cõferre putãtur, si quis eis vescatur, sed etiam si in lecto substernantur. Verùm ad lienem & iecur indurata, atque obstructa viticis quàm rutæ semen est accõmmodatius.

Agrosteos, hoc est, graminis radix modicè frigida, siccaq; est: ideoq; vlcera cruenta agglutinat: ipsa verò herba impositа refrigerat, sed nõ valẽter: estq; in medio siccitatis & hnmiditatis constituta. Mordacitas autem & partium tenuitas, quæ in radice inest perexigua est illa quidem, sed tamen decocta & epo

ta la-

ta lapides frangere quandoq; consueuit.

Agaricum vim habet per halitum digerendi, & crassos humores incidit, viscerumq; obstructiones expurgat: idcirco morbum arquatū, cùm iecur obstructione obsidetur, iuuat: medetur etiam morbo comitiali, & rigoribus, qui certo circuitu redeunt, quiq; ex crasis glutinosisq; humoribus oriuntur.

Adiantū siccat, tenuat, digerit: nam & caput glabrum ex alopecia, capillis cōuestit, & strumas, & absessus digerit, & epotū lapides frangit, nec mediocri adiumento est, vt glutinosa crassaq; ex pulmone & pectore excreentur: & ventris profluuium sistit: in medio verò ordine caliditatis frigiditatisq; constituitur.

Aegilops digerendi vim habet: quā ob rem indu ratas inflāmationes, & ægilopas, & alopecias sanat.

Aizoon vtrunq; & maius & minus, siccat leniter: in eo tamen aquea essentia cæteris excellit, & vehementer refrigerat. hinc ad erysipelata & herpetas, & inflammationes ex fluxione ortas accōmodatū est.

Aëra, hoc est, lolium, calefacit & siccat vehementer, & efficaciter, vt proximè ad acria accedat: abundè autem siccat.

AEgyri flores vehementer calfaciunt, modicè verò siccant. sunt præterea tenuium partium: eius autem resina calidioris facultatis est.

Acacia siccat illa quidem vehementer, sed lota abundè refrigerat, non lota verò modicè: cumq; non constet ex particulis similibus inter se, partes quasdam in se dispersas habet & tenues & calidas, quę luando segregantur.

Acalephes, hoc est, vrticę folia & fructus, facultatis sunt abundè digerentis, tenuiumq; partiū, ac extra vehementē caliditatem. phymata igitur paroti-

dasq; sanant. crassa quoque & glutinosa è pectore, pulmoneq; educunt, sed & quiddā habēt flatuosum, quo etiam venerem stimulant: præsertim verò si semen cum musto bibatur.

Acanthæ leucæ, hoc est, spinæ albæ radix modicè siccat & astringit: quo circa & cœliacos & stomachicos iuuat, & sanguinis reiectiones cohibet, & illita contrahit œdemata, dentesq; dolentes iuuat, si eius decocto colluantur. eius semen tenuium partiū est, calidæq; facultatis: itaq; potui datum conuenit ijs, qui conuelluntur.

Acori radix calidam & siccā vehementer vim habet, & consistentia est tenuium partium. lotium ergo ciet, & lienes induratos iuuat.

Aloë vehemēter calefacit, siccat verò astringitq; moderatè: estq; medicamentū stomacho idoneum, vt si quid aliud: & sinus glutinat. sanat etiam vlcera, quæ ad cicatricem difficulter perducuntur, ac præsertim quæ in ano & pudendis fiunt. Prodest itidem eorum inflammationibus aqua subacta, & vulnera eodem glutinat modo: iuuat etiam si pari modo ea vtaris, inflammationes, quibus os, nares & oculi obsideātur: iam verò repellere & digerere simul potest ita, vt paululū etiam abstergeat: idq; vsq; dum puris vlceribus molestum non sit.

Hales, id est, sales, similem vim habent fossiles, & marini, & ex duabus mixti sunt qualitatibus, abstergente atque adstringente. vtrunq; autem genus siccare planum est. quam ob rem omnem humorem in corpore depascitur, & partes solidas adstringendo condensat, quod in causa est, vt eas sale condiant, salq; corpora à corruptela conseruet. sal vstus maiorem digerendi vim habet: non æquè tamen contrahit & condensat.

Ha-

Halos anthos, hoc est, flos salis tenuiorũ partium est, quàm sal vstus, estque acris qualitatis, & abundè digerentis.

Ameos semen calefacit & exiccat vehementer, cùm tenuiũ sit partiũ: digerit etiam, & vrinã mouet.

Amurca calefacit illa quidem, non tamen perspicuè mordicat: si verò coquatur, calidæ siccæq; facultatis abundè fiet.

Ampeli leucę, id est, vitis albæ, quam etiam bryoniam vocant, germina vrinã modicè cient. radix abstergentem, siccantem & tenuium partium vim habet, & moderatè calidã: quare lienes induratos tum pota, tum foris impositа liquat: cum ficub. verò scabiem & lepram curat. Nigra verò vitis est ad omnia supradictæ similis, præterquã quòd imbecillior est.

Amygdalæ amaræ sunt facultatis perspicuè attenuantis, vt ephelin expurgẽt, & excreationibus glutinosorum crassorumq; humorũ ex pectore pulmoneq; abundè conferant. quinetiam obstructione liberant, purgantq; iecur, splenem, colon intestinum, & renes. tota quoq; eius arbor similis est facultatis: nam eius radices coctæ atque illitæ ephelin expurgant: dulces verò sunt amaris imbecilliores.

Ammoniacum habet emolliendi facultatem intensam adeò, vt etiam tophos articulorũ dissoluat, & lienes induratos sanet, & strumas digerat.

Amomum facultatẽ acoro similem possidet: siccius tamen acorum est, amomum verò maiore quodammodo vi concoquendi est præditum.

Anagallis vtraque & quæ cæruleum, & quæ puniceum fert florem, admodum extergentis facultatis est, habetq; nõnihil etiam caloris, & attrahendi vim quandam adeò, vt surculos etiam extrahat. vtriusq; succus ex naribus purgat, ad summam verò siccandi

vim habet morsu vacantem, atque ideo vulnera glutinat, & putrida adiuuat.

Andrachne, hoc est, portulaca, vehementer frigida est, & abundè humida, estque paucæ austeritatis particeps: proinde fluxiones repellit, ac præsertim biliosas & calidas, eas cùm mutando, tum in qualitate alterando magnopere refrigerans. Hac etiam ratione æstuantes, si quid aliud, adiuuat tum ori ventriculi imposita, tum verò etiã totis præcordijs. medicamentum verò est, quod ad sanguinem facit: similiq; ratione eius succus adeò, vt non solùm foris admotus, sed etiam epotus refrigeret: quod etiam toti herbæ si comedatur, accidit. quoniam verò restringit, vtile dysentericis edulium est, itemq; fluori muliebri & sanguinis reiectationibus. Sed tamẽ ad hæc est multò quàm herba, succus eius efficacior.

Anemonæ omnes acrem, extergentem, attrahentemq; & ora vasorum aperientem facultatem obtinent: quam ob rem radix cõmansa pituitam euocat, succus è naribus purgat, & oculorum cicatrices extenuat. Præterea verò anemonæ vlcera sordida expurgãt, & lepras tollũt, menstruas purgationes prouocant, & lac denique trahunt.

Anethum abundè calefacit & siccat, itaq; iure fit, vt in oleo decoctum digerat, dolorẽ sedet, somnum conciliet, crudosq; & incoctos humores cõcoquat: vstum verò vehementer calefacit & siccat, ideoque vlceribus nimis humidis insperfum prodest: præsertimq; ijs, quæ in pudendo sunt. Quæ verò in præputio inueterarint, ea probè ad cicatricem perducit. Cæterùm viride humidius est, ac minus calidũ, itaque magis concoquit quàm aridum, sed minus digerit.

Anthemis, siue chamæmelum modicè calefacit & sic-

ſiccat, eſtq; tenuium partium: itaque digerit, rarefacit, ac laxat. proinde laſsitudini, vt ſi quid aliud, in primis cõfert, dolores ſedat & mitigat. præterea tenſa remittit, ac laxat, quæq; modicè dura ſunt, emollit. febres quoque eas, quæ citra viſceris alicuius inflammationẽ moleſtæ ſunt, diſſoluit: præſertim quæ ex humoribus biliosis, aut cutis denſitate originem trahũt. & hypochondrijs, vt ſi quid aliud, iucundum eſt. Iam exanthemata, quę ex febris exceſſu orta ſunt in capite, ſanat chamæmelum, ſi viride ſit, oleo incoctum: ſi aridum, aceto prius cõſperſum. Eſt etiá idoneum in ijs, in quibus materia nondũ ferri ceſſauit: nam eam quæ in capite eſt, digerit, & aliunde nõ trahit, quod nulli præter hoc, medicamento vſu venit.

Aniſi ſemẽ calefacit exiccatq; vehementer: proinde & vriná ciet, & digerit, & flatus ventris reprimit.

Ariſtolochia lõga, vlcera carne replet, & vteri fomentationibus eſt accõmodata: in quibus autẽ craſſum humorem valentius attenuare oporteat, rotunda vtendum eſt: quamobrem dolores ab infarctu, & craſsitie crudorum ſpirituũ obortos rotunda magis curat, & ſpicula euellit, & putredines & vlcera ſordida ſanat & purgat, dentes denique gingiuasq; candore perfundit. Iam verò aſthmatis quoq;, & ſingultientibus & comitialibus, acribus ſuccis, podagricisq; ex aqua epota auxiliatur: eſtq; medicamentum, vt ſi quid aliud, ruptis & conuulſis accommodatum.

Arnogloſſum, hoc eſt, plantago abundè refrigerat, ſiccat & ſtringit: proinde ad vlcera maligna, fluxiones & putredines cõuenit, eandemq; ob cauſam ad dyſenteriam valet, & ſanguinis ſiſtit profluuia, & ſi quid aduratur, refrigerat, ſinus quoq; agglutinat: remedio etiam eſt cæteris recentibus vetuſtisq; vl-

ceribus:nam citra mordicationem ſiccat,eſtq; frigiditatis,quæ nondū obſtupefacit,particeps.Eius autem fructus & radix ſimilis ſunt facultatis,niſi quòd earum vis ſiccior eſt,minusq; frigida,ſed fructus eſt tenuiorum ſanè partium,radices craſsiorum. Iam ipſius herbæ folia arefacta facultatis redduntur, quæ tenuiorum partium ſit,ac minus frigida.hac ratione & radicibus vtuntur ad dolores dentiū,ijs tum mandendis,tum etiam collutionibus incoquētes. Ad iecoris verò renumque obſtructiones tum radicibus, tum etiam folijs,ac multò magis ſeminibus vti conſueuerunt.

Arum abſtergentis eſt facultatis non validè,ſicut dracontij vis : ſiccat tamen abundè & calefacit . eius radices ſi comedantur, non mediocriter humorum craſsitiem incidunt adeò,vt etiam excreationibus ex pectore ſint idoneæ.

Arſenicum,id eſt,auripigmentnm ſiue vſtum,ſiue ignem non expertum,adurētis eſt facultatis : eo verò vtuntur, vt adurente, ad nudandam pilis cutim: verùm ſi diutius inhæreat,ipſam etiā cutim aduret.

Artemiſiæ calefaciunt & ſiccant abundè,ſuntque modicè tenuium partium , vt etiam mediocriter ad lapides renum, & vteri fomentationes conueniant.

Aſari radices facultates ſimiles habēt radicibus acori,intenſiores tamen: itaque ea,quæ de acori radicibus diximus,huc tranſferenda ſunt.

Aſpalathus facultatis partium diſsimilium inter ſe,& adſtringentium, eius q; partibus acribus calefacit,adſtringentibus verò refrigerat,atq; ita vtriuſq; partis ratione ſiccat:quam ob rem ad putredines fluxionesq; vtile eſt.

Aſparagus myacanthinus abſtergentis eſt facultatis,nec perſpicuè calefacit,nec refrigerat:proinde renum

renum,iecoris q; obstructiones tollit,præsertim verò herbæ radices & semen: præterea verò quia citra calorem siccat,ideo dolori dentium medetur.

Astaphis,hoc est,vua, culta quidem concoquendi simulque adstringendi & modicè digerendi vim habet:agrestis verò acrem valenter,& ex capite purgat & abstergit vehemèter, idq; adeò, vt ad scabies etiam valeat.sed & vrendi vim quandam habet.

Asphodeli radix vtilis est,sicut ari,asari & dracontij:extergentis enim facultatis est. eius verò vsta cinis maiorem habet vim calefaciendi,siccandi,subtiliores partes faciendi,digerendiq;: hæcq; causa est, vt alopecias sanet.

Atriplex herba est abundè humida,modiceq; frigida, non particeps adstrictionis,sed perinde aquea est,vt malua. Porrò atriplex maluaq; hortenses tum humidiores, tum etiã frigidiores sunt multò, quàm agrestes. quocirca inflammationibus incipientibus idoneæ sunt:vigentibus autẽ & declinantibus agrestes sunt accommodatiores. semen abstergendi vim habet:itaque ad morbum regium ex iecoris obstructione vtilis est.

Aphronitrum vim habet abstergentem adeò, vt non solùm sordes extergeat, sed etiã pruritus sanet, saniem pruritus excitantem digerens.

Absinthiũ calidum modicè est, siccum vehementer. eius multò est quàm herba, calidior.absterget autem hac de causa, atque roborat, & bilioſos ventris humores per infernam egestionem pellit,ac per vrinas euacuat: per quas etiam id quod in venis biliosum est.expurgat. quam ob rem pituitam ventriculo contentã nihil adiuuat sumptam : causa est,quia adstringens in eo facultas maior est,quàm amara.præterea quòd acrimoniæ cuiusdam sit particeps, ideo

sit, vt maiore portione calidum sit, quàm frigidum.

De *rebus à* B *incipientibus.*

BAlsamum valenter calfacit & siccat, est quoq; tenuium partium. eius liquor est partium tenuiorum, non tamen vsque adeò calefacit, vt quidam ex partium tenuitate decepti putant. fructus eius persimilis est facultatis, cæterùm multò in subtilitate partium inferior.

Balaustium flos est agrestis punici, valenter gustum adstringens, facultatis verò siccantis, refrigerantis, & crassarũ partium. Si verò intertrigenes vlceraq; ipso illinas, celerrimè ad cicatricem perduci videbis: itaque ad sanguinis reiectiones eo omnes vtuntur.

Bati, hoc est, rubi, folia, germinaq;, si mandantur, aphthas & alia oris vlcera sanat, imò verò etiam vulnera glutinant. fructus verò si maturus sit, moderatam habebit caliditatẽ quandam, at immaturus à frigida vincitur substãtia, ac proinde vehementer siccat: siccatus verò reponitur, vt flos eius, faciuntque vtrique ad tormina inteſtinorum, & ventris profluuium atq; imbecillitatem & sanguinis sputum. Radix verò præterquàm quòd adstringit, est etiam tenuium partium: ob eamq; causam lapides in renibus confringit.

Bdellium valenter emollientis & efficacis facultatis est. eo quidam vtuntur ad brochocelas, & hydrocelas saliua ieiuna subigentes ad emplastri consistentiam. idem crudorum flatuum discursus, laterum dolores, & rupta persanat.

Blitum olus est humidum frigidumq; admodum.

Bulbus flatum ciet, & si edatur, venerẽ stimulat: illitus verò glutinat & siccat.

Bu-

Butyrum facultatis concoquentis est, cui nonnihil etiam digerentis adiunctum est. quam ob rem parotidas, bubones, oris inflammationes, aliasq; particulas sæpenumero ipsum solum in puerilibus mulieribusq; corporibus sanat. sed etiã gingiuis puerorum dentes emittentiũ assiduè illitum, nihilo secius quàm mel, gingiuas attenuat. quin etiam deuoratũ magno adiumento est ijs, quæ ex pulmone sunt expuenda, & simul etiam concoquit inflãmationes.

Buphthalmũ acrius est chamęmelo, ob eamq; causam maiorẽ vim habet digerendi adeò, vt etiam duritias sanet cerato admixtum.

Brathy, hoc est, sabina, exnumero calefacientium siccantiumq; valenter est, atq; etiam digerentium, & propter partium tenuitatem menses educit, vt si quid aliud, ac sanguinem per vrinas mouet, fœtum viuentẽ interficit, & mortuũ educit. quidam etiam pro cinnamomo duplum eius ponunt.

De rebus à r incipientibus.

GAla, hoc est, lac, quod optimi succi est, accõmodatissimũ est ad acres mordentesq; fluxiones: præsertim verò cùm nobis circunfusus aër calidus sit, multũ huiusce facultatis amittet, nisi protinus quis ab vberibus expresso, & adhuc calido vtatur. Quo in genere vtendum pręcipuè est lacte mulieris bene habitæ, & quæ vitę rationem probè institutã seruet. Si hoc non suppetat, caprino, aut equino, aut bubulo, aut asinino, aut ouillo vtemur.

Lactis verò serum abstergentis est facultatis, aluumque subducendi gratia sumitur, & clysteribus etiam inijcitur, abstergitq; & abluit acrimonias intestinorũ. prodest etiam ad colluenda vlcera acria, & quibus inest sanies: ad dysenterias verò, & omnes

acres ventris fluxiones in lac prius decoctum ignitos lapillos inijcimus, & lac eò vsque decoquimus, dum plurima serosi humoris pars in eo consumpta fuerit. Si verò quis ferreos orbiculos igne candentes inijciat, meliorem sanè facultatem reddit. Præterea lac totum ad acres oculorum fluxiones cõuenit, & ad hyposphagmata, & sugillata. quinetiam simul cum rosaceo & ouo palpebris foris impositum, cum ijs qui lippitudine laborant, dormitum eunt, inflammationes concoquet. Esto autem hoc muliebre lac recẽs ex mamillis expressum. id quoque infundimus veteris vlceratis: & vbi mitigatione opus est, siue ob inflammationẽ, siue ob morsum, siue ob maliguitatem, eo vtimur accommodatè.

Rũ, id est, terra, omnis siccandi vim habet: cumque nulla penitus ignea substantia ei sit admixta, tum citra vllum omnino morsum siccat: quã etiam ad rem valet, si lauetur. Præterea terra omnis, quæ colitur, si pinguis sit, valebit ad omnes eas partes curandas, quæ desiccari postulant. itaque ea & Alexandriæ, & in Aegypto vtuntur: nam quosdã vidi: qui cùm aqua inter cutem & lienis affectionibus laborarent, terra Aegyptia vterentẽ, seq; vngerent. Eodem modo eius lutum & veteres inflãmationes, & laxa œdemata iuuat: atq; adeò, vt viderim ego nonnullos, qui ex nimia euacuatione ex hæmorrhoidibus facta turgentes redditi, perspicuum adiumentum senserint. Sed & quidam diuturnos, & parte aliqua infixos dolores perpessi, huius luti vsu planè sanati fuerunt. Lemnia verò terra modò vni, modò alteri humori admixta facit ad vulnera glutinãda, ad diutina, vel difficulter ad cicatricem perducũtur, vel quæ maligna sunt, persananda. Samia terra, & qui potius after dicitur, vtilis est ad sanguinis sputum ex quouis loco

san-

ſanguinis ex vtero profluuia,& dyſentericas exulce rationes,antequàm putreſcentes efficiantur. Samia verò maximè mitigat inflãmationes in vberibus,teſticulis,& omnibus locis glandularum.Hanc autem ad læuorẽ redigere ex aqua oportet:tnm roſacei tantùm miſcere, quantùm faciat, ne medicamenũ ſiccet:quod eñ ita pararis,accõmodatum erit,vbi mediocriter refrigerare cum mitigatione voluerimus, vt appareat, facultatem Samiæ eſſe modicè refrigerantem. Selinuſia verò & Chia modicè abſtergendi vim habent: quam ob rem mulieres quædam eis ad faciem vtuntur.

Gigarta,hoc eſt, acinorũ vuæ nuclei abundè ſiccant,modiceq; refrigerant & adſtringunt:quocirca omnibus ventris affectionibus cum profluuio coniunctis abundè proſunt.

Glaucium adſtringit & refrigerat perſpicuè,vt etiam eryſipelata,ſi valentiora non ſint,ſanet.

Glichon,hoc eſt,pulegiũ,calefacit attenuatq; vehementer.itaque humores craſſos, ac glutinoſos ex pulmone & thorace per ſputum facilè elicit, & menſtruas mulierum purgationes mouet.

Glycyrhizæ ſuccus ad læuigandas aſperitates aptus eſt, nec modò in arterijs,ſed etiam in ſcabra veſica.eſt verò eius temperatura tota tepida: cumque temperie humidus ſit,ideo ſiti eſt iure accommodatus.

Glycyſidę,hoc eſt,pæoniæ radix menſtruas purgationes ciet ad amygdalę magnitudinem,ex mulſa potui data. iecur quoq; obſtructum & renes expurgat:ſua autem adſtrictione ventris profluuia ſiſtit,ſi in vino aliquo auſtero decocta potetur.omnino verò ſiccandi valenter facultatẽ habet, vt minimè deſperarim, eam collo pueris ſuſpenſam comitialem

morbum meritò ſanare. Eius autem vis eſt tenuium partium,& exiccans,non tamen inſigniter calida.

Gypſum facultatis eſt ſiccantis & emplaſticę.cõbuſtum verò non ęquè emplaſticũ eſt:fit tamen partium tenuiorum, & maiorem exiccandi vim acquirit.valet etiam ad repercutiendum, præſertim verò oxycrato maceratum.

De rebus à △ incipientibus.

DAucus & ſtaphilinus calefacientis facultatis eſt, & tenuium partium.Radix verò habet prȩterea vim ciendi flatus,& venerem,ſtimulandi. Semen domeſtici habet ipſum quoq; resvenereas ſtimulandi vim quandam: at ſemẽ agreſtis eſt penitus flatus expers, ac proinde vrinam ciet,menſesq; prouocat.

Daphnes,hoc eſt,lauri folia & baccæ ſiccãt & calefaciunt vehementer, & magis etiam baccæ quàm folia. Cortex verò radicis minus eſt acer ille quidẽ, ſed amarus magis, habetq; neſcio quid adſtrictionis.proinde calculos frangit,& hepaticos iuuat. bibitur autem ex vino odorato ad trium obolorũ pondus.

Dermata, hoc eſt, coria vetera, quæ videlicet ex vetere calceamento ſunt,vſta, ad vlcera ex attritione calceamentorũ ſedata inflammatione vtiliter adhibentur:hic enim cinis exiccandi vim habet:& ambuſta,& eas, quas intertrigines in feminibus vocãt, meritò perſanat.

Diphryges mixtæ eſt qualitatis & facultatis adſtringentis & acris: quam ob rem accõmodatum eſt ad vlcera maligna medicamentum.

Dictamnum tenuioris eſſentię eſt quàm pulegiũ, in cæteris illi ſimile eſt: quod verò falſum dictãnum vocant,eſt ad omnia dictamno imbecillius.

Dra-

Dracontium est acrius quàm arum, magisq; amarum: itaque medicamentum factum est tam efficax, quàm quod maximè. Eius radix expurgat viscera, omnes crassos glutinososque humores extenuans, estq; optimũ malignorum vlcerũ medicamentum: expurgat quoque & abstergit strenuè cum alia, quibus absterssione opus est, tum etiam vitiliginẽ, cum aceto. Folia autem vlceribus & vulneribus recens illitis conueniunt: & quò minus sicca fuerint, eò magis glutinabunt: sicciora enim sunt acriora, quàm vt vulneribns conueniant.

Drys, id est, quercus partes omnes sunt qualitatis adstringentis participes: sed plus tamen eius habet membrana, quæ in trunci cortice subest, & quæ est sub glandis ipsius calculo, quæ inquam carnẽ ipsius fructus conuestit. quocirca ad fluorem muliebrem, ad sanguinis sputa, ad tormina intestinorum, ad alui profluuia diuturna eam esse accõmodatam, crediderunt. Valentius autẽ adstringit fagus & ilex, atque horum, & item quercus folia illita siccare non instrenuè possunt. ex quo fit, vt illita, & totam circũiacentem vulneris partem contegentia, vulneris agglutinandi vim habeant.

De *rebus ab* E *incipientibus.*

EBiscus, siue althea, est autem agrestis malua, facultatis est digerentis, laxantis, inflammationes leuantis, mitigantis, phymata coctu difficilia concoquentis. Radix verò atque eius semen cætera faciunt, illa quidem æquè ac folia, sed tamẽ tenuiorum partium sunt, magisq; quàm folia siccant, & præterea magis abstergere demonstrantur, atque adeò, vt etiam vitiliginem detergant, & semen renum calculos frangat. Radicis verò decoctum ad tormina intestino-

rum,& alui profluuia,& sanguinis reiectionem vtile est:vtpote quòd adstriugendi vim quandam habeat.

Elææ,hoc est,oliuæ rami tantę frigiditatis,quantę adstrictionis sunt participes.Fructus verò exquisitè maturus,moderatè calidus est:at immaturus magis,& adstringit & refrigerat.

Elæum verò,hoc est,oleum, quod ex oliuis conficit, humectandi & moderatè calefaciendi vim habet: quale est dulce, quod ex oliuis drupis potissimùm conficitur:quod aũt omotribes vocant,quantum habet adstrictionis in se,tantum etiam ei frigiditatis inest.Vetus porrò oleum, quod ex dulci tale euasit,calidius est,& maiore digerendi vi prędituṁ: at quod ex crudo, vbi adstrictionem prorsus abiecerit,alij simile fit.quod verò tenue cernatur,quale est quod purum est, quodq; intuenti pellucidum videtur, ac modicum eius cuti impositum latissimè serpat, sibi tamen ipsi continuum maneat, atque à cuti combibatur, hoc vtiq; censendum est optimum,atque olei virtute prędituṁ esse vel maximè.

Elleborus vterq; abstergentis simul & calidæ facultatis est:quam ob rem ad vitiliginẽ, lichenas,psoras leprasque accõmodatus est: imò verò niger si in fistulam, quæ ex callo obduruerit, infundatur,duobus tribúsue diebus callum aufert. prodest etiã dentibus, si hoc cum aceto colluantur:calefacit enim & siccat vehementer.

Elxine, alij perdicinum vocant, facultatis est abstergentis , & leniter adstringendi cum humiditate subfrigida . vnde omnes inflãmationes in principio & incremento vsque ad statum,ac prędipuè eas,quę calidæ sunt,persanat. quin etiam incipientibus phigethlis imponitur . eius prætereа succus cum rosaceo ad aurium dolores inflammationis speciem præ

se

se ferentes mediocriter prodest.

Elimus, aut meline, hoc est, panicum, exiccantem vim habet. sistit ergo ventris fluxus, sicut milium: si verò foris illinatur, siccat & refrigerat.

Erebinthus, hoc est, cicer, lacti & semini gignendo aptum est: prouocat verò etiam menses. quod autem arietinũ vocatur, vrinũ efficacius quàm aliud, ciet. decoctũ verò eius calculos in renibus confringit: ad quod potissimùm valet id, quod ex nigro fit cicere. reliquum genus, quod orobiæum nominant, vim habet attrahendi, digerendi, incidendi, abstergendi: est enim calidum modiceq; humidum. est etiam amaritiei particeps, cuius vi iecur, lienem, renesq; expurgat, ac psoras, lichenasq; exterget, ac parotidas testiculosq; induratos discutit, & vlcera maligna cum melle sanat.

Erpyllos, hoc est, serpyllum, calefacientis est facultatis adeò, vt & menstruas purgationes, & vrinam cieat.

Eria, hoc est, lanæ sordidæ, quæ succidæ appellantur, accõmodatè adhibentur ad excipiendas irrigationes, quæ cõtusis & percussis particulis imponuntur. puræ autem vstæ vim acrem calidamque habent cum partiũ tenuitate: quocirca flaccidas in vlceribus carnes eliquant quamcelerrimè. Vruntur autem vt alia pleraq;, vt ollam nouam lana impleas, eamq; operculo multis foraminibus pertuso tegas.

Eupatorium herba tenuiũ partium est, abstergentis, adstringentis, incidentisq; facultatis, citra manifestam caliditatem. vnde visceris obstructiones expurgat: sed quia paucæ obstructionis particeps est, ideo viscera robur addit.

Euphorbium adurentis, tenuiumque partium facultatis est.

Echidnes, hoc est, viperæ carnes, cùm ita vt anguillæ condiuntur, ex oleo, sale, anetho, porro, & aqua seruato omniũ modo, totum corpus per cutim expurgans ita, vt elephantiasi laborãtes curent. Sed quoniam nonnulli eorum, qui has carnes ederunt, vehemẽtissima sint cruciati siti, idcirco vitãdę sunt, quæ iuxta mare degunt, & in locis viuũt salsis, quippe quæ salsam carnẽ habeant, quas sanè dipsadas vocant. Ergo caro viperarũ facultatis est siccantis, valenter digerentis, & modicè calefacientis: properat autem eius vis, vt videtur, ad cutim, per quam excrementa copiosa, quę in corpore sunt, euacuat. & à cute, ceu squama abscedit, deciditq; extima cuticula, in qua & psoræ, & lepræ, & elephantes gignuntur.

De *rebus à* z *incipientibus.*

ZYme, hoc est, fermentum, tenuium est partium, & modicè calidum. quam ob rem citra morsum atq; molestiam, quæ in imis partibus sunt, extrahit, & digerit.

De *rebus ab* H *incipientibus.*

HEdiosmus, ab alijs minthe seu menta nominatur, ea est facultatis vehementer calefaciẽtis: & propter humiditatem, quæ ex coitu ei accedit, mediocriter etiam ad venerem impellit. habet etiam quandam amaritiem, qua lumbricos enecat, est itidem acerba, ac proinde recẽtes sanguinis reiectationes cum oxycrato pota sistit. substantiam quoq; tenuium habet partium, vt si qua alia herba.

De *rebus à* ⊖ *incipientibus.*

THapsia acris, valenterq; excalefacientis facultatis est cum humiditate coniunctæ: quare ex alto vio lenter trahit, & quod traxit, digerit. id quod longio re tempore efficit.

Ther-

Thermus,id est, lupinus edi potest, & ex genere emplasticorum medicamentorũ est. cæterùm amarities ei innata absterget digeritq́; . Ipse etiam lupinus illitus,& ex melle linctus,vel cum oxycrato epotus lumbricos interficit. quin eius etiam decoctum lumbricos expellit,& foris perfusum vitiliginem,achoras,pustulas,psoras, gangrænas, vlcera maligna iuuat: siccat enim citra morsum. idem iecur expurgat renesq́; cum ruta & pipere sumptũ. elicit etiam menses & fœtus cum myrrha & melle impositũ.Iam verò lupinorum farina citra mordicationem digerit,cùm non liuida solùm,sed etiam strumas & phymata dura sanet :in quo casu coquenda ex aceto est, aut mulsa, aut posca. digerit etiam quæ liuida sunt, & quæcunque modo diximus præstare decoctũ posse,eadem omnia farina efficit.

Thaon,hoc est,sulfur omne trahentis est facultatis,estq́; calidum & tenuium partium,vt etiam multis venenatorum animalium resistat. quin & psoras, & lichenas & lepras cum resina terebinthina sanat. omnes enim huiusce generis affectiones exterget, nec in profundum repellit.

Thlaspi semen acris est facultatis adeò, vt internos abscessus epotũ rumpat, menses ciet,fœtũ corrumpit,& per sedẽ infusum sanguinolenta euacuans ischiadicis prodest.

Thridax,id est,lactuca, humidũ frigidumq́; olus est, non tamen extremè : proinde ad calidas inflammationes accómodata est, & ad parua leuiaq́; erysipelata.est etiam edulium siti aduersum. Semen verò potum genituræ profluuium cohibet,quam ob rem ijs datur,qui in somnijs polluuntur.

Thymum calefacit & siccat vehementer, & incidit vehementer:ideo fit,vt vriná moueat, fœtus ex-

trahat, & potum viscera expurget. educendis verò ex thorace atque pulmone humoribus confert.

De rebus ab Ixos incipientibus.

Ixos, id est, viscum ex alto extrahit valenter humores non solùm tenues, sed etiá crassiores, eosq; diffundit ac digerit. est etiam ex eorum medicamentorum genere, quæ non protinus admota calefaciunt, sed quæ tempus velut thapsia, ad id postulant.

Ios violæ folia aqueam & subfrigidũ essentiã superantem possident. quocirca & per se, & cum polenta illita calidas inflammationes leniunt.

Iòs, id est, ærugo, acrem qualitatem habet, estque digerens, detrahens, & detergens, non tenerã modò, verùm etiam duram carnem: siq; pauculum eius multo cerato admisceas, id quod ex vtroque conflabitur, citra morsum absterget.

Hippuris, hoc est, cauda equina, qualitatẽ habet adstringentẽ cum amaritie. proinde valẽter simulq; sine mordicatione exiccat. itaque vulnera vel maxima cõglutinat, etiam si perfecti nerui sint. Præterea iuuat etiam ramicem intestinorũ. adhæc facit ad sanguinis reiectiones, & ad fluorem muliebrem, ac potissimùm ad rubrũ. Ad dysenterias verò & alios ventris fluxus, generosum medicamentum est herba ipsa ex aqua, aut vino pota. Eius porrò succus prodest profluuio sanguinis è naribus, itemque ventris affectionibus profluuio obnoxijs, cum aliquo austero vino potui datus: aut etiam cum aqua, si fortè is, cui detur febrim habeat

Isatis domestica, qua tinctores vtuntur, siccantis valenter facultatis est: non tamẽ adhuc vt mordeat: est enim amara simul atq; adstringens. proinde magna vulnera in duris corporibus glutinat, etiam si in capi-

capitibus fuerint musculorum. illinitur quoque vtiliter partibus fluxu sanguinis laborãtibus: ac tumores œdematũ speciem præ se ferentes digerit simul, & reprimit: & aduersus omnia vlcera maligna egregiè resistit.

Iteæ, hoc est, salicis folijs vti quispiam possit ad cruentorũ vulnerum agglutinationẽ. eiusdem quoque facultatis est eius flos: ita enim leniter desiccat, vt morsu vacans sit, & item adstringit. Quidam ex eo succum faciunt, seruantq; vt medicamentũ morsus expers, exiccans, & ad multas res vtile. Arboris etiam cortex simili facultate est, nisi quòd sicciore est natura. sed hunc quidam comburũt, eiusq; cinere vtuntur ad ea, quæcunq; valenter exiccari postulant. ergo clauos, quos vocant, & callos, & myrmecias aceto maceratus tollit.

De rebus à K incipientibus.

CAlamintha calida & sicca vehementer est, ac tenuium partiũ. ipsa verò per se pota sicca est: cum melicrato autem perspicuo calefacit, & sudores elicit, omneq; corpus digerit & exiccat. quam ob rem fuerunt, qui ea ad rigores circuitu quodam repetentes vsi sint: ac foris quidem adhibentes oleo incoctam, & totum corpus cum strenui frictione inungentes: intrò verò sumẽtes, vt dictum est nobis. Quinetiam coxendicibus quidam in morbis ischiadicis, vt singulare remedium imponũt: trahit enim quæ in profundo delitescunt, ad extremitatem, totumq; adeò articulum excalfacit, & cutim vehementer adurit, & menstruas purgationes potui data, admodum efficaciter prouocat. vtile etiam medicamentũ est ad elephantiasin, eò quòd digerat attenuetq; valenter, & crassos humores incidat. Qua etiam ratione cicatri

ces atras reddit splendidas,& suggillata digerit.sed ad hæc efficienda præstatior est ex vino cocta:vt postea illinatur,cómodiorque erit viridis,quàm sicca: nam siccata fit valentior,& promptius vrit.Eius autem succus lumbricos latos & rotundos infusus & epotus interficit. Iam verò etiá suspiriosos adiuuat, eosq; qui morbo regio laborant,eò quòd abstergat purgetq; iecoris obstructiones. cæterùm ad hæc omnia conficienda montana est efficacior.

Calamus,id est,arundo vallaris. eius radix facultatis abstergẽtis est particeps non mediocris:eiusq; non acris . Folia autem viridia modicè refrigerant, inq; eis inest etiam abstergendi vis . Eius verò cortex combustus abundè tenuium partium,& digerẽs redditur, habetque vim abstergendi adeò,vt siccet, calfaciatq; vehementer.

Canabis semen flatus expers est, & siccans vsque adeò,vt si largius quis eo vescatur,exiccetur.

Capnios,id est,fumus,acris simul & amarę qualitatis est particeps: neque etiam omnino vacat adstrictione. quam ob rem vrinas bilioſas copioſe promouet , & iecoris obstructiones atque imbecillitatẽ sanat. idem siccus & læuigatusex mulsa & illitus ventrem laxat: siccus quoq; vino diluto perspersus stomachum roborat.

Capparis radicis cortex ex pugnantibus constat facultatibus : quippe qui abstergere, purgare, incidereq; amaritie potest:excalfacere verò,incidere digereq; acrimonia:cõtrahere,densare,& constringere acerbitate.Itaq; lienes induratos,si quid aliud, iuuare hoc medicamentum potest , tum foris admistum remedijs,quę illinendo sunt,tum intrò in corpus assumptũ,& in aceto, aut oxymelle coctum, aut aridum contusum,illisq; admistũ : nam lentos crassosq;

soſq; humores ita ſumptum perſpicuè, idq; non ſolùm per vrinas, ſed etiam per feceſſum euacuat: ac ſæpe etiá ſanguinolentos humores defert. vnde & lienes, & coxarũ dolores adiuti ſunt. ſed & menſtruas euocat purgationes, & pituitá ex capite purgat. porrò vlceribus malignis cataplaſmatis modo impoſitus, bonum medicamentũ eſt. præterea dentium labores adiuuat, interim cum aceto coctus, interim cum vino. ſæpe etiam ſolus dentibus cómanſus. Vitiliginem quoq; cum aceto digerit, & item ſtrumas, tumoresq; duros idoneis ad hæc medicamentis admixtus diſcutit. Nec mirũ videri debet, ſi huius herbæ ſuccus amaritie ſua vermes aurium occîdat.

Cardami, id eſt, naſturtij ſemẽ, adurentis eſt facultatis particeps, vt ſinapi: proinde coxendicis, capitisq; doloribus, atque adeò quicquid ruborem poſtulat, eo excalefaciunt, ſicut ſinapi.

Cardamomum calidæ vehementer facultatis eſt, adeò vt illitum adurat. adiunctum quoque ei quiddam amaritudinis eſt, qua lumbricos enecat, & pſoras cum aceto valenter exterget.

Caſia calefacit & exiccat vehementer excrementa, quę ſunt in corpore, & inſtrumentis robur addit. Eſt verò etiam idonea menſtruis purgationibus ſuppreſsis, cum excrementorum copia, craſsitiesq; vetat, ne quantùm ſatis eſt, euacuetur.

Caria arbor, id eſt, nux, habet in foliis & in germinibus adſtrictionem quandam: at in nucis putamine & recenti & ſicco euidentem plurimamq; . itaq; ex contuſis putaminibus expreſſum ſuccum in melle, vt mororum, & ruborum decoquimus, & pro ſtomatico medicamento vtimur. Eius nucleus aridus combuſtus fit tenuiũ partium & exiccans, & medicamẽtum morſus expers. Leptocarya verò, hoc eſt, nuces

Ponticæ frigidiores & magis austeræ sunt. in cæteris rebus sunt magnæ nuci persimiles.

Castoreum calfacit, exiccat, tenuiumq; abundè est partium. est etiam accómodatissimum ijs, qui ex plenitudine conuelluntur ac tremunt: ijs verò, qui exinanitione hęc patiuntur, maximè contrarium. hæcque facit tum epotum, tum cuti ex sicyonio, aut vetere oleo impositum. quibus verò maiore caliditate opus est, fricari eos ex castoreo conuenit. sed iuuat etiam si quis carbonibus ipsum imponat, eiusq; suffitū inspiratione hauriat: maximè verò si humidæ frigidæq; affectiones in pulmone, aut capite constiterint. attamen lethargicæ cataphoricæq; affectiones, quibus adiuncta febris est, melius est non curare quidem aliquo dictorum oleorū macerando: sed potius ex rosaceo capiti colloq; imponere.

Cedrus calfacit exiccatq; vehementer: oleum autem quod ex ipsa fit, vehementissimum est, & abundè tenuium partium. itaque molles carnes promptè & sine dolore putrefacit: duras verò & lōgiore tempore, ac præcipuè corpora mortuorū siccat, & à corruptela tuetur. Nec mirū videri debet, si pediculos, lendes, & tineas, & vermiculos, qui sunt in auribus, interimat: appositaq; fœtum viuentem enecet, mortuum verò ejiciat, sicut etiam facit de coitus ipsius semine, pudendo circumlita. proinde medicamentum erit partui aduersum, si sic vtaris, nulli secundū. eadem quoque dentium foraminibus instillata, dolores eorum lenit, ipsosq; dentes confringit.

Centaurij maioris radix acris est & calida & adstringens cum terrea frigiditate. Ergo sua acrimonia prouocat menstruas purgationes, fœtumq; mortuum extrahit, viuentemq; corrūpit & expellit: adstrictione verò vulnera agglutinat, & spuentes sangui-

guinem iuuat: itemq; ruptis, conuulsis & difficultati respirationis, & tussibus inueteratis prodest.

Centaurium minus siccat valenter citra morsum. ex quo fit, vt magna vulnera glutinet, si recens illinatur. preterea vetustis vlceribus. & quę difficulter ad cicatricem perueniunt, cicatricem inducit. Decoctum verò huius herbæ quidã ischiadicis infundũt, ceu bilioſa crassaq; educens. cùm tamen ita vehementer egerit, vt cruenta euacuet, tunc magisetiam proderit. Succus verò eius, qui similis facultatis est, cùm ea quæ prædicta sunt, efficit, tum etiam fœtum illitus euocat, & menstruas purgationes educit.

Cecis, hoc est, galla, quæ immatura est, medicamẽtum est admodum acerbum, habetq; plurimũ essentiæ terrenæ frigidæ: qua ratione fluxiones resiccat, & repercutit: contrahitq; & constringit, & roborat particulas imbecilles, omnibusq; fluxionum affectibus strenuè resistit. itaq; siccat vehementer, & abunde refrigerat. Altera verò galla, quæ flaua laxaq; est, siccat ipsa quoque, sed minus. Cæterùm gallæ combustæ sanguinis reprimendi vim acquirunt. carbonibus autem imponendæ sunt vsque dum igni candeant, tum aceto aut vino extinguendæ.

Cera medium quodámodo tenet calefacientium & refrigerantium, humectantiumque & siccantium. quam ob rem aliorum medicamentorũ materia est. ipsa verò per se & foris imposita, ex genere est debiliter concoquentium

Cissos, id est, hedera, ex contrarijs facultatibus composita est: stringit enim & refrigerat, estq; acris & calida, & viridis est aqueæ essentiæ tepidæ particeps. folijs verò eius in vino decoctis magna vulnera glutinantur, & maligna sanantur: & vlcerationes ex igni factas ad cicatricem perducit. Folia quoque

ex aceto decocta lienosos iuuãt. Eius flores sunt fer mè validiores, vt ambustis cum cerato leuigati conueniant. Succus denique medicamentum est, quod naribus infusum purgando capiti est: sanatq; diutur nas auriũ fluxiones, & vetusta vlcera in auribus atq; naribus. si verò acrior videatur, cùm vtendum eo erit, oleo rosaceo miscebitur. Lachryma eius pediculos interimit, & cutim pilis nudat.

Colocyntha, hoc est, cucurbita, humectat ac refrigerat admodum. quocirca succus ramentorũ eius ad aurium dolores cum inflammatione coniunctos cum rosaceo cõuenit. sic etiam tota illita calidas inflammationes refrigerat.

Cummi, hoc est, gummi, facultatis est siccantis & emplasticæ, & nimirum asperitates sanat.

Conia, hoc est, lixiuium, adurentem habet caliditatem, sed tenuitate substantiæ citra doloré vrit.

Conyza maior & minor calefacit siccatq; vehemẽter. hæ in oleo coctæ remedio sunt ijs rigoribus, qui per circuitum redeunt. earum flores vnà cum folijs terunt quidã, & ex vino potui dant ad menstruas purgationes egregiè euacuandas, & fœtus eijciendos.

Coriannon, siue corion, hoc est, coriandrũ, ex contrarijs facultatib. cõstat: plurimum em̃ habet amaræ essentiæ, quæ tenuiũ est partiũ, & terrea, nec parum etiã aqueæ humiditatis, quæ tepentis facultatis est, obtinet. habet quoq; nonnihil adstrictionis. ex quibus omnibus agit variè.

Copros, id est, stercus, caprinum, quod propriè *σπίγαλος* nominatur, acris & digerẽtis facultatis est, ideoq; induratis tumoribus conuenit, ac non solùm in liene, sed in alijs etiamnũ particulis. Equidem ad tumorẽ in genu inueteratũ iusi cataplasma ex hor-

dea-

deacea farina & posca & hoc stercore confici atque adhiberi. & mirabile est, quantùm ei profuerit. Hæc denique parandi ratio est in cæteris particulis vtilissima: est tamen vi acriore, quàm vt eo in mulieribus vrbanis, aut pueris, aut, vno verbo, in corporib. teneræ carnis vtare. Cæterùm stercus hoc vstum tenuiorum fit partium, non tamen euidenter acriorũ. quam ob rem ad alopecias facit, & ad ea omnia, quæ abstergentia medicamẽta postulant: cuiusmodi sunt lepræ, impetigines & scabies, & cętera generis eiusdem. Stercus autem bubulum siccandi vim habet, at que etiam attrahendi: quod ostendit, cùm apum vesparumq; morsus iuuat. hoc etiam stercore quidam aqua inter cutem laborãtes oblinebat, & in sole exponebat. Stercore autem columbarum, quæ in pascuis degunt, vt calefacienti medicamento ad multas res assiduè vtimur, adhibemusque cum nasturtij semine pro sinapi ad ea, quæ ad ruborẽ perduci postulant. At stercore gallinarum vtuntur quidam in ijs, qui suffocant, quòd fungos comederint. vomunt autem qui hoc sumunt, humorem pituitosum crassissimum. qua re statim à periculo liberantur. porrò stercus ipsum in tenuem pollinem redactum, ex tribus quatuórue poscę, aut oxymellis cyathis persper sum esse oportet. est autẽ hoc minus columbino calidum. Cæterùm stercus crocodiliorum terrestrium abstergendi siccandique vim habet: cuiusmodi est etiam stercus sturnorum, cùm oryzam solam comederint. Vt ergo crocodilorum stercus ephelidas deterget ita etiam vitiliginem atq; impetiginẽ tollit.

Costus exiguam planè amaram, plurimam verò acrem calidamq; obtinet qualitatem, vt etiam exulceret. quocirca totum corpus eorum, quos per circuitum rigores inuadunt, illo cum oleo ante acces-

sionem extrinsecus confricatur. ita etiam in resolutiuis ischiadicisq;, & omnino in quibus partem aliquam calefacere, aut ex alto ad superficiem trahere succum aliquem oporteat, costo vtimur. Valet quoque ad vrinã, mensesq; prouocandos, itemq; ad rupta conuulsaq;. Laterũ quoq; doloribus conuenit, latos lumbricos interficit. Ad ephelida valet cum aqua, aut melle. eidem quoque flatuosa quędam humiditas inest, qua cum vino mulso venerem excitat.

Cotyledon, id est, vmbilicus Veneris, mixtæ est facultatis, humidę, subfrigidæ, & cuiusdam obscurè adstringẽtis, cui est etiam amari parum adiunctum. quam ob rem refrigerat ac repercutit, abstergitque & discutit. & inflammationes erysipelatis naturam imitantes, & erysipelata speciem inflammationum præ se ferentia persanat: ac stomacho ardore æstuanti admodum vtiliter imponitur.

Crambe, id est, brassica, siccãtis facultatis est, nõ tamen etiã acris euidenter, sed adeò, vt vulnera glutinet, atque vlcera maligna sanet, inflãmationibusq; iam induratis, & solutu difficilib. & erysipelati quod etiam tale sit, itemque herpeti medeatur. Sed & vis quædam abstergens ei inest, qua lepras curat. eius semen epotum lumbricos necat. ephelidas quoq; & lentigines iuuat. Caules verò brassicæ combusti cinerem faciunt admodum desiccantẽ, vt fermè adurendi vim habeat. qua sanè ratione eiusmodi cinerem adipi veteri miscent, & ad dolores lateris, aut si quid tale sit, vtuntur. Fit enim valenter digerẽs medicamentum.

Crithe, hoc est, hordeum, siccat refrigeratq; modicè, habetq; etiam pauxillum abstersionis. Polenta verò plus multò, quàm hordeum, exiccat.

Crini, hoc est, lilij flos, tenuiũ est partium. oleum quod

quod ex eo fit, digerentis, morsu vacantis, & mollientis facultatis est, idoneũ verò est vteri duritiei. Radix quoq; eius & folia per se trita siccant, abstergunt, & digerunt mediocriter. ita fit, vt exustis conueniant. ergo radicẽ tostam, tum ex rosaceo contritam exustis, quoad cicatrix obducatur imponunt. quippe cùm alioqui ad cicatricem omnibus vlceribus inducendam medicamentum sit idoneum. quin etiam vteros mollit, menstruasq; purgationes prouocat. Folia quoq; decoquũt, & vsquedum cicatrix obducta sit adhibẽt, eaq; non solùm exustis, sed etiã vlceribus. Porrò si quis succũ foliorũ ex melle & aceto decoxerit, & multò maiorẽ succi, quàm mellis & aceti copiã posuerit, is probatissimũ medicamentum sibi parabit ad ea omnia, quæ citra morsum desiccare vehemẽter oporteat: qualia sunt vulnera magna, præsertim verò quæ capitibus musculorum infliguntur: & vlcera flaccida diuturnaq;, & quæ cicatrice difficulter concluduntur.

Crocus abũdè calefacit, modicè verò siccat: ideoque concoquendi vim quandam obtinet: cui etiam rei adiumento est paucula eius adstrictio.

Crommyon, id est, cepa, vehementissimè calefacit, crassæq; essentiæ est: quocirca admota venarum ora aperit. ex aceto verò in sole inuncta, vitiligines exterget. alopecijs verò attrita cutim citius, quàm alcyonium, pilis conuestit.

Cyamus, hoc est, faba, est medij proximè temperamenti in exiccando & refrigerando, & exiguæ facultatis abstergentis atque adstringentis est particeps. ea foris imposita sine molestia siccat, atq; in podagra ex aqua decocta, & ita adipi suillo admixta: ad neruorum autem contusiones, & vlcera fabæ farina cum oxymelle imponẽda: ad eos, qui ex ictu iam in-

flãmatione tentantur, cum polenta. est etiam aptum testibus, vberibusq; cataplasma: quippe cùm hæ particulæ inflãmatione obsessæ modicè refrigerari desiderent. præsertim verò cùm vbera ex lacte in ipsis concreto inflammationem contraxerunt. imò verò & lac ipsum ab hoc cataplasmate extinguitur, sicut puerorum pubes farina fabarum illita plurimo tempore impubis permanet,

Cumini semen vehementer calefaciendi vi præditum est, flatusq; discutit, & vrinam mouet.

Cyparissi folia, germina, & globuli recentes, ac molles magna vulnera in duris corporibus conglutinant. ex quo planè patet, siccandi vim in eis inesse, cui nihil insigniter acre sit adiunctum. plurimum autem amari, & multò etiam plus acerbi habent. proinde humiditates, quæ imis in partibus delitescunt, in flaccidis & putredini obnoxijs affectionibus & sine molestia & tutò depascuntur, aliasq; trahunt. sic etiam ramicem intestinorum iuuant vel ex eo, quod siccant, & robur particulis præ humiditate laxis addant.

Cyperi radices excalefaciũt & exiccant sine mordacitate. itaque vlceribus, quæ ad cicatricem ægrè perduci possunt, ob nimiã humiditatẽ mirificè prosunt: habent enim quidpiam adstrictionis. & ob eam causam vlceribus, quibus os obsidetur, valde cõueniunt. quin & incidendi vim quandam eis inesse apparet, cùm calculo laborantibus congruant, vrinãq; & menstruas purgationes prouocent.

Cyclaminus absterget, incîdit, digerit, aperit ora venarum atque attrahit. eius autem succus hæmorrhoidas reserat, & floccis impositus atque admotus secessum valenter prouocat: eius enim ita vehemens vis est, vt abdomine illito ventrem subducat, & pes-

se

so impositus fœtum interimat. Radix est succo imbecillior, sed ipsa quoque est vehemens: nam & purgationes menstruas ciet epota & admota, & arquatum morbum iuuat, non modò ipsum viscus expurgans, sed etiam bilim quę in toto corpore sit, per sudores excernens. datur autem potui pondere drachmarum trium cum passo, aut melicrato. cutim etiam detergit & alopecias & ephelidas & omnia exanthemata curat. itemq; lieni indurato, emplastri modo illitatum recens, tum arida prodest.

Cytisi folia digerentis facultatis sunt, quæ aquęę & tepidæ mista est.

Coni fructus, quem etiam cocalum nominant, viridis totus habet cum humiditate amaritiem & acri moniã quandam. proinde purulentis, & quibuscũq; ea quæ in thorace & pulmone sunt, facilè tusi reijcere & expuere expedit, accommodatus est. Fructus verò ex eo esculentus, asperitates in aqua maceratus lenit.

De *rebus à* A *incipientibus.*

LApathum digerentis modicè facultatis est. oxylapathum verò est mixtæ facultatis: nam cum digerentis, est etiam cuiusdam repercutientis particeps. eorum semen manifestam adstrictionem quandam obtinet, vt dysenterię & diarrhœę medeatur, ac pręsertim oxylapathi.

Leucoion, & fructus vniuersus abstergentis, ac tenuium partium facultatis est: magis tamen flores, & inter hos, qui sicciores sunt adeò, vt eorũ decoctum menstruas purgationes promoueat, & secundas, ac fœtum mortuum prouocat: siq; bibatur, fœtum interimat: ac si quis eius virium vehementiam multa aqua admixta mitiget, is medicamentum ad inflam-

mationem accõmodatum habebit. Hoc igitur modo eius decoctũ vteri inflammationes perfusum sanat, potisimũ verò eas, quæ iam obduruerunt. Fructus eandem vim habet, duarum drachmarum mensura potui datus, vel etiam impositus, menses̃que ciet, ac fœtum viuentẽ corrumpit, & mortuum expellit.

Libanotus, hoc est, thus, abundè calefacit, & modicè siccat, habetq; aliquid adstringentis, ac potius etiam album. Eius autem cortex euidenter adstringit, quam ob rem strenuè quoque desiccat. est etiam crassarum partium, & acrimoniæ minimè particeps.

Libanotides tres similẽ vim habent omnes emollientem, digerentem, abstergentem & incidentem. Succus radicum ipsarum, atque herbæ melli admixtus hebetudines oculorum, quæ ex crasis humoribus oriuntur, persanat.

Lapis hæmatites tantum habet frigiditatis, quantum adstrictionis. Eo igitur solo vsus sum ad supercilia exasperata. si verò aspera facta sint cum inflammatione coniuncta, ex ouo ipsum diluo: si verò magis, etiam ex fœnugræci decocto. si sine inflammatione, ex aqua. Initium verò ducito semper à modicè humido, per spicillum infundens. Vbi autem is, qui curatur, eius vires fert, crasius semper identidem efficito. ac postremò ita crassum facito, vt spicilli cuspide inungas secundùm subiectionem euersionis supercilij. Idẽ lapis simili ratione in cote contritus, sputo sanguinis, & omnibus vlceribus conuenit. Siccus verò læuigatus, & in tenuissimum pollinem redactus reprimit excrescentia, vlceraq; oculorum ad cicatricem ipse solus perducit, attritus, vt dicebam, & infusus, aut inunctus.

Lapides qui in spongijs reperiunt, frangendi vim obti-

obtinent: non tamen ita validam, vt lapides in vesica confringant.

Lithargyrus siccat, vt alia metallica omnia, terrenaq; & lapidea medicamenta, id tamen facit moderatissimè, & in cæteris qualitatibus & facultatibus quodam modo in medio est, atq; manifestò calefaciens, neque refrigerans. estq; particeps abstergentis & adstringentis facultatis modicè. quocirca vtimur lithargyro pro materia, quam ijs, quę valentem vim habent, seu mordendi, seu adstringendi, seu aliquid aliud faciendi miscemus. inter caliditatem verò frigiditatem medium locum obtinet.

Lini semen modicè calefacit, estq; in medio fermè humiditatis, & siccitatis constitutum.

Litron, hoc est, nitrũ, siccat & digerit. si verò intrò in corpus sumatur, multò magis quàm sal, crassos tenacesq; humores secat atq; attenuat. Aphronitrum verò nisi magna quædã necessitas cogat, deuorandũ non est, vtpote quòd stomacho infensum. ac rusticus ex fungorum esu penè suffocatus eo vsus est, eiq́ue probatum fuit remedium. Cæterùm intrò vsto, & non vsto nos etiam ad talia vti consueuimus.

Lichen in petris nascens abstergentem simul, modiceq; refrigerantẽ & adstringentem vim habet. sed etiam desiccans. quocirca haud mirum est, si inflammationi est aduersum.

Lotos domestica, quam etiam trifolium vocant, facultatis est modicè adstringentis, & siccantis: estq; in medio in calefaciendo & refrigerando.

Lotos arbor adstringit illa quidem modicè, sed tenuiũ partium est & siccans. proinde lignorum ipsius scobs conuenit fluori muliebri, dysentericis, & cœliacis. decoquitur autem tum ex aqua, tum ex vino, prout vsus postulare videatur. neq; solùm infun-

ditur,sed etiá bibitur.quin etiam fluentes pilos cohibet.

Lycium facultatẽ obtinet exiccantem,constatq; ex diuersi generis subſtantijs,altera tenuiũ partium digerente,&abundè calida,altera terrena,& frigida exigua, ex qua obtinet adſtrictionem. Ex quo fit,vt hoc medicamento ad diuerſas affectiones vtantur: atque vt abſtergente quidem, quando id aſſumunt, tanquam expurgans ea,quæ pupillę tenebras offundunt:vt cõtrahente verò,cùm id cœliacis,& dyſentericis, ac fluori muliebri adhibent.eodem etiam vtuntur ad hypopia,& ad ſedis atque oris inflammationes,vlceraq; & herpetas ac putredines, & vlcera maligna, &aures purulentas & intertrigenes,& denique ad vnguiũ reduuias. Porrò Indicum Lycium eſt ad omnia valentius.

De *rebus ab* M *incipientibus.*

MAlua, agreſtis quidem, digerentis mollientisq; leniter facultatis eſt particeps:hortenſis verò eſt imbecillior. earum fructus tantò validior eſt, quantò eſt ſiccior. Quæ verò anadendromalache, & althea nominatur,eſt generis eiuſdem.eſt tamen quàm hæ, ad digerendum efficacior.

Mandragora refrigerat quidem vehementer,ſed eſt tamen etiam caloris cuiuſdam particeps. Et in pomis nonnihil eſt humiditatis. quamobrem ea ſoporem afferendi vim habent. Cortex autem radicis, qui valentiſsimus eſt, non refrigerat ſolùm, ſed etiam deſiccat.quod verò intus eſt,imbecillum eſt.

Marathrũ, hoc eſt, fœniculum, caleſacit quidem vehementer,cæterũ modicè ſiccat.proinde lac procreat,idq; non mediocriter. valet quoq; ad vrinam ciendam,& ad menſes educendos.

Maſtiche compoſita ex cõtrarijs facultatibus eſt, ad-

adstringente & molliente: quocirca stomachi, ventris, intestinorum, & iecoris inflammationibus conuenit, vtpote quæ calefaciat siccetq; abundanter.

Melanthium calefacit siccatq; vehementer, cùm tenuium sit partium. quibus quidem sit rebus, vt calidum in linteo admotum, & assiduè olfactum catarrhos sanet, quinetiam epotum flatus extinguit vel maximè. Interimit etiá lumbricos, non solùm esum, sed etiam ventri foris admotũ. præterea lepras, clauos myrmeciasq; eijcit, menses q; ciet, qui ob crassitiem tenacitatemq; humorum fuerint suppressi.

Mel calefacit & desiccat abundè. est autẽ simplicis, quoad eius fieri potest naturalis facultatis. Coctum verò minus acre & abstergẽs efficitur. quocirca ad sinus glutinandos eo vtuntur.

Melilotum mixtę facultatis est: habet enim quidpiam adstrictionis, sed & digerit & concoquit: copiosior em in eo calida essentia inest, quàm frigida.

Mespilorũ fructus admodum acerbus est, & esculentus, & ventrem strenuè cohibet.

Mecon, hoc est, papauer omne est refrigerãtis facultatis. Semen verò satiui papaueris mediocriter somnum conciliat, estq; album: quamobrem pani ipsum inspergunt, ac melle maceratũ edunt. Alterius verò, cuius flos decidit, semen valentius refrigerat adeò, vt eo vti innoxiè, sicut satiuo, quispiam non possit.

Mali Persicę folia & germina amaram qualitatem vincente habent. ex quo fit, vt in potu accepta lumbricos interimant. id quod faciunt etiam vmbilico imposita. omnino verò digerẽs medicamentum est, eius verò fructus humidus est ac frigidus.

Meum calefacit vehementer, atq; abundè siccat. proinde vrinas menstruasq; purgationes mouet. do

lorem verò capitis creat, ac flatum gignit.

Molibdos, id est, plumbum, plurimam habet humiditatē ex frigore concretam. Si igitur mortarium pistillumq; plumbeum confeceris, in ipsumque aut omphacinum oleum, aut aquam, aut rosaceum, aut alium quempiam succum indideris, ac teras, vti poteris succo ita confecto ad inflammationes in sede cum vlcere, aut rugis, eritq; ad eas quæ in pudendis ac testibus, atque vberibus sunt, optimū remedium. valebitq; eodem modo ad alias inflammationes incipientes, quæ inguina, aut pedes, aut alios articulos obsideant. conuenit non secus vlceribus malignis, siq; ad carcinode vlcera vtaris, erit sanè mirabile medicamentum. Si verò celeriter multum succi plumbei velis colligere, conare in sole terere, aut omnino aëre excalefacto. porrò vtilissimum medicamentum pararis, si quempiā succum refrigerantem, vt semperuiui, vt vmbilici Veneris, vt intybi, vt lactucę, vt psyllij, vt omphacij admiscueris. Plumbi verò bractea tenuis ganglio probè imposita & alligata, ipsum planè dissipat.

Mori fructus, maturus quidem ventrē subducit, immaturus verò vbi aruerit, medicamentum admodum restringens fit adeò, vt dysentericis, ac cœliacis conueniat. tunditur etiam, & obsonijs admiscetur. Cortex verò radicis arboris purgantis facultatis est particeps, cum amaritie quadam. itaq; latum lumbricum interficit.

Myelos, hoc est, medulla, vim habet molliendi corpora, quæ obduruerunt, ac scirrhum contraxerunt. optimā verò expertus semper sum ceruinam: deinde iumorum boum. taurorū verò & hircorum est acrior & siccior. quocirca duritiem scirrhi speciem referentem dissoluere non potest.

Myr-

Myrtus ex contrarijs ſubſtantijs conſtat: in ea tamen vincit terrenum frigidum. habet verò etiam tenue quiddam calidum: quocirca admodũ ſiccat. Cæterùm folia, fructus, germina, & ſuccus non multùm in adſtrictione differunt: quod verò agnatũ eſt trunco, atque ramis tuberoſum, quam myrtada quidam vocant, quò ſiccius eſt antedictis, eò adſtringit ſiccatq; vehementius. quidam id tundunt, ac reponũt, tum vino ſubigentes paſtillos conformãt. folia item arida magis quàm viridia, deſiccant.

De rebus ab N incipientibus.

NArdi ſpica modicè calefacit, abundeq; ſiccat. ea ex eſſentia abundè adſtringenti & acri, calida non multa, & quadam ſubamara conſtat. meritò igitur tum pota, tum foris admota iecori & ſtomacho conuenit, vrinasque mouet, ac morſus ſtomachi ſanat, ventriſq; fluxiones, & pręterea capitis atque thoracis exiccat. valentior autem eſt Indica, quæ nigrior eſt, quàm Syriaca. Celtica verò ſimilis eſt facultatis, ſed vrinas magis ciet.

Narciſſi radix ſiccandi facultatem habet adeò, vt maxima vulnera conglutinet, vel ſi vſque ad tendines ſit facta præciſio. habet etiam abſtergendi & attrahendi vim quandam.

Nymphææ tum radix, tum ſemẽ vim habet deſiccandi ſine morſu. itaq; profluuia ventris ſiſtit, ac ſemen ſiue in inſomnijs, ſiue alio modo immoderatius profluens cohibet. iuuat etiam dyſentericos. Quæ verò candidam radicem habet, vehementiore facultate prædita eſt. quocirca ex aqua macerata vitiligines, pice verò liquida, alopecias ſanat.

De rebus ab O incipientibus.

OXos, id eſt, acetum, mixtæ ſubſtantiæ eſt calidæ,

& frigidæ, atque vtriusq; tenuium partium, frigida tamen calidam superat. Cæterùm vbi acetum validum sit, vehementer exiccans est.

Oxyacanthæ fructus non solùm cùm estur, sed etiam cùm potui datur, omnes affectiones, quæ cum fluxionibus coniunctæ sunt, retinet.

Opopanax mollit, ac digerit: calefacitque vehementer, & abundè siccat.

Opos, hoc est, liquor, Cyrenaicus omnium & calidissimus est, & tenuissimarum partium, ac proinde maximè digerit. quanquam cæteri quoque calidi & spirituosi abundè sunt, hoc est, Medicus & Syriacus.

Origani omnis vis est incîdens, tenuans, calefaciens & siccans vehementer. quam verò tragoriganon vocant, ea aliquid adstrictionis assumpsit.

Orobus, hoc est, eruum, siccat quidem abundè, sed calefacit modicè, & incidit & absterget, & obstructiones tollit. si verò copiosius sumatur, sanguinem per vrinas educit.

Ostrax, hoc est, testa buccinarum & purpurarum vsta vim habet admodum exiccandi. Ostreorũ quoque combusta similis est facultatis. ea vtor ad diuturnas ex fluxione cauitates, & quæ vix impleri carne possunt: quæ nimirum fistulosæ sunt atq; profundæ, eam foris ex adipe suillo veteri imponens. & in sinum aliquid eorũ, quæ talia carne implent, immitto, quale est vstum diaphanes, quod spheclarium nominant. Iam verò horũ omnium cinis dentes splendidiores reddit tum abstergendi facultate, tum verò etiam essentiæ asperitate, nõ secus quàm pumex. ad hunc verò vsum non est necesse quæ sic vsta sunt, admodum læuigare. at si vlceribus malignis velis inspergere, ante omnia in tenuissimum pollinem redigenda

genda erunt. porrò carnem excrescentem exterunt mediocriter & comprimunt. præterea cum sale vsta hæc omnia dentes efficacius abstergent: atq; adeò, vt non modò flaccidas gingiuas exiccent, sed etiam putrescentia vlcera adiuuent.

De rebus à P incipientibus.

PAliuri folia & radix non obscuram adstringendi facultatem habent, vt etiam ventrem fluentem cohibeant: digerunt verò adeò, vt phymata quoq; curent, quæ non admodũ inflámata, calidaq; sint. Cęterùm fructus tantam incidendi vim habet, vt & calculos vesicæ confringat, & pectoris pulmonisq; excreationibus auxilietur.

Pentaphylli radix siccat quidẽ abundè, sed minimè acris est. quocirca ad multa vtilis est.

Piper nuper germinans longum est, ideoq; humidius, fructus verò qui velut omphax est, album est piper, quod est acrius nigro: illud enim est aspectu tanquam subassatum, & subexiccatum. vtrunq; tamen satis valenter calefacit & siccat.

Petroselini semen acre est cum amaritie coniuncta. proinde menstruas purgationes mouet, & vrinas copiose citat. flatus quoq; discutit: valdeque calefacit & siccat.

Peganon, hoc est, ruta, quæ agrestis est, vehementissimè siccat & calefacit. quæ verò domestica est, vehementer: eaq; est nõ acris modò, sed etiá amara, atq; humores crassos & tenaces incidit attenuatq;, & per vrinas ducit. est & tenuiũ partiũ, & flatus excutit. quã ob rem ad inflationes accõmodata est, & veneris appetitum cohibet. eadem strenuè digerit, atque siccat.

Pix ea quę sicca est, calefacit abundè & siccat. quę

verò humida est, habet præter hæc, nescio quid tenuium partium ita, vt asthmaticos & purulentos iuuet. cyathus autẽ eius melli admixtæ ad lingendum datur. habet præterea vtraq; vim quandam abstergendi, & concoquendi, & digerendi. qua sanè ratione leprosos vngues eximit ceræ mista, lichenasque detergit, ac tumores duros & incoctos cataplasmatis indita concoquit. liquida tamen est ad omnia valentior.

Pini cortex vincentem habet facultatem adstringentem, vt impositus intertrigenes pulcherrimè sanet, & potus ventrem cohibeat, & ambusta ad cicatricem perducat.

Piceæ cortex simili modo, quo pini cortex, agit, moderatius tamen. In folijs tamen vtriusque & pini & piceæ vis est vulnerum agglutinandorum. Fuligo autem quæ ex dictis colligitur, ad pilos supercilio-rum, & ad angulos oculorũ lippientes, erosos, & lachrymantes accõmodata est.

Platanus frigidioris humidiorisque essentiæ est. quam ob rem eius folia viridia trita, & illita inflãma tiones in genibus iuuant. eius cortex & pilulæ cum adipe ad vlcera ambusta valent.

Pompholyx si lota fuerit, fermè omniũ prima est, quæ circa morsum siccant, vnde ad vlcera carcinode idonea est, & item ad alia maligna omnia.

Prasium, hoc est, marrubiũ, calefacit & siccat vehementer. iecur & lienem obstructione liberat, thoracem pulmonemq; expurgat, menstruas purgationes ciet. illitum verò abstergit & digerit, & per nares arquatos expurgat. denique ad inueteratos aurium dolores facit.

Propolis vehemẽter calefacit, ac valenter abstergit, abundeq; trahit, estq; valenti ac tenui essentia.

Pte-

Pteleæ, hoc est, vlmi folijs recentia vulnera glutinantur, in eisq; abstergendi & adstringendi facultas inest: & magis in cortice adeò, vt cum aceto lepras etiam sanet. Eandem vim radices habēt: proinde earum decocto quidam perfundunt fracturas, quibus inducere tophos opus sit.

Ptereos, hoc est, filicis radix, latos lumbricos interficit, si quatuor eius drachmas in melicrato quis bibat. porrò fœtum viuum interficit, mortuum expellit. Similem huic obtinet vim fœmina filix.

Pyrethri radix vrentem vim habet, qua dentium refrigeratorum dolores sanat. & ante rigores periodorum ex oleo confricatur. stupidos quoq; & resolutos adiuuat.

Pyros, hoc est, triticum, foris impositum modicè calfacit, non tamen siccare aut humectare manifestò aptum est. habet verò quidpiam lentoris, & naturæ obstruentis. Amylum verò quod ex eo cōficitur, frigidius sicciusq; ipso redditur. at cataplasma expane confectū maiorē digerendi vim habet, quàm quod ex tritico fit, quippe cùm panis & fermentū & salem habeat, fermentumq; facultatis sit attrahentis digerentisq;.

Pytia, hoc est coagulum omne acris, attenuantis, digerentis & siccantis facultatis est: nam lac in ventre coagulatū dissoluit. Leporis verò coagulum omnium præstantissimū est. id sanguinē in ventre concretum cum aceto epotum dissoluit: facitq; id efficacius quidem cæteris, sed non tamen solum.

De rebus ab R incipientibus.

RAdicula vehementer calefacit, & abundè siccat. semen est efficacius planta. in eis vis digerendi est. itaq; ad fugillata & alia liuida id genus vtiliter adhibentur.

Rheum mixtæ facultatis est: habet enim quidpiam terrestre, quod frigidum est: sed ei quoque ineſt caliditas quædam cum partium tenuitate coniuncta. conuulsa igitur & rupta, & eos qui nisi recta ceruice spirant, adiuuat. liuentia itidē & lichenas sanat cum aceto illitum, & sanguinem expuentibus cœliacisq; & dysentericis prodest.

Resinæ omnes calefaciunt, siccant digeruntque, sed aliæ magis, aliæ minus id faciunt. lentissima verò omnib. meritò anteposita est. eam mastichen nominant: nam præterquā quòd est exiguæ particeps adstrictionis adeò, vt stomachi, ventris & iecoris imbecillitatibus & inflāmationibus cōueniat, ei etiam ineſt, vt sine mordacitate siccet: minimè enim acris est, & maximè tenuium partium. cæteris præstat terebinthina, eaq; magis quàm mastiche digerit, & absterget ita, vt scabies sanet, & quę in profundo sunt, cæteris resinis magis attrahit.

Rosarū vis est aquea substantia calida mista duabus alijs qualitatibus, adstringenti & amaræ. earum flos etiam magis quàm rosæ, adstringit: ac proinde vim itidem habet exiccandi.

Rhypos, id est sordes è statuis digerit & emollit, & incocta phymata digerit. Sordes verò in palęstris quam πάτον vocant, optimū est mamillarum inflammationibus remediū: nam & illarū feruorē igneum restinguit, & quod influit, cohibet: & quod ibi continetur, digerit.

De rebus ab S incipientibus.

SAndaracha vrentis facultatis est, ceu arsenicū. ergo meritò fit, vt eum facultatibus digerentibus & extergentibus commisceant.

Satyrium humidum calidumq; temperatura est, humi-

humiditatemque excrementitiam & flatus participem posidet. quocirca ad res venereas incitat. idē quoque eius radix facit.

Selinon, hoc est apium calidum adeò est, vt vrinas & menstruas purgationes cieat. flatus quoq; discutit: & magis semen quàm herba.

Seris temperaturæ est frigidæ siccęq; modicè. Seseleos fructus vsque adeò calidus est, vt mouere vrinam copiose queat. quinetiam partium tenuitate ad comitialem morbum, & ad recta ceruice spirantes accómodatus est.

Sesamum emplasticam vim & simul mollientē habet, & modicè calidam. eiusdem facultatis est oleū, quod ex eo conficitur: & item decoctū herbę ipsius.

Sicyos, hoc est, cucumis, qui maturus est, tenuioris essentiæ est: qui talis non est, crassioris. sunt tamen abstergētis & incidentis facultatis participes. quam ob rem vrinam cient, & corpus splendidum reddunt: atque etiam magis, si quis arefaciat, deinde contusum per cribrum excutiat, & pro abstergente puluere vtatur: in eo enim humida frigidaq; admodum abundat natura. quanquā si semē & radix exiccentur, non etiam humidæ naturæ sunt, sed iam modicè siccātis. Agrestis verò cucumeris succus, quam etiam elaterium nominant, qui ex fructu, itemq; ex radicibus & folijs exprimit, est ad curationes peruti lis. Ergo elateriū menses ciet, & fœtū interimit appositum. prodest regio morbo laborātibus in nares cum lacte infusum: quo etiā modo capitis dolores sanat. Succus verò radicis & foliorū est prędicto imbecillior. Cæterùm eius radix abstergit, digerit mol litq;. Cortex verò maiorem siccandi vim obtinet.

Silphij liquor calidissimus est. & tamen folia, & fructus & caules & radix strenuè non calefaciunt,

sed omnia sunt magis essentiæ flatuosæ, atque ideo concoctu difficilia. foris tamen imposita sunt efficaciora: & maximè omnium liquor, in quo vis admodum trahendi inest. & ex memorata eius temperie, facultatem quandam detrahendi & liquandi habet.

Spongia vsta acris & digerentis facultatis est. hæc bitumine imbuta, & adhuc ardēs, vt ficca reddat, facit ad sanguinis eruptiones ex vulnere. si bitumē nō suppetat, pice illinenda est. Spōgia verò noua per se se manifestè deficcat. id nosces, si ea sola vtaris ad vulnera ex aqua, vel oxycrato, vel vino: perinde em̄ glutinabit, ac medicamenta, quæ sistendo sanguini apta sunt.

Spondylij fructus acris & secantis facultatis est. quocirca ad asthmata, & ad morbum comitialem est medicamentum accōmodatum. sed & morbo regio affectis prodest. ac radix quoque, in qua similis facultas est, ad eadem valet. estq; præterea vtilis ad callos, qui ex fistulis oriuntur. ea autem circumrasa imponenda est.

Stear, hoc est, adeps suillus est fermè omniū aliorum humidissimus. quam ob rem in actione proximè ad oleū accedit: maiorē tamen vim habet emolliendi & cōcoquendi, quàm oleum. idcirco eum admiscemus ijs cataplasmatis, quæ ad inflammationes valent. qui verò mordicationes aut in recto intestino, aut in colo patiuntur, ijs potius caprinum, quàm suillum adipem inijcimus: quippe qui propter crassitiem facilius concrescat, suillus aūt instar olei defluat. proinde eo potius vtimur ad dysentericos, & qui crebra desidendi cupiditate tenētur. Anserinus verò adeps sanies quæ in alto corpore mordicant, sua tenuitate magis obtundit. est etiam suillo calidior. in horum medio est adeps gallinarū. Nunc verò

rò omnis pinguedinis facultas est humectans & calefaciens: sed suilla est modicè calida. taurinus verò adeps est multò calidior, & siccior. vitulinus verò minus quàm taurinus, & hœdinus minus quàm caprinus & hircinus. taurinusque minus quàm leoninus: hic enim potentius, quàm cæterorum omnium quadrupedum adipes, digerit: nam & calidissimus, & tenuissimarũ est partiũ. Porrò omnis adeps cùm inueterascit, fit se ipso calidior, & tenuiorum partium. atq; ita etiam maiorẽ digerendi vim acquirit.

Scandix calefacit siccatq; vehementer. itaq; meritò vrinam ciet, & viscera liberat obstructione.

Scilla est facultatis admodum incidentis, non tamen admodũ calidæ. melius autem est ea assata, aut elixa vti. quo sanè modo eius viriũ vehementia exoluitur.

Scolimi radix calida siccaq; admodũ est. copiam vrinæ fœtẽtis educit, si vino incocta bibatur. hac ratione fœdos alarum, & totius corporis sanat.

Scordion ex varijs facultatibus constat: habet enim quidpiam amari acerbiq; & acris. viscera igitur expurgat, simulq; excalefacit, ac menstruas purgationes & vrinas mouet. conuulsa quoq; & rupta, & laterum dolores ex obstructione, & frigore ortos epotum sanat: magnaq; vulnera, & rupta conglutinat, & laterum dolores viride impositum sanat. sordida verò purgat, & cicatrice concludit.

Scordon, hoc est, allium, & calefacit & siccat vehementissimè, vt etiam hirudines eijciat sic, vt nulla alia re sit opus.

Smyrna, hoc est myrrha, de numero eorũ est, quæ abundanter calefaciunt & exiccant: itaque illita vulneribus capitis, ea glutinat. tollit etiam lumbricos, fœtũq; necat & eijcit. inest ei vis itidẽ abstergendi.

Smyrnium calidum & siccum vehemẽter est, vrinamq; & menstruas purgationes educit.

Stœbes fructus & folia adstringentem vim, morsusq; expertem habent, atque abundè siccant. quam ob rem eorum decoctum dysentericis injicitur, & auribus purulentis: & vulnera magna conglutinat. cum vino autem austero hæc facit euidentius: nam valenter deficcat omnes humiditates, quæ præter naturã sunt. Folia verò viridia illita vim habent sanguinem fluentem sistendi. iuuantq; illita oculorum suffusiones ex ictu obortas.

Styrax calefacit, mollit, concoquit: quam ob rem tussibus, catarrhis, destillationibus raucitatibusq; prodest, ac menstruas purgationes seu potus, seu admotus elicit.

Syca, hoc est, ficus aridæ modicè calefaciunt: habentque partium tenuitatem quandam. his duabus qualitatibus idoneæ sunt ad duros tumores concoquendos, quos etiam statim digerunt. Cæterùm ficus caprifici facultatis sunt acris ac digerentis: sic etiam domesticarũ arborum primæ ficus, quas grossos nominant.

Schinos, hoc est, lentiscus, ex aquea essentia leuiter calida, & terrea frigida non multa cõpositus est. siccat igitur abundè. in differẽtia verò caloris & frigoris est quodammodo medius. similem porrò habet in omnibus eius partibus adstrictionem. Si verò succum ex viridibus eius folijs exprimas, similem is quoque temperaturam habebit. quam ob rem epotus dysentericas cœliacasq; affectiones sanat: & ad sputa sanguinis, & sanguinis fluores ex vtero, & ad sedem vuluamq; procidentem est accõmodatus.

Schinu anthos, hoc est, schini flos, modicè calefacit, & moderatius adstringit. nec planè à tenuitatis natu-

natura seiunctus est. proinde lotiũ ciet, menstruasq; purgationes educit. quinetiam inflammationes eas iuuat, quibus iecur, venter & stomachus obsidetur.

De rebus à T incipientibus.

TErebinthi cortex & folia, & fructus adstringendi quid obtinent. sed & abundè calefaciunt. humidi verò adhuc, siccant mediocriter: aridi verò, abundè, & magis etiam fructus. ideoq; vrinam ciet, & lienibus prodest.

Teutlon, hoc est, beta, nitrosæ cuiusdam facultatis est particeps. proinde absterget, digerit, & per nares purgat. cocta verò nitrosam vim deponit, sitque eius facultatis, quæ inflammationibus aduersatur, leuiterque digerit. sed ad detergendum, & ad digerendum validior est alba: nam nigra nescio quid adstrictionis adiunctum habet, idque in radice magis, quàm alijs in partibus.

Teiis, hoc est, fœnum græcum, abundè calefacit, & modicè siccat: quam ob rem inflammationes feruentes irritat: minus verò calidas, & magis duras digerit.

Tithymali omnes vincentem habent acrem calidamq; facultatẽ. inest verò eis etiã amarities. liquor autem est validissimus, deinde fructus, & folia. Sed dictarum quoq; facultatum radix est particeps, non æquè tamen. Ipsa autem aceto decocta dentium dolores sanat, maximè verò eos, qui dentibus erosis contingunt. liquor verò inunctus pilos tollit: quia verò vehemens est, ideo oleo cõmiscetur: siq; id assiduè fiat, radices pilorum adustę penitus interibũt, corpusq; ipsum glabrum reddetur. eadem facultate verrucas, myrmecia, vngues oculorũ, & thymos auferunt, impetigines q; & scabies detergunt.

Titanus, hoc est, calx, viua quidem vrit vehementer adeò, vt crustam inducat: extincta verò statim crustam quidem & ipsa facit, sed post vnum aut alterum diem: si verò spatio temporis restincta fuerit, id non omnino faciet: calefaciet tamen, carnemq; eliquabit. si lauetur, morsum in aqua deponit: & facit id quod κονίαν, hoc est, lixiuium vocant. siccat autem hæc sine morsu. siq; bis aut ter, aut sæpius lota fuerit, morsus omnino expers efficitur, ac strenuè citra morsum siccat.

Tragacantha similem gummi vim obtinet emplasticam, & acrimoniam obtundentem, & pariter atq; illud desiccat.

Tribolus in terrestri superat adstringens & siccans: in aquatili verò, aqueum. ambo autem ortui in flammationum, & omnino influxibus omnibus aduersantur. Terreni verò fructus tenuium partiũ est, ideoq; epotus lapides, qui sunt in renibus, frangit.

Trychnon, hoc est, solanum esculentum, quodq; in hortis nascitur, omnes norunt, eoq; omnes vtuntur ad ea, quæ refrigeranda sunt, atq; adstringentia.

De *rebus ab* Υ *incipientibus.*

HYdropiper calefacit quidem, sed non æquè, ac piper. & tamen herba adhuc virescens vnà cum fructu illita, sugillata, & tumores induratos digerit.

Hyosciamus, hoc est, altercum, ad curationes valet, cuius fructus & flos candidus est: vehementer enim refrigerat.

Hyssopum calefacit & siccat vehementer, estque tenuium partium.

De *rebus à* Φ *incipientibus.*

PHaci, hoc est, lentes, adstringunt, non tamẽ valenter. in calore & frigore mediũ locum tenent. abundè verò

verò siccant.atq; ipsarum quidem corpus siccat, cohibetq; aluum,& decoctum prouocat.

Phacos,id est,lens,quæ palustris dicitur,humidę est abundè,frigidæq; naturæ.

Phœnix, palmarũ fructus, præsertim dulcis, non exiguæ caliditatis est particeps.cęterùm non solùm foris impositus roborat, siccat, contrahit, stipat, & densat,sed etiam vt cibus assumptus.

Phycos,hoc est,alga,humens adhuc & viridis ex mari sumpta abundè refrigerat, & modicè adstringit.

De *rebus à* ✕ *incipientibus.*

CHalbane, hoc est, galbanum,facultatis est emollientis & digerentis, abundeque siccantis, & vehementer calefacientis.

De *ijs,quæ à* ☿ *incipiunt.*

PSimmythium,hoc est,cerussa,emplasticam vim & refrigerantem habet.Phycos autem conseruans cerussæ frigiditatem,assumpsit partium tenuitatem.

De *ijs,quæ ab* Ω *incipiunt.*

ΩON oui album & tenue, quo etiã ad oculos vtimur,est medicamentũ morsus omnino expers . ouis recens natis vtendum est. ouũ temperatura est paulò frigidius,quàm vera temperies.itaque eo non solùm ad oculos vtendum est,sed etiam ad alia omnia, quæ medicamẽta postulant, quæ nihil penitus mordeant: qualia sunt omnia ani & pudendorum vlcera maligna.Porrò vitellus ouorum aut elixatorum,aut assatorũ morsu vacat. Crudo verò ouo toto vtimur admisto rosaceo ad palpebrarum,aurium,& mamillarum inflãmationes,quæ vel ex ictu,vel ex alia quauis causa euenerint:aut in neruosis corporibus sint, vt in cubito, vt in tendinibus digitorum, vt in arti-

culis,idq; in pedibus & manibus.Iam verò ad rupta ouum crudum protinus impositũ vtile est,siue molli lana solùm eius album excipias,siue etiam cum vitello cõmiscens applices : nam & mediocriter refrigerat,& citra morsum desiccat.

De ijs, quæ media sunt inter calefacientia,& refrigerantia Cap. II.

MEdia autem inter ea,quæ calefaciunt,quæq; refrigerant,sunt hæc:adiantum,asparagus,myacanthinus,muscus,qui etiã splanchnon dicitur, glycyrhizæ succus , oleum dulcissimum, præsertim ex oliuis drupis factũ, cera, faba, pinei nuclei esculenta pars, aqua macerata:lycium,lotus, siue trifoliũ,citri cortex,filicis radix, lentiscus, lens,terra Chia, cadmia, lithargyrus.

De ijs,quæ calefaciunt Cap. III.

CAlefaciunt autem hæc.Viticis folia & semen modicè calefaciunt, vrticæ fructus & folia, amygdalæ dulces,anagallis vtraque,aloë,anthemis,quæ etiam chamæmelum dicitur,aphace,absinthium,cuius succus calidior est.rubi fructus maturus,pęoniæ radix, oleę bacca matura,fermentum,brassica olus,lini semen, folia fœniculi, spica nardi, celticaq; est imbecillior,mustum,eruum,triticum foris admotum,resinæ omnes, piceæ arboris magis quàm terebinthina,& hac magis etiã strobilina.mediæ inter has sunt pinea,& abiegna:at cypariſsina est etiam acris facultatis.sesamũ,schinu anthos,palmulæ fructus,& magis etiam dulcis.vitis albæ,quæ bryonia dicitur,radix.spinę albę radix,aristolochia,asphodeli radices, & earum combustarum cinis magis : daucus qui pastinaci quoque nomine gaudet,chamædaphne,dracontij radix magis quàm ari,oleum dulce vetus,he-

lenij

lenij herbæ radix, cicer, ſerpyllum, viſcum, lybiſticum, ferulę ſemẽ, ſagapenũ, ſatyrium, apium, ſinon, ſtyrax, carnes viperarum, adeps, pinguedines, ſaliua. Abundè verò calefaciunt pulegiũ, lauri folia, & potius etiam baccæ: minus verò cortex radicis. dictamnum æquè, ac pulegium, elelisphacum, eryſimum, lanæ vſtæ, zinziber, cardamomũ, liquor, & omnium maximè Cyrenaicus, ſilphium, pili combuſti, ſal, & qui laxus eſt magis quàm alius, ſanguis, fel, amurca, anethũ, minus verò quod viride eſt: artemiſia vtraque, balſamũ, elaphoboſcum, crocus, thus, chia maſtiche, mel, vinum, pix, polium, quod minimum eſt, meliſſophyllum, marrubium, propolis, cucumeris agreſtis ſuccus, quem elaterium vocant, ſcandix, ſcilla, ſcolymi radix, myrrha, terebinthi cortex, folia, & fructus, fœnum græcum, chamæleontis vtriuſq; radix, chamæpitys, ocimum, quod vehementer calefacit, & item abrotanũ, & magis etiam vſtum: lolium, ægyri flores, & reſina, acorum, amomum, amaracus, ami, anethum vſtum, aniſi ſemen, iuniperus, & eius fructus, aſari radix, ſabina, elleborus vterq;, epithymum, calamintha, menta, thymũ, cannæ vallaris cortex combuſtus, caroum, caſia, cedrus vtraque, cnici ſemen, conyza maior, & minor: nam quæ grauius olet, ea eſt imbecillior, cyminum, thuris fuligo, fœniculum, melanthium, mei radices, ruta domeſtica, rododaphne, vinum ſatis vetuſtum, origani omne genus, opoponax, petroſelinũ, radicula, ſampſuchus, ſmyrnium, trifoliũ, quod alij aſphaltion vocãt, hyſſopum, galbanum, chamędrys. Vehementiſsimè autem calefaciunt hæc: adarce, euphorbium, thapſia, cedreæ oleum, coſtus, cepa, ſinapis, ruta ſylueſtris, allium, ſtruthij radix, tithymalorum liquor, ſed minus calefacit eorũ fructus, & item folia. ſed & quæ-

cunque adurendi vim habet, ea calefaciunt.

De *ijs, quæ refrigerant.* Cap. IIII.

MOdicè refrigerant graminis radices, & herba, al sine citra adstrictionē, pira cataplasmatis modo imposita, atriplex sine adstrictione, acacia non lota, balaustium, rubi folia, & germina, & fructus immaturus, & item flos, auena, muscus marinus, acini, glaucium, glycyrhizæ succus, oleæ germina, & baccę immaturæ, & flos, oleū omotribes, helxine, quæ & perdiciū appellatur, panicum illitum, lactuca, violæ folia, & succi, & cortices, dulcibus exceptis: eiusmodi enim aquea sunt intemperata, persicæ fructus, platanus, citrij caro, amylū, quod ex tritico fit, rhamnus, rosaceum, sordes ex palæstra, seris, triboli ambo, palmæ ramorum succus, cerebrum, & succus qui ex eo fit, terra Samia, Cimolia, lapis hæmatites, naxiæ cotis scobs, plumbago, plumbū ignem non expertum, & item combustum, ceruſſa, sandix, caseus tener, & recens concretus. Abundè autem refrigerant acacia lota, plantago, eiusq; fructus, blitum, galla immatura, cucurbita, poma, armeniacæ fructus, fungi, acerbæ vuæ succus, rhus, cucumis, pepo, solanū hortense, lenticula palustris, alga viridis, quæ humens etiānum è mari sit euulsa, psyllij semen. Vehementer autem refrigerant hæc: semperuiuum vtrunq;, portulaca & ipsa, & eius succus, mandragora, citrij pars acida, quæ semen conuestit, altercum, cuius semen, & flos candidus sit. At vehementissimè refrigerant cicutæ, papauera omnia, & eorum liquores.

De *rebus exiccantibus.* Cap. V.

MOdicè autem siccant graminis radices, adiantum, semperuiua ambo, ægyri flores, & resina, spinæ albæ radix, sambucus, & ebulus, vitis albæ, & bryonię

niæ radix, aparine, pira cataplasmatis more illita, magis verò syluestria, quæ achrades nominãtur, anthemis, quæ etiam chamæmelum dicitur, arum, artemisia vtraq;, hordeum magis quàm farina fabarũ, quæ ex fabis facta sit, è quibus cortex fuerit detractus. polenta verò ex hordeo magis quàm ipsum hordeum, crocus, thus, fœniculum, vinũ quod mustũ sit, asparagus myacanthinus, aspalathus, bulbus illitus, panicum, cui etiam melinæ nomẽ est, si illinatur, isatis, gummi, brassica si edatur, siq; foris imponatur, lilij folia, & radix, filix fœmina, amylum ex tritico, resinę omnes, hypericon, lithargyrus, testa, & magis testa clibanorũ, coagulum, sordes, adeps taurinus magis quàm cęterorum animalium, ouorum assatorum vitelli, seridis omnia genera, cucumeris maturi semina, & radices arefactæ, fœnum græcum. Abundè verò siccant viticis folia, & semen, sanguis, amaracus, aspalathum, amurca, anethum, plantago, eiusque semen, balsamum, acini, elaphoboscum, milium, arısto lochia, & magis rotunda, hastulæ regiæ radix, & potius eius cinis, aphace magis quàm lens, thuris cortex, lycium, fœniculi folium, mei radices, nardi spica, nardus gallica, vinum, eruum, opoponax, pix, radicula, cardui radix, myrrha, lentiscus, terebinthi cortex, folia & fructus, & præcipuè cùm aruerint. alga viridis adhuc & humens è mari desumpta, galbanum. Vehementer verò siccant abrotanũ, & magis etiam vstum, acacia, acorus, aloë, ami, anethũ vstum, anisum, iuniperus, asari radix, & magis etiam combustæ cinis, absinthiũ, sabina, balaustium, ruborũ fructus immaturus, atque arefactus magis hoc facit: simili quoque modo eorum flos, pæoniæ radices, lauri folia, & magis baccæ, minus verò cortex radicis, quercus partes omnes, & magis fagi, & pruni, elle-

borus vterq;, epithymum, thymum, salicis corticis cinis, nepita, arundinis vallaris cortex vstus, caroũ, casia, cedrus vtraque, conyza maior & minor: nam quæ grauiorem odorem exhalat, quæq; humidis in locis prouenit, imbecillior est. spinæ albæ radix, thuris fuligo, melanthium, citrij pars acida, quæ sub semine est, vinum peruetustum, acetum, cùm acre sit, nymphææ radix, quæ verò radicẽ habet candidam, ea est vehementior. origani omne genus, papyrus combusta, minus tamen quàm cinis chartarum, pentaphylli radix, & liquor etiam magis, ruta domestica, polium minus, melissophyllum, marrubiũ, rhus, sampsuchus, stæbes fructus, & folia, trifoliũ, siue asphaltiõ, hyssopũ, chamædrys, chamæleonis vtriusq; radix, chamæpitys, sal, nitrum, gypsum, & vstum magis, omnes cadmiæ, & omnia metallica, & lapidea: scoria omnis, quæ verò ferri est, maximè stercus omne, anserum verò & accipitrũ inutile est, propter acrimoniam, & item aquilarum. carnes viperarum, caro cochlearum, capita menularum sale conditarum combusta, cornu ceruinũ & caprillum combustum, corium vetus veteramentorum vstum, ostreorum & purpurarum testa combusta, sepiæ testa, lanæ vstæ, cinis cancrorũ, garus, salsugo piscium sale conditorum. Vehemẽtissimè autem siccant hæc: oleum cedrinum, lixiuium verò omnium maximè exiccat & absterget, quod ex siculno cinere, & tithymalorum fit, fereq; adurentis est facultatis. brassicæ caules vsti valenter siccant, vt iam etiam adurẽtis facultatis sint participes, sinapis, ruta sylueſtris, allium.

De *ijs, quæ citra morsum siccant.* Cap. VI.

SIccant aũt citra morsum hæc: vrticę semẽ & folia, aloë, amurca, & magis ea, quę decocta est, vtraq; ana gal-

gallis, plantago, auena, quæ etiã illita digerit, oleum dulce, quod si lotũ ad proportionẽ sit, minimè omniũ erit mordax, fermentũ, quod etiã trahit ex alto, digeritq;, lupinus amarus, eiusq; farina, in quavis est itidẽ digerendi, cauda equina, validè, ĩsatis validè: sa licis folia & flos cum adstrictione quadã. sunt qui ex eis succũ exprimãt, ac medicamẽtũ morsu vacãs, ad multa vtile cõseruẽt: nil eñ ad plures vsus accõmodatius est quàm medicamẽtũ morsus expers, exiccãs & adstringẽs leuiter. nucis membrana arida cõbusta habet etiã partium tenuitatẽ: nuces, Ponticę nuces simili facultate sunt prędituę, participesq; sunt frigidæ essentię, miliũ, centauriũ minus, valde: & itẽ eius succus. ceraſi arboris gummi, lilij folia & radix, & oleũ quod ex eo conficitur, faba foris imposita, cyparissi folia, germina, & globi noui & teneri, cyperi radices, strobili esculenta pars aqua macerata, nymphææ radix, defrutũ, pentaphylli radix, tragacantha lota: nam lotio ei ad hoc adiumento est, siquidẽ redditur efficacior. lemnia, cadmię lotę, pompholyx assiduè lota, calx extincta, & lota, strenuè: oui albũ & putamen omnino morsu vacat: similem quoque vim habet eius vitellus, sed assatus minus mitigat.

De *rebus humectantibus*. Cap. VII.

MOdicè humectat alsine, bugloſſum, glycyrizæ, succus, lactuca, violæ folia, persicæ arboris fructus fungi, rosaceũ verò magis quàm ipsum oleum. abundè verò humectat portulaca & ipsa, & eius succus: itemq; atriplex, blitum, cucurbita, mali Armeniacæ fructus, cucumis, pepon, lenticula paluſtris.

De *rebus aqueã humiditatẽ habentib*. Cap. VIII.

HAbent autem aqueam humiditatẽ acacia, alsine, portulaca, plantago, atriplex, rubi folia, blitum, mu-

ſcus marinus, glaucium, lactuca, viſcum, violæ folia, cucurbita, vmbilicus Veneris, cicuta, leuce arbor, malua domeſtica, meconium, mala præcocia, fungi, platanus, cucumis eſculentus, totus lentiſcus, tribolus, lenticula paluſtris, pſyllij ſemen, plumbum.

Quæ ſint media inter ſiccantia & humectantia. Cap. IX.

MEdia inter ea, quæ ſiccant atq; humectant, ſunt graminis radices illitę, oleum dulciſsimum, & quod potiſsimùm ex oliuis drupis factum fuerit.

De *roborantibus.* Cap. X.

CORroborant autẽ caſia, galla immatura, ſtœchas quæ & viſcera omnia, & vniuerſam animantis habitudinẽ roborat, palmularũ fructus foris impoſitus, & intrò aſſumptus, & abſinthium.

De *concoquentibus.* Cap. XI.

CONcoquunt hæc, amomũ magis quàm acorum, & aſari radix, vua paſſa domeſtica, cera, ladanũ, gluten quo ad libros agglutinandos vtuntur, crocus, thus, pix, Aegyptia maſtiche, roſaceum oleum, myrrha, ſtyrax, galbanum, alica, butyrũ, œſypus, adeps ſuillus magis quàm oleum.

De *rebus ſuppurantibus.* Cap. XII.

EX ijs, quæ perfunduntur, vtiliſsima eſt ad pus gignendum aqua temperata: aut hydrelæum: ex ijs verò, quæ irrorantur, oleum temperatum: itemq; quæ illinũtur, vt quod ex triticea farina, & hydrelæo cõſtat, & panis: hęcq; ritè & moderatè coquenda ſunt: nam quod plurimùm coctum fuerit, eis inflãmationibus cõuenit, quæ ægrè maturantur: quod verò minus, ijs quæ valde calidæ feruentesq; ſunt. & quod plus olei acceperit, ijs cõueniet, qui difficilius con-

co-

coquuntur: quod verò minus, aptum erit feruentibus. & cataplasma ex pane accómodatum est inflammationibus, quæ vix maturantur: in eo enim & sal & fermentum est. at panis ex triticea farina calidioribus aptus est. ex ipsa prẽterea triticea farina ac pane erit aptior ad pus gignendum, qui purus fuerit. Prẽterea quæ medicamenta inflammatis vlceribus adhibentur, ea ad pus faciendum valent, qualia sunt anserinus vitulinusq; adeps, butyrum, thus, pix, & resinæ eliquatæ nimirum cum oleo quodam. atq; hoc quidem loco ad feruentes inflammationes ex rosaceo sunt eliquandæ, ad alias verò, ex aliquo calefacienti, quale est vetus, & Sicyonium.

De *rebus emollientibus. Cap.* XIII.

INter emollientia medicamenta sunt adeps caprillus, & gallinaceus, sed hic imbecillius, & modicas duritias emollit. validior gallinaceo est anserinus, & caprino hircinus. sed & taurinus validus est. sed minus hircino. magis quàm hi digerit atq; mollit leonis & pardi adeps, & hyænę. quinetiã abundè mollit ceruina medulla, post hanc magis vitulina: eaq; prẽstantior est, quæ ex ossibus, quàm quæ ex spina excipitur. Huius quoq; generis est, sed valentius emollit thymiama, ac magis quod pingue, nouumq; est. itemq; styrax, galbanũ, & bdellium Scythicũ, quod est etiã nigrius, & magis resinosum. ex prædictis anteponenda sunt ea, quæ recentia sunt: nam quæ inueterarunt, fiunt acriora, siccioraque. Cæterùm emollientia debent esse salis expertia, cùm sal vehementer exiccet. Iam & oleum Sicyonium ex horum est genere, & item liliaceum, & quod est ex oliuis dulcissimũ, præsertim quod fit ex baccis drupis. ad hoc valent etiam hæc: anthemis, siue chamæmelum, al-

thæa,cucumeris agrestis radix in oleo decocta,agre stis maluæ folia cruda,& cocta.quę verò anadendro malachæ nominatur,validius, & earum semẽ itidem valentius. libanotides tres, Chia mastiche,terebinthina,& magis Colophonia, quæ Chiæ est persimilis, opopanax, sordes ex statuis, sordes ex palæstra, strigmentum balneorum,& butyrum.

De rebus aperientibus,purgantibusq; meatus. Cap. XIIII.

OBstructione liberant, purgantq; meatus corporis hæc:agaricum, acaliphes semen,amygdalæ amaræ,eiusq; arbor,radices ari, pulegium, dracũculus, daucus,qui pastinacæ nomen habet,gentianæ radix valde,elenij radix,erysimi semen, cicer,eupatorium herba,sine insigni caliditate,caricæ pingues,thymũ nepita,prunorum gummi,leucacanthę radix,tres libanotides omnes, melanthiũ, oxyacanthæ fructus, ruta,peucedani liquor,&radix,stœchas,chamędrys chamæpitys, & cætera omnia, quæ vincentem in se qualitatem amaram habent: nam & nitrũ,& aphronitrum,& salis spuma,& oliuæ,& item alia quæcunque cum esculentis poculentisq; fumũtur, eiusdem sunt facultatis:statim em̃ vis eis indita est attenuãdi crassos glutinososq; humores adeò, vt nulla inueni re medicamẽta queas,quibus accõmodatius pituito sos viscososq; humores,&pus in thorace,pulmonéque incidas atque attenuas,& deniq; educas.ijsdem quoq; vis inest iecoris obstructiones, & mediocres lienis expurgandi:nam validiores vehemẽtiora medicamenta postulant,qualis est cortex radicum capparis,& similia.

De rebus abstergentibus. Cap. XV.

VAlent ad abstergendũ & ea, quæ meatus obstructio-

ctione impediũt, crassosq; humores incidunt, & ea, quæ deinceps numerabuntur, vt caprinum stercus, vstum, & non vstum, testa omnium eorum, quæ testa operta sunt, & sepiarum, erinacei vtriusque cinis, serum lactis, mel, vitis agrestis racemi: domesticæ verò minus: vitis albę, quę & bryonia, radices, amygdalæ esculentæ, & earum arbor, vtraq; anagallis, abundè: anemonæ omnes, aristolochia longa, plantaginis folia, ac magis arida, arum, asparagus corruda, vua passa sylvestris, radix hastulę regię, semen atriplicis, absinthij succus, bulbus illitus, vtrunque veratrum, elxine siue perdicium, salicis fructus, arundinis vallaris radix, & folia, abundè, citra acrimoniã: itemq; folia, & cortex combustus, modicè: centaurium minus, eiusq; succus, hordeum, modicè: lilij folia & radix læuigata, mediocriter: fabæ caro, modicè: lichen in petris nascens, lycij totus frutex, leuce arbor, lotus seu trifolium, meum, vtriusq; nymphææ radix, pix, platani cortex & radix, magis ptissana, terebinthina plus quàm mastiche, sagapenum modicè: cucumis maturus, magis verò quàm caro, semen & radix arefacta: cucumeris agrestis radix, myrrha, struthij radix, beta, tithymali, & magis eorum liquor quàm planta, phu, chamędrys, alcyonia omnis generis, armeniacum, terra Selinusia, Chia & Samia, mediocriter, & Cretica: ærugo cum multo cerato mista citra morsum abstergent: cadmia, pumex ignẽ expertus, & nõ expertus, lithargyrus modicè: testa, & magis clibanorũ, cornuceruinum, & caprinum combustum.

De *rebus urinam cientibus.* Cap. XVI.

VRinam verò mouent hæc: apium, petroselinum, fœniculum, daucus, smyrnij & anisi semen, ami, assarum, acorus, asparagus regius, palustris, oxymyrsi-

nus, & oxyacanthinus, bdellium Arabicũ, bryonia, chamędaphne, cicer, & magis arietinum, ſerpyllum, thymum, carous, & eius etiá ſemen, caucalis, coſtus, vmbilici Veneris folia, vnà cum radice in cibo ſumpta, cuminum, cyperi radix, nardi ſpica, gallica nardus, polium, ruta, ſeſeli, cucumis, qui eſculentus eſt, melopepo, ſinum, ſcandix, ſcordium, paſtinaca, præſertim verò eius ſemẽ. Shini flos, terebinthi fructus, trifolium, quod etiam aſphaltion nominant. hyperici fructus totus, phu, chamædrys, chamæpitys, abſinthium, idque maximẽ expurgat bilioſa, quæ in venis inſunt. Sabina verò ſanguinẽ per vrinas euacuat. erythrodani radix vrinas craſſas copioſasq; & cruentas quandoq; ciet. Fumus vrinas multas, bilioſasq; promouet. Eruum largius ſumptum ſanguinem per vrinas ducit: cardui radix vrinę graueolẽtis agit copiam, ſi quis ex vino decoctam bibat: ideoq; fœdos axillarũ & totius corporis odores emendat, eiuſmodi ſuccum expurgans. vinum tenue & aqueum, dilutum vinaceorum, quod fæcis nomine appellant.

De rebus thoracem, pulmonesq; expurgantibus. Cap. XVII.

QVæcunque vim habent obſtructione liberandi, de quibus antè diximus, huc faciunt: itemque tota nux pinea viridis, pitiydes, butyrum, caſtoreum ad carbones ſuffitum & per inſpirationem attractum: maximè enim humidas, frigidasq; affectiones, quæ in pulmone, & cerebro conſiſtunt, iuuat. ſpica verò nardi fluxiones capitis atq; thoracis exiccat.

De ijs, quæ renes purgant. Cap. XVIII.

OMnia, quæ diximus valere ad incidendum, ſunt huiuſmodi: prẽterea verò etiam plantaginis radices foliaq;, ac magis ſemen: aſparagus, myacanthinus, & præ-

præcipuè radices, & semen, pæoniæ radix, cicer, & amygdalæ.

De ijs, quæ cutem rarefaciunt.

Cap. XIX.

CVtim verò raram faciunt chamæmelum, althæa, oleumq; quod ex eo conficitur. non minus hoc præstat. sed ex erratico cucumere oleum fit ad hoc valens. quinetiã vetus oleũ est generis eiusdem: itémque abrotanum vsturn.

De ijs, quæ ora uasorum aperiunt.

Cap. XX.

CYclaminus, anemonę omnes, allium, cepa, fel taurinum, irini, & amaricini subsidentia: quæ etiam hæmorrhoidas aperiunt.

De ijs, quæ cutim condensant. Cap. XXI

COndensant verò cutim aqua frigida, semperuiua, portulaca, tribuli virides, psyllium, lenticula paluſtris: herbas em̃ hoc loco intelligo: quibus si modicè quispiã vescatur, id consequetur, vt cutim condensent. si verò liberalius, non solùm cõdensabunt, sed torporem etiam afferent. at si plurimùm quis earum sumat, non modò torpòrem, sed necem quoq; inducent.

De ijs, quæ attrahentem uim habent.

Cap. XXII.

FAcultatis attrahentis sunt anemonæ omnes, vtraque anagallis, dictamnũ, cicer, thapsia violentè, Cyclaminus, propolis validè, fermentũ, stercus omne, at columbinum abundè trahit, sagapenũ, liquor cyrenaicus, & Medicus, silphij liquor, & radix sparthi, quo vites ligant, itemq; fructus & succus ramorum generose. terebinthina magis quàm aliæ resinæ. sul-

fur quoq; & nepita illita trahit. & item coſtus in læuorem redactus cum oleo ſuccos ex alto trahit. viſcum validè attrahit, idq; non tenues ſolùm humiditates, ſed etiã craſsiores, easq; diffundit ac digerit.

De ijs, quæ per halitum digerunt. Cap. XXIII.

DIgerunt autem per halitum hæc, abrotanum, agaricum, adiantum, vrticæ ſemen, foliaque admodum, ſambucus atq; ebulus, ammy, anthemis ſiue chamęmelum, aniſi ſemen, ariſtolochiæ radix, & rotundæ magis: aſphodeli radix, eiusq; magis cinis, atriplex leuiter: bulbus, buphthalmus magis quàm anthemis herba Sabina, cuius nonnulli pro cinnamomo duplum adhibent: muſcus, qui etiam ſplanchnon vocatur: ibiſcus vel althæa. Eſt etiam huius generis malua agreſtis, eiusque radix & ſemen eodem modo eſt efficax: oleum dulce: vetus oleum ex lichno, elxine, thapſia, arundinis vallaris cortex vſtus, abundè: caſia, lilij folia & radix, trita, & oleum quod ex eis conficitur, cytiſi folia, ladanum, lapſamene illita, lapathum modicè, libanotides tres, mercurialis Chia maſtiche, ſed Aegyptia magis: mel, perſicæ arboris germina & folia, cytrij ſemen & folia, rhododaphne, illita, prima ficus, opobalſamum, citra manifeſtum calorem: liquor cyrenaicus vehemẽtiſsimè: paliuri folia & radix, opopanax, ruta, pix, meliſſophyllon, mar rubium cataplaſmatis modo impoſitum: cataplaſma ex pane magis, quàm quod ex tritico conficitur, fermentum, radicula, eiusq; ſemen: terebinthina magis quàm quæ maſtiche nominatur: & hac etiam magis tædina: oleum roſaceum. ſordes è ſtatuis, lutum ex palæſtra, ſampſuchus, cucumeris erratici radix, & elaterium, myrrha, ex caricis quæ pinguiores ſunt, ca

pri-

prificorum ficus, fici domesticæ prima ficus, beta citra calorem: sed alba valentius id facit. galbanum, ocimũ cùm illinitur: sal combustus, magis quàm qui ignem expertus non est: & hoc etiam magis flos salis, spumaq;, nitrum, aphronitrum, alcyonia omnia, terra Samia, quæ si illota sit, modicè discutit: ærugo, caseus ex acido lacte, modicè: butyrum modicè: omne coagulum, omnis fimus, hyssopum, modicè: carnes viperarum valenter, quæ etiam excrementa ad cutim euocantes pediculorũ copiam gignunt in ijs, in quibus mali succi redundant in corpore: adeps leonis magis, quàm aliorũ omniũ quadrupedũ: taurorũ verò minus: at suillus citra morsum, minus verò vitulinus. inueteratus verò magis quàm prius: ossa combusta abundè: lanę vstę: & deniq; erinaceorum combustorum cinis.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

ORIBASII AD EVNAPIVM LIBER III.

 ACTENVS primus noſtrę doctrinę ex poſitus eſt modus : nūc alterū aggreſsi, faciles expeditasq; curationes earū affectionū exequemur, quæ pręter naturam ſunt, & item acutiſsimorū morborū, in quibus non tutum eſt medicum morari, & deniq; eorum, qui facilè tractari, & corrigi ſine artificis opera poſſe videantur.

De *morbis publicis*. Cap. I.

PVblicos, cómunesque morbos vocant, qui vno & eodem tempore multis accidunt: quorum vt origo, ſic etiam cómunis eſt cauſa, vt aquæ vitiatæ potio, nimiæ ærumnæ, conſueti laboris omiſsi. inediæ, expletiones, cùm fames vagatur, aut cùm ſumma eſt rerum omniū abundantia. regionis quoq; natura communes ſępenumerò morbos inuexit: quippe quę interdum paluſtris eſt, interdum barathrū habet propinquū, quod fœuum pernicioſumq; halitum exhalat. atq; hæc quidē aſsiduè cōtingere cōſueuerunt. at aër, qui nos ambit, qui tum calidior, tū frigidior, tum ſiccior, tum humidior, quàm eſt, efficitur, naturas noſtras aſsiduè cōmutat: nam neq; in alias cauſas omnes ſimul incidimus, neque in eis totos dies verſamur, verùm aër nos circunſtans & omnibus eſt foris circumfuſus, & intrò per inſpirationem attrahitur. ex quo neceſſe eſt pro aëris naturæ immutationib. animātiū quoq; corpora cōmutari. quod qui cognorit, is non modò qui morbi in quaq; conſtitutione ſint futuri pręſagiet, ſed etiam inſtituta victus ratione immoderati circumflui aëris temperaturæ cō-

contraria, ne fiant, prohibebit. Corpora igitur, quæ iam morbo alicui ex propria intemperie sunt vicina, ea à simili aëris temperatura deprehenduntur: quæ verò temperaturam aëri contrariam habent, ea præter quàm quòd ab aëre non læduntur, fiunt etiá meliora, cùm temperiei immoderationẽ contraria corrigat immoderatio. hóc qui norit, is valetudinẽ tuebitur, contraria corporibus inducens, partim refrigerationib. vtens, si ita fors ferat, partim calefactionibus, vel aquę perfusionibus refrigerans, & ocio, & alimenti penuria, & potu largiore: operimẽto autem calefaciens, & alimento liberaliore, & potu parciore. Si item pyram quis incendat, is non parum aërem, qui, hactenus humidus fuerat, ad calidum siccumque poterit permutare, vt Acronem Agrigentinum feciſſe commemorat.

De *febrium ephemerarũ curatione.* Cap. II.

MAior pars eorum, qui febri corripiuntur, præsentia medici indiget: & tamen sunt qui etiam sine medico salutem consequi possunt. Qui igitur ex lassitudine in febrem inciderunt, oleo copioso molliter perfricandi sunt, & lauandi: qui verò ex siccitate, minus quidẽ fricandi, sed lauandi sæpius: qui ex curis, mœrorib. & vigilijs, rarius lauãdi, sed liberaliore oleo, & tepido, cui nulla insit adstrictio, nõ diu fricandi: qui ex vstione, ij ab initio refrigerantib. curandi sunt, & plus lauãdi, nõ tamẽ ex multo oleo, neq; diutius sunt fricandi. Refrigerãs aũt esto rosaceũ & omphacinũ salis expers: hæc em̃ posita vel in aqua gelida, vel niue circundata refrigerant. cæterùm caput ea parte, qua sinciput est, refrigerãtibus perfundendum est, vt oleum frigidum ex alto per lanam effundatur. cùm hæc ad declinationem vsq; facta fuerint, ægrotus ad balneũ deducetur. Sed & qui ex perfri-

ctione febricitarit, in declinatione lauabitur: si verò defluxio subsequatur, refrigerandi quidem sunt, sed non tamen lauandi priusquàm fiat cõcoctio. At qui ex vstione febricitant, etiam si defluxio adsit, lauandi. à balneo amborum capita ijsdem madefacienda sunt, atque eorum qui ex calore, refrigerãtibus, qui verò ex frigore, calefacientibus. sunto autem mode rata quæ calefaciant, quale est irinum & nardinũ vnguentũ: ijsq; post balneũ in declinatione vtendum erit. Quibus verò meatuũ cõstipatio febrim attulit, ijs balneũ dulciũ aquarũ, frictiones, exercitationes rarefaciẽtes, & victus ratio dulcibus succis gignendis, idonea cõueniunt: contra verò eosdem lędunt vel maximè quæ adstringunt, quæ refrigerant, qnæ meatus obturant, quę denique cutim exiccant. Qui ob inediam febri iactãtur, eos vbi prima accessio declinarit, in balneum adducito, oleumq; tepidum largè perfundito, ac mitissimè confricato, & diutissimè in calida solij aqua detinebis. vbi æger lotus fuerit, in quiete çontinendus, vt vires reficiat, tum iterum in balneum introducito: mox vbi exierit, & aquã biberit, ptisanę cremorem dato, & quandoq; etiam lactucam. posterius verò aliquẽ piscem, ex ijs, qui molli sunt carne, ex albo iure paratum offerto. Cæterùm his omnibus febribus ea victus ratio generatim conuenit, quæ facilè cõcoquatur, nulloq; pacto meatus obstruat. Atque ijs quidẽ qui ex vstione atq; ira febricitant, refrigerans & humectãs diæta apta est, cui etiam modica calefaciendi vis sit adiuncta: ijs verò quibus molestiæ, mœrores, & vigiliæ febrim excitarinit, cum humectantibus adhibebimus ea, quæ somnum sint cnciliatura. ac fatigatis diæta instituatur, quæ magis alat: refrigeratis verò, quæ sit paucioris alimenti: cæteris, quæ mediocris

cris sit. Vinũ omnibus antedictis, nisi ijs, quibus caput dolet, datur aquosum & tenue. ijs qui ex densata cute laborant, nisi hic morbus vehemens sit, sine plenitudine, vinum quoq; dabitur. at quorũ est mirum in modum densata cutis cum plenitudine, ijs vinum interdicendũ est. Iratis verò cùm omnino sunt expertes facti perturbationis, vinum dandum: cùm verò non plenè cessauit affectio, non tutum est dare. Qui ex bubone febrim contraxerint, lauandi sunt, cùm accessio declinabit, habita prius vlceris ratione, ex quo bubo est exortus. vinum ijs dandum non est prius, quàm bubones soluti fuerint. sunt etiã victu tenuiore alendi. A frigido verò potu iuuantur omnes, qui acres fumososque succos coaceruant: & sanescunt, cùm aliquo febrium ephemerarum genere laborant, cùm ei potioni sint assueti. At eo tempore huius potionis vsum ordiri non est tutum: nonnullos etiã eorũ, qui sic febricitãt, in prima accessione nutrire est necesse: nam in naturis amará bilim generantibus habitus bilioſi fiunt. Horrere autem incipientibus panem ex vino diluto si dederis, horrorem statim sedabis, & febrim prohibebis. vbi horror cessauit, febrisq; aduenerit, eo tempore cibus nõ est offerendus. cęterùm cùm declinarit accessio, statim nutrimentum dandum est, neq; expectandum, vt ad integritatẽ ægrotus perueniat: nam in squalidis habitibus non planè cessabit accessio prius, quàm balneo, & victu humectãte vtaris: in temperatura enim amaram bilim gignente febres etiam ex incoctione accenduntur, cùm alimentum ex nidore corrumpatur. vbi ergo partes fuerint corruptis euacuatæ, in febris declinatione lauare, atque alere cõueniet: habita prius ventriculi ratione. at si nimia sit facta inanitio, viresq; iam defessę sint, non est expectanda la-

uatio,ſed cibus dandus: & tamen eo quoq; tempore prius ventriculo eſt conſulendum. Si verò non etiam venter fluat, oleo & abſinthio ei ſuccurrẽdum eſt: at ſi morſus, aut dolor aliquis ſubſequaĩ, purpuræ peniculus calidus & ſiccus, aut madens ex oleo, & nardino vnguento & vehementẽter expreſſius imponetur. Si verò os ventriculi ſit imbecillius, nardino maſtichen tritam indemus, ita vt ſordium ſpiſſitudo fiat, tum intinctam ex eo purpuram admouebimus. hæcque calida imponenda ſunt omnia: quippe cùm tepida robur exoluere conſueſcant. Fluente autem adhuc aluo pro nardino vtendũ erit melino recenti. ſed hoc etiam ceratum erit idoneum: capit eñ ceræ & nardi pares portiones, aloës ac maſtiches octauam partem. Si verò calidus ventriculus ſit, tunc pro nardino vtitor melino. Sunt item accõmodata medicamenta, quę ex œnanthe, & ex hypociſtide, & balauſtijs, & palmularum carne conficiuntur. Cibus verò dandus eſt, fluente quidem adhuc ventre, polenta ex aqua, quæ interdum vehementer calida ſit, interdum verò ex ſucco mali punici, vel pirorũ, vel pomorum. Sin venter non amplius excernat, alica erit idonea, quæ ita vt ptiſana parata ſit, acetumq; habeat, & piſces ſaxatiles ex albo iure, & aliquis autumnalium fructuum adſtringens vel ſolus, vel cum pane. ſed hos fructus magis etiam aluo fluente dabis. poſtea verò præcordia, omnemq; ventrem perfundes. Vbi venter moueri incipiat, eius adiuuãda actio eſt per ea, quæ imponuntur, aut infuſione auxiliando, ſuccurrendoq; morſibus, & alijs flatibus, ſi modò vlli ægrotũ exerceant. ac vehementibus quidem morſibus medebere, ſi oleum infundas, in quo aliquid adipis anſerini, aut gallinacei, aut caprini, aut ſuilli ſit liquatum, quodq; ceræ modicũ capiat. Flatus

tus verò discuties oleo, in quo ruta, & apij semen & cumini, & fœniculi sint incocta. euacuata autem aluo, alendus est confestim æger, ijs amotis, quæ adstringunt.

De *tertianæ uerę curatione*. Cap. III.

NON deerunt tibi in febribus intermittentib. remedia, quibus etiam sine medico possis ægrotantibus auxiliari. ac tertiana quidā febris acutissima est simul, & non maligna: quæq; intra duodecim horas cessat, exquisita tertiana, quæ hoc tempus excedit, non exquisita nominatur. Exquisitam autem sic curabis, quia originem ducit à bili redundante, & mota, humectare ac refrigerare ægrotum conuenit. eua cuandusq; is est, bilim per ventrem, & per vomitus irritando. Sed hoc ipsum per se in exquisitis tertianis contingit: at tu per vrinas, & item per sudorem operam dabis, vt biliosa euacues. quam ad rem apij & anethi decoctum potui dabis, lauabisq; aqua cali da & dulci: hoc enim non solùm bilim discutit, sed etiam sua qualitate iuuat vel maximè: quippe quòd sua facultate refrigeret atque humectet. Lauato autem sine nitro oleū calidum perfundens, tum in balneū perducito, ac permittito vt tandiu se lauēt, quādiu eorū voluntas ferat. Qui balneis valde oblectantur, si bis lauari permittas, iuuabis. vinum in principio nullo modo dabis: progressu verò temporis album, tenue, aquosum, & modicum. vbi verò morbi solutio proxima videatur, plus dato. Cibi autem exquisitis tertianis conueniunt, qui refrigerent atque humectent. ergo ex oleribus apta sunt blitum, atriplex, malua, lactuca, & cucurbita. ex alijs autem rebus in principio quidem ptissanæ cremor, & sorbitio ex alica, deinde verò saxatiles pisces, & ex volati

libus quæ molli sunt carne: & alæ eorum, quæ huiusmodi non sunt: itemq; pedes porcellorum, & cerebrum: paruorũ verò porcellorum caro discocta dari potest. Ex fructibus verò permittere poteris, vt ijs vescantur, qui non difficulter cócoquuntur. vsus autem omnium calidorum & acrium circuncidendus est. ac plerosq; ita nutries. Qui verò non viuunt in delitijs, eos succo ptissanæ vsque ad crisin ales.

De *quartanæ febris curatione. Cap.* IIII

QVartana verò & longior, & minus periculosa suapte natura est. qui ea laborant, non debẽt sub initio valido vllo medicamento cómoueri, neq; vacuari vehementer. victus ratio instituenda est ex ijs quę flatus expertia sunt, venterq; est molliendus rebus cósuetis. à carnibus suillis ægroti abstineanẽ, itemq; ab edulijs glutinosis, & crassos succos gignentib. ac deniq; ab omnib. ijs, quæ refrigerãt, atq; humectãt. vtantur vino albo, tenui, calefacienti. Ex volatilibus vescantur ijs, quæ neque in stagnis, neq; in paludibus degunt: piscibusq; qui facilè concoquuntur, & nihil glutinosi habent: & salsamento, & sinapi. atque etiam piper per se iuuabit. id verò in tenuem pollinem redigendum est, & aqua calida ad sordium spissitudinem temperatum bibendum est. à frictionibus autem & ambulationibus non sunt arcendi. à balneo verò si possint, omnino abstinere est melius. atq; ita in initio tractandi sunt. in statu verò tenuiore victu alendi sunt: ac longa quies imperanda: hypochondriaq; perfundenda: ijsq; cataplasmata imponenda, quæ laxent, quæq; molliant: deinde sic vti ijs, quę vrinam cieant. Cùm verò declinatio apparebit, purgandi sunt medicaméto, quod nigram bilim ducat. ea enim redundans in corpore hunc morbum parit.

dein-

deinde theriaca danda, aut aliud ex ijs, quæ sunt experientia cõprobata, quale est longè probatissimũ, quod habet, liquoris Cyrenaici, piperis, myrrhæ, foliorum rutæ ana drachmam vnam. hæc terenda sunt omnia, miscendaq;, ac melle attico, quod satis sit excipienda, deniq; ad duorum obolorum magnitudinem ante inuasionem danda. Hoc medicamentum si quis initio dederit, is sæpenumero ex simplici quartana duplicem, aut certè maiorem, & difficiliorem, itemq; ex duplici triplicem fecerit. Cæterùm curat omnes rigores, qui per circuitũ redeunt, qui à crassis glutinosisq; humoribus oriuntur, agaricus & calamintha ex melicrato pota, & oleo incocta, quo oleo totum corpus strenuè confricetur. ad quod simili modo facit costus, & pyrethrũ, id quod etiam stupidos & resolutos iuuat. quinetiam rigores sedat viticis semen in oleo pari ratione decoctum, & baccæ lauri, granumq; Gnidium ex oleo & nitro.

De *quotidianæ febris curatione*. Cap. V.

QVotidiana febris & longissima est, & non vacat periculo. ea fit à pituitæ redundantia. curáda est primis diebus oxymelite, ijsque quibus vrina vbertim cieatur, ac cęteris omnibus, quæ ad incidendum valeant. deinde autẽ ventriculi habenda est ratio. tum vomitus ex radicula citandus, & medicamẽtis vtendum, quæ pituitam vacuent. Cætera quæ ad victus rationem pertinent, perspicua sunt: siquidem calefacere & incidere opus est. quoniam verò mihi status & declinationis venit in mentem, scire debes artificem oportere omnia morborum tempora cùm ex vrina, tum vel maximè ex pulsu cognoscere, tibi verò satis esse, si in ęgrotantibus per circuitum, statum ex eo internoscas, quod accessiones in eisdem tempo-

ribus & ſymptomatibus maneant: declinationes verò, quòd tempus acceſsionum breuius reddatur, & magnitudo multitudoq; ſymptomatum minuatur,

De *febribus colliquantibus*. Cap. VI.

CVM humor ſimilis flauę bili per ventrem excernitur, magis tamen ruſus ſit, & fœdioris odoris, habetq; ſtrigmenti craſsitudinem, atq; oleoſum aſpectu eſt, tum ſcire cõuenit carnem pinguem recensq; compactam à febri ardentiſsima, vehementiſsimaq; colliquari: ſiq; malum inueterarit, etiam aliquid ex ſolidis partibus liqueſcere. quæ res facit, vt eiuſmodi febris ſit omniũ difficillima. Ex quo liquet, remedijs vtendum eſſe, quæ extinguant, aquamq; valde frigidam potui dandam eſſe, & cataplaſmata item refrigerãtia imponenda eſſe & hypochondrijs, & thoraci. ſed & epithemata eſſe debent refrigerantia, & item alimenta generis eiuſdem.

De *animi defectionibus*. Cap. VII.

IPſa defectionis animi res vna eſt quidẽ, ſed tamen cauſas plures habet, & ſingularum propriæ ſunt curationes & ſuę. ſed eatenus hoc tempore de eis dicemus, quatenus ſatis ſit ad homines inſtituendos, vt ijs acceſsionib. quæ repentè & improuiſo accidunt, remediũ adhibere perdiſcant. Iis igitur qui ex cholera, ventrisq; fluxionibus, & alijs immoderatis inanitionibus animo linquuntur, aqua aſpergenda eſt, nareſq; & os ventriculi confricandum digitisque in os coniectis, aut pennis vomitus citandus, brachia & crura pluribus vehementioribusq; ligamẽtis vincienda, & ſuperiora in ijs euacuationibus, quæ inferius fiũt: & inferiora cũ ſuperius repit inanitio. His etiam diſſolutionibus vinũ frigida temperatũ auxiliatur. Balneũ verò ad defluxiones in ventriculum

accom-

accómodatiſsimum eſt: ijs verò qui ex ſanguinis fluxu aut ſudoribus animo linquuntur inimiciſsimum. tales enim refrigerationem adſtrictionemq́ue, non laxationem poſtulant. ideo vinum frigida dilutum eſt eis idoneũ. ſed nec vinculis excipiendi ſunt: nec vomitus eis imperandus, nec omnino vllus iniungendus eſt motus: refrigeratione ẽm denſationeq́; opus eſt. iccirco flatus frigidos eis paramus, & domus aẽrẽ immutamus ita, vt myrti ramulos, vitisq́; palmites inſpergendo ad frigidam, atq; adſtringentem qualitatem traducamus. atq; is quidem ex tempore ita ſuccurritur. At eos, qui ex plenitudine animo deficiunt, & fricare plurimùm & calefacere, & ligare artus oportet. abſtinendiq́; ſunt ab alimento, vino balneoq́;, ſi febrim habeant, ſolumq́ue melicratum dandum, in quo origanũ vel hyſſopum, vel pulegium, aut thymum incoxeris. exhiberi quoq; oxymel poteſt: ſimili quoq; modo curamus eas, quæ ex vtero deficiunt, præterquàm quòd oxymel non damus. artus tamen ligandi ſunt & confricandi, & adhibenda fomenta: atq; ijs quidem, quibus multa fit excretio. mammis: quibus verò ſurſum vulua trahitur & reuellitur, inguinibus & femoribus. Odoramenta quoq; admouenda ſunt, ſed naribus fœtida, vtero verò ſuauia & calefaciẽtia, & laxantia. Si verò ex imbecillitate ſtomachi fiat animi defectio, ei parti ſuperdabimus, quæ eidem indere robur queant: qualia fiũt ex palmulis, vino, polenta, & croco, aloë, & maſtiche. madefaciemus autem abſinthite oleo & maſtichino & melino & nardino, & item vino. Si verò calida affectio ſit atq; exuſtio, antedictis miſcentur refrigerãtia, vt cucurbitæ, vt lactucæ ſuccus, aut ſolani, aut omphacij. ſed ijs etiã ſtrenuè prodeſt cõfrictio partium extremarum. Si meliuſculi poſtea hi

sint, eos qui exusti fuerint, protinus ad balneū perducito. Qui verò frigoris alicuius sensum habēt, ijs dato medicamentum, quod ex triplici pipere constat, vel ipsum piper per se, & absinthiū in potu propina. Si verò distractio ex vitiatis mordacibusq; humoribus subsequatur, aquā calidam potui dato, aut hydrelæum, & vomitū cieto. Si verò difficulter quis vomat, ei calefacito prius partes, quę ad stomachum sunt, manusq; & pedes: si ne ita quidem euomat, digitos aut pennam in gulam conijciat. at si ne hoc etiam modo vomitus irritetur, oleum calidum bibat: hoc enim persæpe vomitu non excito ventrem irritat, estq; vtilissimum. quamobrem si id non fiat, nos vsu rerum, quę imponuntur, adiuuare negotiū debemus. Vbi huiusmodi homines in meliorē sint statum redacti, absinthij comā in melicrato coctam bibendam dabimus. & partes omnino firmabimus cum ijs quę foris superdantur, tum verò etiam ijs, quę intrò assumūtur. non tamen initio faciendum est, sed mox vbi vitiati humores fuerint euacuati. Si verò exolutio ex copiosa, frigidaq; pituita in stomacho collecta fiat, particulam oleo absinthite plurimū perfundes, melicratūq; in quo hyssopū, aut tale aliquid coctum sit, aut oxymel, aut piper dabis: hoc enim casu maiorem vim incidendi habere debent auxilia omnia. Cùm verò ex vehemēti perfrictione quempiam anima deficiat, omnibus modis calefaciendo succurres: nam & vinum aqua calida temperatum dabis, & alimenta calefacientia, & ad ignem perfricabis. contraria administrabis in ijs, qui ex nimio calore deficiunt, quiq; in aēre suffocante versati sunt, & in balneo diutius morati. quos quidē corroborare quam primùm debes, aquam gelidam potui dando, & flatum ciendo, atque eos perflando, & stomachum fri-

can-

cando. Quibus peractis vinum & alimenta exhibebis. si ob inflammationis exuperantiam, aut ex febribus malignis quispiam exoluatur, cùm incipit frigus inuadere, debes dare operam, vt pedes calefiãt, & fricentur vehementius re calida, extremaq; vinculis excipiantur: ægerq; à somno, cibo & potione omnino abstinendum: atque ita incolumis seruabitur. Qui periclitantur, ne ex siccitate in animi defectioné cadant, frustum panis ex vino dabis, aut alicę modicum: nam si multùm dederis, difficulter concoquent, & ita celeriter exoluẽtur. Si verò propter obstructionem alicuius principis partis animi defectio exoriatur, oxymel, aut mulsam incocto pulegio, aut origano. aut hyssopo, & alimenta, quibus maior incidendi vis inest, dabis, tum fricabis, & artus vinculis constringes, vterisq; ijs, quæ ad vrinam ciendam valent. vbi meliusculi sint, vinum album, tenue, non ad modum vetus bibant. Si ob repentinam copiosamq; euacuationem exolutio accidat, satis erit vbi admotis odoribus vires recollegerint, sorbitionibus, quæ facilè concoquantur, eos alere. Si ex nimio gaudio, aut mœrore, aut ira, aut metu, aut trepidatione defectio animi consequatur, odoramenta admoueto, nares contrectato, atque ita reuocatos ad vomitum impelles. Si ex colica affectione, aut alterius partis dolore maximo exoluentur, tunc vsu fomentorum & frictionum ad suum statum reuocabuntur.

Curatio eorum, qui ex sudoribus exoluuntur. Cap. VIII.

SVdores qui hominem exoluunt, cohibet terra Samia, lythargirus, gypsum, galla, sciſsile, myrtus, oleũ œnanthinũ, rosaceum, melinum, lentiscinũ: itemq; manna & amylum ex oui candido illita.

Ad cardiacos. Cap. IX.

CArdiacos iuuant, si stomachus illinatur, rubi folia cum exigua cerati aut panis portione. vel myrti folia, vel clauiculi vitis, vel plantago cum pane, aut cerato modico: vel mala cydonia, vel palmulæ. clysteri quoq; infunditur vtiliter ptissanæ cremor, si in ea cocti sint trunculi. sed eorum quoq; extrema cerato liquido, cum sinapi læuigato vtiliter inunguñ.

De *fame ingenti.* Cap. X.

INgens fames oritur à frigiditate, aut indigentia, aut viriũ imbecillitate, quæ ab externo frigore contrahitur. eius verò essentiã adiuuat etiam fames, quę antecedit: quæ tamen non vsquequaq; perdurat. ijs ergo qui in itinere, aut aliàs ingenti fame vexantur, odoramentis auxiliaberis, præsertim carnium suillarum assatarũ, quas naribus admoueamus, aut etiam hœdinarum, aut aliarum, quæcunq; nidorosæ sunt. extremæ quoq; partes constringendæ, scapilli vellicandi, genæ comprimendæ. reuocatis verò ex malo panẽ ex vino temperato, aut aliquid aliud ex ijs, quę reparare vires citò possunt, offeremus.

De *cholera.* Cap. XI.

CHoleram prohibere quispiam potest, si quotiescunq; nimis expletus sit, antequàm cibos iterum ingerat, vomitum cieat. & vomitu iam cõmoto cholerã quis prohibebit, si sumat melicratũ, aut aquam tepidam, & ita euomat, tum ventrem oleo foueat, lanisq; conuoluat, longioremq; consueto somnũ dormiat. At cùm iam cholera quempiam occupauit, factaq; est inferne, & superne valida euacuatio nõ modò corruptorum humorum, sed alterius quoq; materię corporis simul extractę, tum si vehemẽtes morsiones consequantur, erunt potu melicrati temperan-

randæ: sin leues sint, obtundendæ sunt aqua, & non cohibenda est excretio, modò ne nimia sit. At cùm immoderata vacuatio facta est, periculumq; conuulsionis imminet, ægerq; sine pulsu est, & extrema frigida, & sudor frigidus erumpit, tũc artifice opus est. & vix etiã qui in hoc sit statu, poterit à medico præsenti cõseruari. si medicus non adsit, facienda erunt quęcunq; poterũt omnia, vt extremæ partes fascijs aut lana vinciantur, vt partes refrigeratæ fricentur mixtis oleo, cera, piperis modico, & nitro: aut irino vnguento, cui horũ aliquid accesserit, aut sicyonio cum castoreo: quandoquidem hæc in conuulsionib. iuuãt. deinde verò alendus ęgrotus est. si vomat, iterum dandus cibus vsquedum contineat. vel post cibum dare aliquem fructum cõuenit eorum, qui stomachum roborant, vt pomum, aut pirum, aut racemum, aut aliquid generis eiusdem. vinum autem ita affectos iuuat vel maximè: nam cùm somnum inducat, sæpenumero spem salutis affert. Si verò nimius calor in pectore, & hypochondrijs subsit, refrigeranda erunt rosaceo imbutis pannis. Polenta quoq; maximè trita ex rosaceo & sapa erit inspergenda: atque etiam vinum frigidum erit eis dandum.

De *dolore*. Cap. XII.

CVM pars aliqua corporis dolore vexatur, causam studiose perquirit, an ab aliqua re externa dolor fuerit excitatus: pleriq; enim in somnis lęsi sunt, nec meminerunt. non raro etiam in repentinis conuersionibus, & cùm aliquod membrũ non ritè collocatum haberent. Præterea membra refrigerata distensionibus, & conuulsionibus correpta vehementissimis doloribus cruciatur: postremò verò in dolorem cadunt ex fluxione, quę cõtinuò ad ipsa repit. Si nul

la harum cauſarũ ſubſit, vnde dolor poſsit oriri, antegreſſæ ægrotantis victus ratio ſpectanda eſt: ſi eñ maiore ocio quàm cõſueſſet, vitam rranſegerit, ſiq; cibis ſe expleuerit, cùm minimè aſſuetus eſſet, aut ſi vſus eſt ijs, in quibus valde nutriẽdi vis ineſt, ſiq; vlla euacuatio, quæ prius ſolita eſſet corpus inanire, nunc ſuppreſſa ſit, ſi inquam hæc vel omnia, vel eorum aliqua adeſſe conſpiciantur, cauſam doloris eſſe multitudinem ſuſpicandum eſt. Itaque euacuatione opus eſt, eaq; aut per venæ ſectionem obeunda, aut purgationem, ſi humorum redundans malitia ſubeſſe videatur. Cùm verò nihil tale ſit, quòd dolorem creet, deriuatione vtendũ, vt materiã à loco, quem dolor obſidet, abducamus: velut ſi in capite ſit, pernares, aut palatum: vel reuulſione, vt in contrarium locum multitudinem reuellamus, quod fiet adhibita frictione ex medicamentis acribus, & artubus deligatis. Si nulla inde vtilitas ſubſequatur, planum eſt in affecta parte impactum eſſe id, quod moleſtia afficit: quocirca medicamentis digerendũ eſt. Si ex flatibus dolor exiſtat, ferendum, & eſculentis, poculentisq; vtendum eſt attenuantibus, vt corpus quod affectum eſt, rarefaciamus, id quod fomentis, irrorationib. & cataplaſmatis cõſequemur. Si in cauſa doloris ſit tumor præter naturam, ei tumori adhibendum erit remedium. Si humor mordax dolorem pariat, ei infenſiſsima erunt calefacientia, atq; attenuantia: accõmodata verò ſi curare velis, quæ molſtũ humorẽ educant, idq; faciãt rebus citra morſum abſtergentibus: ſi hoc fieri non poterit, adhibe quę temperare dolorem poſsint: ſi ne hoc quidem queas efficere, ijs vtere medicamentis, quæ ſtuporẽ inducant. etenim medicamenta, quæ re vera dolorem leuant, ea & tenuium partium, & modicè calefacientia

tia esse debent, neq; vllam adstrictionis partem habere: quale est oleum anethinum: quod valet ad euacuandum, concoquendum, & leniendum omnem in particulis dolentibus morbum. At quæ solum dolorem sedantia nominantur, totum corpus refrigerãt, & sensus stupidos reddunt, ac propensionem in somnum afferunt: & ægrotantis particulæ similes mortuis fiunt, & causas doloré facientes non sentiũt. & plerique ex horum vsu assiduo partes ita refrigerarunt, vt nullum postea adhibere remediũ potuerint. siq; paulò plus eorum medicamentorũ ebibissent, mortem sibi ipsi attulissent.

De simplicibus ulceribus. Cap. XIII.

CVM simplex vlcus solùm diuisio sit, si quis partes diuisas fascia in orbem circumducta committat, diductæ partes sine vllo alio negotio in vnum conducentur. Si verò tanquam exultum alterum vlceris labium in obliquũ versum sit, inde incipienda est deligatio, & in contrariam partem adducendum: cùm in vtranq; partem labia diducta sunt, principiũ deligandi ab vtroq; sumendũ est, atq; ita labia in vnum adducẽda: nam cùm nihil intra oras inciderit labiorum, vt pilus, aut arena, aut oleum, aut sordes, aut aliud huius generis, vlcus omnino coalescet. At si vlcus magnum sit ita, vt partes diductæ in vnum penitus duci non queant, aut sanies sit ibidem accumulata, aut dolor adsit, tale vlcus ex sola coniunctione conglutinari non potest, opusq; est exiccante medicamento, quod saniẽ ibi collectã consumat, & prohibeat, ne alia præterea confluat. Ex liquidis igitur optimũ est vinũ. sed & posca, & item mulsa ad idem facit. Inter cætera verò vulnus glutinant folia quercus illita, itemque salicis, & brassicæ, semen & folia,

ſuccusq; & cortex auſterioris, atque acidioris plantaginis, papyrus poſca, aut vino imbuta, & in orbem circundata. Recentia verò glutinãt pini & piceæ folia. vlmi folia, & cortex recens ad modum ligamenti obuolutus: ſpongîa noua ex aqua, aut poſca, aut vino. caſeus recens ante leuigatus. Extrinſecus autem adhibentur folia lapathi, aut vitis, aut betæ, aut lactucæ. caſeus verò ex acido lacte cõfectus etiam maiora glutinat eodem impoſitus modo. ſed pira quoque glutinãt. & maiora vulnera glutinant achrades, & fluxionem cohibent. cauda equina verò illita neruos etiam inciſos iungit: iſatis ſatiua in duris corporib. cochleæ caro læuigata cõglutinat vulnera, quæ cum neruis inciſis, & contuſis ſint, idque in duris corporibus. ei tamen miſcenda eſt in puluerem redacta aranea, quæ farinam excipiat è muro molæ vicino. Ad idem facit myrrha ex aqua illita, vel thus. terreſtres lumbrici etiam præciſos neruos conglutinant, pentaphylli folia cum melle, allia combuſta, illita. Ad vlcera autem inueterata facit anagallis cum cerato, hordeum combuſtũ, & ceruſſa cum cerati myrtei triplicata portione. Ad vlcera capitis myrrham aridam inſperge, nec madefacito: celeriter enim in vnũ conducit: vel aloën aridam, aut ariſtolochiam ex aqua tritam, idq; oſſa quoq; committit. aut thus & myrrham pari portione contere, & cum melle & vino decoque, donec mediocrẽ ſpiſſitudinem acquirant: tum linamentum inungens applicato.

Ad uulnera, quæ cum dolore & inflammatione affligunt. Cap. XIIII.

AD huiuſmodi autem vulnera valet malum punicum dulce vino incoctum, tritumque, & illitum: eſt enim

enim hoc mirabile, & ad vſus plurimos accommoda tum: nam & advlcera capitis & pudendorũ, & ad ea, quæ in toto corpore dolorem pariunt, & item ad oculos inflammatos facit.

De cauis ulceribus. Cap. XV.

CAuum vlcus humidum, ſordidumq; eſt. proinde fit, vt medicamenta velut modicè ſiccantia, atq; abſtergentia. huiuſmodi autẽ ſunt thus, & hordeacea farina, fabaceaq;, & erui. itemque iris, ariſtolochia, cadmia, panax, & pompholyx. Cùm verò medicamentum quod ad creandam carnem adhibitum eſt, nihil proficit, erit tranſeundum ad aliud hoc modo. Si maior ſit ſordium copia, vlcusq; humidius, ſcire conuenit, medicamentum minus ſiccaſſe, quàm par erat. ideo melle adiecto intendendũ eſſe: ſi purum & ſine humore videat, plus quàm oportebat, exiccaſſe: itaq; olei & cerati miſtione remittenda vis erit. Vſu etiam quandoq; venit, vt cùm medicamentum vehementius eſt, pars aliqua carnis liquetur, vlcusq; ſordidum, & humidum perinde videatur, ac ſi medicamentũ, minus quàm debuerat, exiccarit: ſed huiuſmodi vlcus, dum abſumitur, magis cauum redditur, labia intumeſcũt, rubetq; ipſum, & inflammationis eſt particeps. & ſæpe æger morderi ſe perſpicuò ſentit. id verò, quod minus fuit à medicamine exiccatum nihil tale habet. putredo igitur lignorum, præſertim eorũ, quę modicè adſtringendi & abſtergendi vi prædita ſunt, qualis eſt etiam vlmus, vlcera hęc purgat, eaque vbi purgarit, carne implet. Anemonæ quoq; appoſitæ idem efficiunt, & pini cortex derafus, contritusq; cum cerato, quo linamentum oblinas, & caua vlcera impleas, præſertim verò recentia. ea enim implet. ſed purgat eadem cùm ſordida ſunt,

marrubium cum melle, aristolochia cum melle: oliuæ sale conditæ illitæ.

De *ulceribus, quibus cicatrix inducenda est.* Cap. XVI.

CVM carnem vlcerum, quæ ad cicatricem perducenda sunt, ita exiccamus, atq; adstringimus, vt non solùm id, quod præter naturam supereſt, per halitum digeramus, sed etiá id quod est secundùm naturam attingamus: vlceris extremitatem cuti similem efficiemus, eiq; cicatricẽ inducemus. Valent autem ad hanc rem galla immatura, & malicoriũ modicè exiccantia. Quę verò citra adstrictionem morsumq; siccant, ea etiam cicatricem inducunt, vt myrrha, spuma argenti, & ostrea cõcremata: hæc nanq; insperſa siccant. atque hæc etiam ad cicatricem sæpenumero perducunt, pini cortex cum myrteo cerato, hederæ flos cum cerato, lilij radix cum roſaceo. vetera autẽ cicatrice includit viscũ cum thure, ærugo & diphryges paribus portionibus cum myrteo cerato.

De *ulceribus, in quibus caro supercreſcit.* Cap. XVII.

CAro, quæ vlceribus supercreſcit, tollitur medicamẽtis ijs, quæ valenter siccãt, cuiusmodi est asij lapidis flos, & testacea omnia cõbusta modicè auferunt, cohibentq; excreſcentem carnem. Simili quoq; modo erinacei vtriq; cum toto corpore concremati, & diphryges insperſum, itemq; atramentũ sutorium, & squama æris insperſa.

Ad ulcera, quæ in ſumma cute ſunt, ad intertrigines, ad abraſa, ad inueterata ulcera, ad tenerã cutim. Cap. XVIII.

ARgenti spumę chryſitidis drachmę L. cerę drachmæ

mæ x x. resinæ siccæ ex picea drachmæ x i i. olei he mina & semis. argenti spumæ in oleo coctę ceram & resinam addito. Vbi ad emplastri crassitudinem coxeris, ab igni auferto, in pilamq; conijcito, mox cùm emollieris, vtitor. Sed cutis abrasa non amputanda est, sed in suum locum restituenda: & foris etiam aliquod medicamentũ accõmodatum imponendum: ita enim, licet cutis abrasa iam nigrescat, sæpe conglutinat. At si vlcus nudũ carne sit, cicatrix difficulter inducitur, cùm & erodatur, & sordidum sit. Cæterùm abrasa ab inflãmatione tuetur rhus rubrũ tritum cum melle illitũ, & iunci rotundi coma crematã, & cum melle superdata.

Ad intertrigines, quæ ex calceis fiunt. Cap. XIX.

AD intertrigines verò, quæ ex calceis efficiũtur, valet pulmo agninus, & suillus, & caprinus. itemque corium vetus è soleis vstum. sed hoc inflãmata non iuuat. sedata verò inflammatione, prodest: hic enim cinis siccandi vim habet, cepam cum adipe gallinaceo trito, gallamq; adurito, contundito, & illinito. acaciam aceto madefacito, atque inungito.

Ad ambusta. Cap. XX.

AMbusta medicamentis egent, quæ citrà euidentem calorem, aut frigiditatem abstergant. ergo terra Chia, & Cimolia, & terra omnis leuis illita ex aceto non valde acri vel aqua admixta egregiè facit, & pustulas excitari prohibet. itemq; ouum integrum crudum statim impositum, lana molli exceptũ ad idem valet: id enim & modicè refrigerat, & sine mordicatione siccat. vel atramentum scriptorium illine, vel thus album aqua dissolue, & inunge. aut lenticulam coctam, tritamq; impone. Cùm verò iam pustulæ ex

citatæ fuerint, rhum cum polenta tere, & cum aceto cataplasma impone. calcem viuam cerato admisce, illitamq; linteolo superdato. partes autem vlceratæ porris tritis oblinuntur. Columbinũ stercus linteo inuolutum combure, donec in cinerem redigatur, eoq; ex oleo dissoluto vtere. Mirabiliter autem facit pini aut piceæ cortex, aut adiantum siccum lęuigatum, aut myrti folia combusta, tritaq;. quę singula etiam cum cerato iuncta faciunt. Ad vstiones verò ex aqua calida prius quàm pustulæ prodeãt, aqua oliuarum sale conditarum continuè insperſa facit, & ipsæ oliuæ contusæ imponuntur. aut alumen scisile ex aceto cõteritur, & illinitur. aut gluten taurinum cum aqua copiosa eliquatum obline.

De *exanthematibus.* Cap. XXI.

EXanthemata ex crassis humoribus in cute infixis, ea magis cùm superior pellicula densior est, exoriuntur. hoc modo oppressi per cutim euacuandi sunt: nec procul est in altum attrahendum, vt per aluum, aut vomitus fiat euacuatio. Nemo tamẽ cogitet, me nunc consulere, huiusmodi humores non esse per aluum educendos, quia in quibus humorum plenitudo fixa est, adhiberi purgatio debet. quod si quis nõ faciat, sed prius discutere aggrediatur, obstruet potius, quàm humores per cutim euacuabit. Humorũ autẽ qui cuti sunt impacti curatio adhibenda est ex adurentibus & calefacientibus: præsertim verò cùm lata fuerint exanthemata: siquidem ea humorem neque tenuem, neq; calidum, sed abundè frigidũ, crassumq; esse indicant. Lauri igitur tenerorũ foliorum rutæq;, & mannæ thuris pares portiones conterito, atq; oleo diluta illinito. vuam taminiã frige, ac tere, itemq; thus cum oleo dilue, atq; inunge. betam ne-

neram coque, tere, & ſuperda. ceræ drachmas VIII. ſulphuris tantundem. ſalis drachmas VI. Arida contrito, eiſdemq; olei mediam heminam affundito, & omnia ſimul, & emplaſtro ex ijs confecto vtitor. ſed coctioni adhibenda diligentia eſt, quippe cùm valde præſtans ſit medicamentum.

De *pruritu.* Cap. XXII.

EXcitandi autem pruritus ſunt, cùm ex alto euocare humores oporteat: prohibendi verò, cùm partes prurientes in periculo ſunt, ne aut ſcabie, aut lepra, aut aliquo alio maligno vlcere corripiantur. Prohibentur autem medicamẽtis repellentibus, vel etiam pruritum tolerando, neque contrectando: ſiquidem ita quoque ſedari pruritus conſueuit. Pruritus verò quos ſcabies excitarit, aqua marina calida, aut aceto calido perlue, aut agreſtis cucumeris decocto ſimili modo. vel vitis veteris corticẽ in fictili frigito, contorito, & locum ſcabioſum butyro prius illitum eo cortice perſpergito. deinde ſomnũ imperato. hocq; medicamento vſquedum homo ſaneſcat, vtitor. Iam verò opium cum liquido cerato inunctum pruritus, & puſtulas, pſidracia nomine, mitigat.

De *puſtulis, quæ phlyctænæ uocantur.* Cap. XXIII.

AT phlyctænas acuta acu, qua humoris defluxus eſt, perforare oportet, deinde humorem leuiter exprimere, & cutim obductam ſinere. Si foramine occluſo iterum puſtula impleatur, ea erit eodem modo pertundenda, & cõprimenda cutis. atq; ita compreſſa ſeruanda eſt, donec id, quod ſub ea vlceratum eſt, ad cicatricem perducatur. Sed antequàm puſtulæ erumpãt, coctam lenticulam cum aqua læuigato, atque illinito: aut mali granati virgulta cinere cali-

do tepefacta ſuperdato, locumq; torrefacito. Si ruptæ fuerint, vlcus q; excitatũ ſit, adeps ſuillus liquefactus cum argenti ſpuma lęuigata illinitur, eiq; imponitur: aut lilij radix aqua incocta & contrita cum cerato adhibetur.

De ulceribus, quæ iterum rumpuntur. Cap. XXIIII.

QVædam vlcera ſunt, quæ inducta cicatrice non ita multò pòſt, ſæpe iterum inflãmatione tentantur, atque rumpuntur: nam oſſe aliquo affecto quandoq; caro circundata ad cicatricem facilè perducitur, & ſanitatem planè adepta videtur: ſed cùm validus humoris defluxus paulatim ex oſſe in alto corrupto delabitur, tum inflammatio, & pus ſuboritur, à quibus obducta cicatrix deraditur. Horum igitur vlcerum curatio in eo poſita eſt, vt tantùm exiccemus, quantùm valeat vt os affectum decidat. Sinus aũt oſsium cauos facilè replebis, ſi papaueris ſylueſtris, & ficulnea folia læuigata cum polenta & vino illeueris, aut ſi hyoſciami ſeminis & atramenti ſutorij par pondus contriueris, & impoſueris. Peucedani verò radix oſſium ſquamas celeriter diſiungit.

Ad ulcera maligna, quibus ægrè cicatrix inducitur, & inueterata. Cap. XXV.

MAligna vlcera, quæq; difficulter ad cicatricem perducũtur, itemq; inueterata & putrida Lemnium ſigillum vehementer adiuuat. eius vſus quantitas ex malitia vlceris æſtimatur: nam ad vlcus, quod fœtidum eſt, admodumq; flaccidũ & ſordidum, lemnia ex aceto acerrimo diluitur ad luti ſpiſsitudinẽ. vtimur eadem ex vino, aut aqua, aut oxymelite, aut poſca, aut mulſa, aut quoquo modo vſus poſtularit, accõmodatumq; medicamentũ erit, ſi quis eam in pila plum-

plumbea piſtillo plumbeo confecerit, roſaceum, aut immaturū oleum affundens, aut ſemperuiui ſuccū, aut cotyledonis, aut lactucæ, aut pſyllij, aut omphacij: vt ſit tanquam ſuccus quidam: habebisque optimum medicamentum ad carcinode, malignaque vlcera, ad pudendorum, teſtium, & mammarum inflammationes, & item ad ſedis vlcera, & rugas eminentes. porrò autem centaurium minus recens inueterata vlcera, & quæ difficulter cicatricem recipiunt, ad cicatricem perducit, & maligna vlcera ſanat. itemq; cupreſsi folia & germina, & globuli noui, & teneri, qui etiam humores in flaccidis, & putridis affectionibus in profundo demerſos ſine moleſtia, & tutò depaſcunt. Cyperi radices vlcera, quibus propter nimium humorem induci cicatrix ægrè poteſt, mirum in modum iuuant. Cucurbitæ aridæ combuſtæ cinis vlceribus humidis inflammationis expertib. ac putreſcentibus, præſertim verò ijs, quæ in pudendi pręputio ſunt, cōuenit. ſimili quoq; modo prodeſt anethi radix. Plantago etiā malignis vlceribus, defluxionibus, & putredini cōuenit. Iſatis ſatiua omni maligno vlceri ſtrenuè reſiſtit, licet putreſcat, & depaſcatur. Si verò vehementior, quàm vt ægri natura ferre queat, eſſe videatur, eius folijs lęuigatis adde vel panem, vel hordeaceam farinam, vel frumentaceā, vel polentam pro ratione affectionis, quæ in vnoquoq; exiſtat. Iis verò quę propriè teſtacea dicuntur, vtimur ad cauitates diuturnas, quæq; ægrè carne implentur, quæ ex defluxionib. fiunt, & fiſtuloſæ, ac profundæ ſunt. Lanæ autem combuſtæ carnes flaccidas vlcerum celerrimè liquefaciūt. Platani verò cortex combuſtus, & inſperſus vlcera, quę ob nimiam humiditatem flaccida, ſordidaq; ſunt, ſanat. Peucedani radix arida malignis vlceribus illita

prę̃stantissimum medicamentum est: nam & purgat, & carne implet, & cicatrice concludit. Aloë vlcera, quæ vix ad cicatricem perueniũt, eaq; potissimùm, quæ in sede & pudendis sunt, curat. Est item ad earundẽ partiũ inflãmationes vtilis ex aqua dissoluta. Vlcera verò antiqua sanat cera in sole emollita, quæ multũ squamę̃ eris, aut chrysocollę̃ adiunctũ habeat eaq; linteo illinenda, adhibendaq; est, cuius spleniũ non est cõtinenter auferendum. Ad chironia autem facit hoc, quod habet squamæ æris drachmas x. ceræ tantundem, aluminis drachmas II. Ceram calefacito, atq; emollito, & arida in pollinẽ redacta excipito, ijsq; linteo impositis vtitor. Ad effera autẽ vlcera valet malicorium læuigatũ, & combustum. aut alumen scissile vstum, tritumq; inspergito, aut hoc vtere medicamento, quod capit hyssopi drachmas IIII. vuæ passæ tantundem, nitri drachmas II. Locus melle prius illinitur, tum hæc applicant. Putrida verò vlcera & depascentia valentiorib. medicamentis egẽt, qualia sunt hæc: chalcitis, auripigmentum, calx: hæc enim non secus quàm ignis, vrunt. & quandoq; fit, vt his à morbo superatis, ad ignem deuenire oporteat. Marrubium quoq; ex vino coctum illine. aut eruum læuigatũ cum melle imponito. Oliuæ teneræ folijs in vino coctis, & contritis vtitor ad eundem modum. perfundenda autem est aqua marina calida.

Ad uermes, qui in ulceribus comperiuntur. Cap. XXVI.

VErmes, qui in vlceribus putrescentibus sunt, calaminthæ succus tollit.

De *carbunculo.* Cap. XXVII.

CArbones fiunt ex sanguine, qui melancholicus, fer-

feruescensq; effectus sit, & cutim comburat, quocir ca cum crusta oriuntur, pustulis, quæ phlyctænæ di cuntur, vlcus præcedentibus, vt in ambustis fit: febrimque acutissimam, & celere periculum afferunt. Cùm pruritus adest, quandoq; plures pustulæ erum punt paruæ, frequentes, cõtinuæ, milio similes, quibus ruptis vlcus cũ crusta fit, cuius crustę color modò cinereus est, modò niger. reliqua caro circundata redditur mirum in modum flãmea, & nigrum colorem contrahit, splendetque non secus quàm bitumen, atq; pix, ac talis quidem est bilis exquisitè atra. Hanc affectionẽ curantes à venę sectione exordiendum est: per quam vsque ad animi defectionem euacuabimus. post verò sanguinem detractum non erit incõmodum scarificare, idq; altioribus plagis propter succi crassitiem. Loco affecto imponenda sunt quæ modicè repellunt, ac digerunt, quale est cataplasma, quod ex plantagine, & lenticula cocta constat, cui mica panis in clibano cocti, & nõ admodum puri sit adiuncta. super vlcus verò aliquod vehemẽs medicamentum ponemus. Tale est quod ad Andronem refertur, sapa irrorantes ad sordium spissitudinem. Sedata autem illa quasi flamma, vlceri perinde atque alijs cicatricem inducemus. Veteres nuces oleosæ ad carbones faciunt, cypariss iq; folia, & germina, & noui, ac teneri globuli cum polẽta: vua item passa eiectis acinis, & contrita, & caricę coctæ in vino, atque contusæ.

De *cancro*. Cap. XXVIII.

CAncri quoq; ex atra bile feruenti oriuntur, ea si acrior sit, vlcus affert. ideo colore sunt nigriore quã inflammatio, sed sine caliditate. venæ tamen magis, quàm in inflãmationibus implentur, ac distendun-

tur,neq; ita rubrę ſunt,ſicut in inflámationibus:earumq; color humoris colorē præ ſe fert.propter cuius humoris craſsitiem cancer inſanabilis eſt: quippe qui neq; repelli,neq; digeri queat, neq; etiam totius corporis purgationibus cedat,mitioraq; medicamenta negligat, à vehementioribus autem magis exacerbatur. Poſſumus tamen initio prohibere ne cancer augeatur, melancholici humoris purgatione inita prius, quàm in affecta particula ſit impactus. Euacuabimus autem vel aliquo ſimplici, vt epithymi drachmis quatuor, in ſero lactis, aut mulſa datis: vel hiera,quæ nigrum veratrum acceperit.Loco autem affecto impoſitum in vlceratis ſine moleſtia prodeſt hoc medicamentum,Solani ſuccus molli linteo duplici, aut triplici in eo intincto, copioſe impoſitus: extrinſecus quoq; lana molliuſcula eodem ſucco imbuta applicatur,adhibita diligentia,ne areſcāt hæc,quod fiet,ſi ſuccū aſsiduè affundas. Valebit etiam ad cancrum vlceratum id medicamentū, quod ex pompholyge conſtat.Victus autē ratio ægrotanti apta inſtituatur ex ptiſſanę cremore,ſeroq; lactis. Veſcatur item ex oleribus, malua, atriplice,blito,& cucurbita,piſcibusq; ſaxatilibus,& omni auium genere,præterquàm earum,quæ in paludibus degunt.

De ſanguinis coitu ſubter cutem,quod ecchymoma dicitur. Cap. XXIX.

CVM caro ab aliquo pondere incidente contuſa ſit,venæque paruæ,quæ per eam deditæ ſunt, ruptæ fuerint,ſanguis profunditur, quaſi tranſcolans. isq; ſub cute collectus facit id, quod ecchymoma vocatur cute adhuc integra.Nobis ergo propoſitum eſt, concretum ſanguinē per halitum digerere, idq; celeriter prius quàm nigreſcat. ſed ſub initio adſtringen-

gentia digerentib. admiſcenda ſunt, quòd tunicę ve narũ cõtundant, ideoq; denſationis indigeãt. at poſt hæc ſolis digerentibus ſine adſtringentibus vtimur, ac principiò quidẽ ecchymomata ſcarificamus, tum reliquam curationem adhibemus. Cæterùm de numero ecchymomatum ſunt quæ ſugillata nominantur, & liuores ex plaga cõtracti, & inter vngues ſanguinis concurſus ex ictu. Pellis autẽ pecudis recens detracta eos, qui flagris cæſi ſunt, potius quàm cætera omnia, vno die, vnaq́ue nocte perſanat. Præterea hydropiper vnà cum ſuo ſemine illitum ſugillata, & tumores qui obduruerunt, diſcutit.

De ruptis & conuulſis. Cap. XXX.

RVpta cum ecchymoſi, hoc eſt, ſanguine, qui in loco contuſo collectus ſit, omnino fiunt. Curantur autem medicamentis modicè calefacientibus: tale eſt acopon, quod ex nigra populo cõficitur, quæq́; ſunt generis eiuſdè. In ruptis verò, quæ altius intra corpus deliteſcunt, medicamentorum vis intendenda eſt, & acriora, queque magis incidunt, adhibeantur. talibus autem cucurbitulæ vſus prodeſt. ſiq́; totum id, quod ſub cute coiuit, celeriter ſit diſcuſſum, rupta caro facilè coaleſcit. ſi inueterarit, ſordesq́; ſubnaſcatur, ruptio coire nõ poterit: ſed labia tantummodò inter ſe propè admouebuntur, vt paruo momento facilè ſeparentur, & medius locus aliquo humore impleatur, & ecchymoma continenter quodammodo exiſtat, & primo ſimile, niſi quòd hoc celerius quàm illud digeritur, cõſtatq́; ex tenui ſanie, cùm illud eſſet è ſanguine. Conuulſa autẽ fibris quibuſdam diſtractis fiunt, ſolumque leniri poſtulant, quoad dolor ſit ſublatus: cõglutinari enim non poſſunt. Ariſtolochia autem rotunda ruptis & conuul-

sis,vt si quid aliud conuenit:itemq; centaurij maioris radix,eiusq; succus,& rheum,& costus, & bdellium in oxymelite potum.

De *luxatis,& contusis.* Cap. XXXI.

LVxatis verò,& cõtusis prodest lana succida,spongia quę sit aqua & oleo mixtis imbuta, & superdata, bulbi teneri elixi cum melle,aut cum cerato, sal tritus,farina cum melle.viticis folia, & sal, & nitrũ tosta & lęuigata cum cerato.Vtere etiam aquæ perfusione,vel marinã calefacito . Sedata verò inflammatione,atque doloribus, partes luxatas fricabis.

De *rebus spicula,surculos,spinasq; educentibus.* Cap. XXXII.

SPicula,arundines,spinas,& surculos euellunt anagallides vtreq;, aristolochia rotunda,ammoniacum cum melle, alterci semen læuigatum, atque illitum. Arundinis verò radices cõtunde, & melli admixtas in linteo largè illine,imponeq;, & alliga : extemplò enim educunt.

De *affectionibus unguium.* Cap. XXXIII.

REduuias exiguas etiamnum incipientes comprimit galla cum melle,eamq; prohibet cõfirmari. Vbi verò factæ iam sint, consilium iam est, carnem, quæ præter naturam excreuerit,medicamentis morsu vacantibus absumere,& liquare. Ad reduuias autẽ valet aurium sordes, & lycium. quæ pus confecit, acu perforanda est,humorq; exprimendus,tum spongia aqua imbuta imponi debet. aut lenticula trita ex aqua superdanda est,aut rosæ siccæ,aut virides tritæ, & aquæ perfusæ illinendæ, aut polenta trita admouenda . Interim verò caro est ab omni parte vnguis lintei ramentis abducenda. cæteros vngues contusos myrti punicæq; folijs teneris tritis illine. At vngui-

guibus ſuberuentis farinam pice admixtam adhibe. Vt vngues malè affecti decidant, ſulfur tritum ſuillo adipe exceptum applica. Scabri verò vt abſcedant, vtitor medicamento, quod habet viſci querciní, ſan darachæ, fœnigræci ana vncias duas. cantharidum, thapſiæ ſingulorum vnciam. aceti quantùm ſatis eſt. Ad idem facit fęx arida cum cerato vngui adiuncta. aut caro ficuum contuſa ſeminibus abiectis. aut vnguem pice ſubunctũ ſulfure & ſandaracha tritis pari pondere illinito. vnguis autem diligenter eſt radendus, ad æqualitatem redigendus, ac vinciendus, vtendumq; ijs, quę ad vngues abſcedentes faciunt.

Ad pterygia digitorum. Cap. XXXIIII.

AD carnis verò incrementũ, quod vnguis partem operit, (pterygion vocãt) thuris lachryma trita impoſita, & alligata valet: vel eruum tritum eodem modo: vel thuris inſecti drachmam, & ſandarachæ duplum tere, & radici vnguis applicato, diligenterque inſpergito, ſupra verò linamenta ſicca ponito: hoc enim pterygia celeriter exiccat. Eſt aliud itidẽ præſtantiſsimum, vehementer faciens ad ea, quæ etiam maligna ſunt. habet autem gallarum, mali corij acidi, ſquamæ æris rubri, & caricarum combuſtarũ pares portiones. eas tere, melli admiſce, ad vnguenti ſpiſsitudinẽ redige, linamenta intinge, bisq; in die impone, & liga, neq; vngas, neq; madefacias. Si verò humor ſubſit, eum ſpongia vino perfuſa abſtergeas.

De ulceribus articulorum. Cap. XXXV.

CVM articuli ſint partib. carnoſis ſicciores, ideo fit, vt cùm vlcerati ſunt, ſiccioribus medicamẽtis indigeant. Ergo polyide paſtillus ex vino ad ſordium ſpiſsitudinem ex vino ſubactus, & cætera quæ æquè

deficcant, accõmodata sunt. marina quoq; & muria sępe irrigando articulos, melius affici conspeximus. Quocirca in articulis vtendum est ijs, quę maiorem etiam exiccandi vim, quàm vinum, habeant.

De sanguinis profluuio. Cap. XXXVI.

PRofluuio sanguinis remedio est appositus situs partis cõuulneratæ. talis est, qui sursum vergit citra doloré: nam qui deorsum vergit, doloréq; affert, is sanguinem non fluentem ad profluuiũ etiam ciebit. Cùm ergo vulnerata pars est, ac sanguis fluit, statim digitum ori vasis, ex quo sanguis effluit, admoueto, leniterq; & sine dolore comprimito: ita enim grumus fiet, & sanguinis fluxus cohibebitur. si ita non sistatur, vtendum erit ijs medicamentis, quę supprimendo sanguini sunt: inter quæ præstant quæ obstruunt, quæ emplastica nominãtur, ijs quæ crustam inducunt: interdum enim vbi crusta excidit, ne iterum sanguis effluat, periculum est. Optimum autem est hoc, quod etiam ad sanguinem è membranis cerebri fluentem facit, thuris pars vna, aloës dimidiũ, albo oui subigitur ad mellis consistentiam, deinde leporis mollissimis pilis excipitur, tum vlceri toti liberalissimè superdatur, tum fascia alligatur: cuius fasciæ primi quatuor, aut quinque amplexus super vas profluens inijciendi sunt, inde ad radicem vasis ducendi, tertio die erit soluendum. Siq; medicamentum tuto adhuc vlceri adhæreat, aliud rursus in orbem superimpones, & nõ secus quàm linamentum, quod ex pilis constat, madefacies, ac pari modo deligabis. Sin sua sponte linamentum excidat, radicem vasis digito blandè cõprimens. quatenus nihil defluat, hoc leniter auferes, aliudq; impones, & quoad vas carne implebitur, ad hunc modum curãbis.

bis. Quę verò cruſtas gignũt, vbi cruſta decidit, magis nudam partem, quàm eius natura ferat, derelinquunt. & perſæpe cùm cruſta excidit, profuſio ſanguinis ſubſecuta eſt, quæ ſupprimi difficulter potuit. & tamẽ ſæpenumero ijs medicamẽtis, nõ ſecus quàm ferramẽtis igni candentibus, vti cogimur, vbi ex putredinis eroſione ſanguinis eſt exorta profuſio. Cæterũ iſatis ſatiua partibus, ex quibus ſanguis fluit, ſuperdata egregiè ſiſtit. Idem faciunt gallæ cõbuſtæ, & cùm adhuc ignitæ ſunt, aceto aut vino extinguunt. gypſum miſceto oui cãdido tenui, itemq; farinam triticeam puluerulentam, qualis hæret parietibus. ita enim medicamentũ conficies, quod ad ſanguinis profluuia valebit: idq; leporis pilis, aut re aliqua pariter molli excipiendum erit. Ad ſanguinis autem profuſiones, quæ ex ore, aut thymis, aut lentigine, aut verrucis, aut hæmorrhoidibus fiunt, folijs porrò contuſis vtere: aut rhun rubrum, aut acinos, aut capitula punici mali cõtundẽs impone, aut ſpongiam nouam pice cruda intinctam adure, & tuſa vtitor: hoc enim valde efficax eſt. Sanguinis verò fluxionem ex ore cõprimit os colluendo frigidum decoctum roſarũ viridium, aut ſiccarum, aut clauiculorum vitis, aut lentiſci foliorum, aut myrti, aut rubi, aut malorum cydoniorum, aut punicorũ, aut acinorum, aut lenticularum. Iis etiam vtendum erit in ſeſsibus frigidis, qui ſedi atque vtero conueniunt. Cæterùm victus ratio ijs, quos ſanguinis fluxus exercet, ex adſtringentibus, atque incraſſantibus inſtituatur: huiuſmodi autem ſunt alica, farinaq; pura decocta, & item cochleæ, caſeus tener, bulbi cocti, piſces aſſati, palmulæ, vinum nigrum auſterũ, lenticula, polenta, ouorũ vitelli, pira, achrades, mala cydonia, ſorba, meſpila, & quæ his ſunt conſimilia. Ad ſan

guinis autem fluxum ex naribus faciunt platani globuli exiccati, quos re aliqua ex fetis confecta confricabis, semenq; proijcies, & lanuginem collectam in vase fictili nouo repones, & cùm vsus postulabit, eam in puluerē redactam per calamū inspirabis. frontem autem & nasum gypso, aut luto figulari oblines. Valet ad eandem rem porri succus lana, aut linamento exceptus, & naribus inditus: & manna succo porri coacta, & imposita. Extrinsecus autem nasus illinendus est oliuæ folijs teneris læuigatis: & suffitum ex cicuta super molli cinere narib. admouebis: & spongijs aut lanis aqua frigida imbutis meatus vtriusque pinnæ naris obstrue, cruraque & brachia vincies, ac frontē, & tempora oblines ijs agglutinantib. quæ ad oculorum defluxiones faciunt. Si verò grumi aliqui subsint, cùm sanguinis adhuc profusio est, eos par erit exprimere, & protinus iterum vti medicamentis sanguinem comprimentibus, & narium chartilaginem, sub ipso osse duobus digitis pollice, atq; indice comprimere. In his autē profusionibus, & ijs, quæ ex intestinis fiūt, prodest porri succū pondere duūm cyathūm potui dare, aut lauri tenera folia cōtusa in oxymelite. aut thuris & lauri pares portiones læuigatas dabis. aut farinam puram, & thus, & gummi paribus portionibus cum aqua teres, & dabis.

Ad cicatrices, stigmata, & uibices.

Cap. XXXVI.

CIcatrices nigras tollit inunctum oleum, in quo bryoniæ albæ, & nigræ radix incocta sit, donec succum reddat. itemq; nepita vino cocta, lythargyrus oleo rosaceo candido lota. Cicatrices verò, quæ ex impetigine fiunt, atque etiam alias concolores reddit adeps asininus illitus. erucæ semen læuigatum cum

cum felle caprino, aut bubulo, aut ouillo illitū: cūq; inaruerit, auferendum est. succus quoq; erucæ herbæ illitus cum lithargyro vtilis est. Maculas autem, quæ stigmata nominantur, exterit ranúculus illitus, aut capparis folia, aut ceruſſa cum aceto illita. sed hoc spatio temporis maculas aufert. Ad vibices con colores statim facit oleum liliaceū continuò inunctum.

De neruis uulneratis. Cap. XXXVIII.

NEruus propter sensus excellentiá, cùm vulneratur & dolore, & inflámatione maiore, quàm alia cor ripitur. quocirca cutis vulneratio aperta est seruanda, vt sanies per ipsam effluat: vulneriq; adhibenda medicamenta sunt, quæ dolorem leniant, & aditum effluxui patefaciant. Ergo calidam aquam, quæ cæteris inflammationibus idonea est, his esse aduersissimā sciendū est, & accómodatius ad has esse, vt oleo tenuium partium, & experte omnis adstrictionis irrorentur. Ex medicamētis autem apta est resina, aut terebinthina, eaq; per se ipsa in pueris, in mulierib. & in ijs, qui molli carne sunt: in ceteris verò cum euphorbio. itemq; propolis & per se, & cum euphorbio emollita: si verò duriora sint corpora, cum aliquo oleo subtiliore. in neruis autem inflammatis & putrescentibus cataplasmate vti poterit quispiá eo, quod ex farina hordei, aut fabarum, aut erui in lixiuio stillatitio, aut oxymelite cocta, confectum sit. cerato verò vti poterit hoc, quod habet ceræ vncias tres, euphorbij vnciam, aut simi columbini in durioribus corporibus, olei vncias duas. Conuenit etiam Basilicum medicamentum, quod nitrum recipit, aut calcem viuam, aut euphorbiū, aut sulfur viuum, aut stercus columbæ syluestris, vt in tetrapharmaci li-

bram,horum alicuius vncias duas inijcias:hoc enim egregiè ad neruos vulneratos, ac præcipuè pũctim, facit. Iam verò in agro,vbi tibi nihil ſuppetit,poteris recentem pinguemq; propolin vulneri applicare,aut fermentum propoli mixtum,aut liquorem tithymali fermento additum. Cataplaſmatis autẽ ex lixiuio ſtillatitio,atq; oxymelite, & farina fabarum, aut erui,aut cicerum, aut lupinorum amarorum,aut hordei,aut etiã polenta nõ ſolùm cum nerui inflammatione tentantur,ſed etiam ſtatim in ipſo initio vtendum eſt. At ſi neruus non pũctus ſit ille quidem, ſed planè cẽſim ſit vulneratus ita,vt cutis quoq; ſub iecta ſit diuiſa, vt nudus neruus, & per directum, & non per tranſuerſum diuiſus conſpiciatur,tum nullo ex ijs medicamentis, in quibus euphorbium ſit, quæq; non minus ſunt acria, vti oportebit: quippe cùm neruus nudatus horum vim,quę vehemens eſt, ferre non queat. Igitur æſtiuo tempore calcem ſæpe lotam, & oleo copioſo dilutã cape. Quam etiam ad rem facit id, quod ex pompholyge conſtat, quodq; ex melle cõficitur,in roſaceo liberaliore eliquatum. Cęterùm nihil horum vulnus debet cõtingere: cùm enim neruus ſenſus vi præſtat, tum verò frigida temperatura eſt, & cum parte cæterarum omnium principe eſt continuus. Sed ne oleo quidem huiuſmodi vlcus irrigare oportet:fit enim ſordidũ. ergo ſanies tantùm abluenda eſt molli lana ſpecillo circumuoluta. Si omnia ex ſententia nobis ſuccedant, etiam vino dulci citra periculũ madefacere poterimus. Vbi verò neruus, qui denudatus erat, fuerit contectus, linamenta aliquo medicamento,quod anguſtis vulneribus aptũ ſit,intincta,quale eſt,quod ex euphorbio,aut fimo columbino paratur, extrinſecus circũducere oportet ita, vt ſanas etiam partes largè comple-

plectatur. Cùm verò transuersum vulnus est, maius periculum conuulsionis imminet: sed quatenus curandum est, eodem modo progrediemur. Victus autem adhibeat tenuior, quies imperetur, lectus mollis esto. oleo calido copiosè vngantur alæ, caput, & ceruix. Si vulnus in crure sit, inguina sunt potissimũ multo oleo perfundenda vsque ad spinam, caput, & ceruicem. Si nerui contusi sint, cumq; eis est contusa cutis, & exulceratio subsequitur, cataplasma ex farina fabarum, & oxymelite conuenit. Si verò contusioni dolor accedat, pix liquida miscenda erit. At si citra cutis contusionẽ eueniat, oleo calente, cui digerendi facultas insit, perfundere assiduè oportet. Si totus neruus præcisus sit, periculum nullum imminet, sed membrum mutilum, mãcumq; reddetur: sed curatio eadem, quæ cæteris quoq; vlceribus, adhibebitur.

De liquefacto medicamẽto, quod neruis punctis conuenit. Cap. XXXIX.

MEdicamentum autem liquefactum, quod ad neruos cõpunctos, & à rabiosis morsos facit, accipit aceti sextarium vnum, picis pinguis libram vnam, opopanacis vncias tres. Opopanacem verò aceto solutum multùm læuigabis, picem liquefactam, mixtamq; incoques. Est autem hoc medicamentum ad neruos compunctos accommodatum, vtpote quod os compunctionis conniuere non sinat: quemadmodum etiã in ijs, qui à bestijs rabiosis morsi sunt, prohibet ne vlcus cicatrice concludatur. verùm duris solùm corporib. conuenit: nam si in mulieribus, pueris, aut ijs, qui molli sunt carne, vti hoc velis, cũ punctì fuerint, erit aliquo digerente, vt amaracino, aut opobalsamo, aut oleo vetere liquefaciendum.

Ad articulos relaxatos. Cap. XL.

SVccurrit articulis relaxatis acacię ſuccus aqua dilutus, & ſuperfuſus. aut rubi, aut myrti, aut malicorij, aut lentiſci, aut vlmi radicum corticis decoctum cõgruit: aut malicorium illitum, aut myrti folia cum myrteo cerato impoſita.

De *inflammatione.* Cap. XLI.

INitium inflammationis eſt, cùm pars impletur ſanguinea ſubſtantia: incrementum cùm id quod fluebat, ceſſat, quod verò in particula eſt, incipit putreſcere, caloremq; præter naturam affert, fuſioq; & flatus gignitur, & particula magis quàm prius intenditur: ſtatus verò, cùm pus iam conſiſtit, labores verò maiores ægrum vexant: declinatio denique, cùm id, quod fluxit, digeſtũ eſt, & moles, ac tenſio eſt diminuta. In principio autem admouemus ea per ſe, quæ vim habent repellendi: in incrementis hæc minuimus, digerentiaq; addimus: in ſtatu repellentibus & digerentibus pari portione vtimur. Si verò dolor ſit vehemens, lenientibus opus eſt. in declinatione ſolùm digerẽtia adhibemus, nihilq; adiũgimus, quod vim adſtringẽdi habeat. Parietaria igitur ad omnes inflammationes tum in principio, tum in incremento accõmodata eſt. ſimili quoq; modo glaucium. Atriplex verò & maluæ hortenſes incipientibus, & augeſcentibus, ac veluti feruefcentib. conueniunt: declinantibus verò, & duratis, & refrigeratis, ſyueſtres magis idoneæ ſunt. Lactuca & cucurbita calidis illitæ proſunt. Ad eas verò quæ ex defluxione oriuntur, ſemperuiua, & vtriq; tribuli valent: at dureſcentibus braſsica cõuenit.

De

De affectione, quæ ex defluxionibus gignitur. Cap. XLII.

CVM particulam aliquã ſine manifeſta cauſa præcedente inflammatio repentè obſedit, id quod affectionem eam gignit, defluxio: ipſe verò morbus affectio ex defluxione nominatur. In principijs harũ inflammationum curandum eſt, vt rectè curatio adhibeatur. totum ergo corpus euacuationibus idoneis inaniendum eſt: pars verò inflammata ſuperfundenda, illinendaq; eſt non calefacientibus, humectantibusq; medicamentis, ſed ijs, quibus defluxus repellatur: quodq; in affectam partem decubuit, inaniatur, visq; & robur particulis malè affectis afferatur. Superdandum ergo eſt cataplaſma, quod ex ſemperuiuo, mali punici cortice, in vino cocto, & rhoë, & polenta adiunctis conſtat: hocq; & huic ſimilibus, cùm dolor vehemẽs non eſt, vtendum. Vbi verò particula cum defluxione dolorem ſentit, tum ne aqua quidem calida, aut oleum, aut cataplaſmata ex farina ſunt adhibenda: hæc enim omnia defluxionibus inimica ſunt. Cæterùm doloris vehemẽtia lenienda eſt medicamento, quod ex paſſo, roſaceo, modica cera, lanis ſordidis, quæ œſypi multum habeãt, conficiatur: quæ per æſtatem frigida, per hyemem verò calida excipiũtur, atque admouentur ita, vt ſuperiores partibus affectis locos ſpongia vino auſtero, aut poſca frigida imbuta comprehendant. Si ex horum vſu immutatio oriaꝛ, & pus nõ ſubſidat, emplaſtro, quod ex chalcitide conficitur, aut alio ſimili ex ijs, quæ valent ad fluxiones, vtemur. Lanam verò puram vino auſtero imbutam ſuper medicamento foris accõmo dabimus. atque hoc quidem modo inflammationes ortæ ex defluxione curabũtur. Eas verò, quæ ex ali-

qua occasione excitantur, si calefacias atque humectes, nihil lædes. siq; ad puris confectionē eas velis adducere, farina triticea hydrelæo incocta illines. Siq; vsus interdum postulabit, vt scarifices, id etiam ex vsu facere poteris: sed si eas, quæ ex defluxionib. ortum ducunt, scarifices, præsertim in principio, cauſam afferes alicuius magni mali.

De *abscessibus, quæ apostemata dicuntur.* Cap. XLIII.

In abscessibus autē si puris eruptio impediri non posse videatur, panem in hydrelæo coctum illines, aut farinam hordeaceam eodem modo paratam impones. particulam verò aqua, in qua althææ radix in cocta sit, fouebis. Cùm autem tumor difficulter ad suppurationem perueniat, difficulterq; discutiatur, cataplasmate, quod ex caricis fit, vtendū erit. oportet autem caricas pingues, dulces q; aqua incoquere, atq; eliquare, & aquā melli tenui similē reddere, quandoq; etiam farinam hordeaceam addere, quandoq; verò panem ex tritico puro: siq; tumor discutiatur minus quàm par sit, tum cum caricis hyssopū, aut origanum incoquetur. si vim maiorem velis efficere, decocto salem adijcito. Sed diligenter est animaduertendum, ne dum vehementius exiccas, pars in duritiem calleſcat. Si quid tale fortè videas, cum aqua radicē agrestis cucumeris, aut althęę, aut bryoniæ incoques: quibus dracūculi radix valentior est, & ad digerendū accōmodatior. ergo eam quandoq; per se coques, quandoq; caricas addes, farinamque vnà cum adipe admiscebis. Digerit quoque adiantum, itemq; anethinum oleum, quod etiam crudos humores, incoctosque tumores maturos reddit: pix duros, crudosq; tumores omnes cataplasmatis indi

ta,

ta, magisq; ea, quæ liquida est, concoquit. Medicamentum compositum, quod abscessus iam coctos sine labore expellit, vt sæpe in splenio pus inueniatur: qui verò cocti adhuc non sunt, perfectè digerit: capit autem lapidis pyritæ drachmas XII. ammoniaci læuigati tantundem, farinæ fabarũ drachmas senas. Excipe resina liquida, pellique illitum impone. splenium verò ne auferas prius, qnàm sponte sua decidat. Sed hoc medicamentũ non ita multò antè parandum est, quippe quod aridum confestim reddat.

De strumis, & phymate. Cap. XLIIII.

FArina lupinorum amarorum aceto, aut oxymelite, aut posca incocta non solùm liuores, sed & strumas, & phymata sanat. Medicus quispiam in ijs, quorum durum corpus erat, bubulo stercore ex aceto, ad strumas, & tumores obduros, totos oblinẽs, vsus est. Phymata verò discutiũt trita, & illita hæc: adiantum, atriplex, parietaria, althææ radix vino incocta, ammoniacum cum melle emollitum, & superdatum, viscũ cum resina, & cerato, salicis folia cum cerato. Rumpunt phymata lupini amari, propolis cum aceto illita, cucumeris syluestris radix, terebinthina excepta, capparis radix eodem modo, nitrum cum fermento, aut ficubus. Abscessus internos rumpit marina cum mulsa pota. Strumas autem discutit calx viua melle, aut sordibus, aut oleo, aut adipe suillo excepta. lolij item farina cum fimo columbino, & lini semine vino incocta. caprificorũ grossi agrestes, aut domestici illiti: qui etiam concretionem omnem digerunt.

De fistulis. Cap. XLV.

RAdix spondilij circumrasa & imposita callos fistularum adimit. idem facit veratrũ nigrum biduo, aut

triduo impositũ. eliquant etiam æruginis drachmæ duæ, ammoniaci tantundẽ. Colyria ex aceto & aqua conficiuntur ad fistulas accõmodata. itemq; amurca cocta, & in collutione adhibita. Sory crudum & cõbustũ cum vini diluti, aut mellis portiuncula ad colluendum adhibitum. omphacium quoq; colluendo carnem procreat.

De *bubonibus*. Cap. XLVI.

IN ortu bubonum si totum corpus succis æquabiliter redundet, aut malitia humorũ detineatur, difficilis curatio est: & tamen adhibenda est ea, quæ in affectione, quæ ex defluxione oritur, exposita est nobis: si corpus exquisitè sanũ sit, facilis. totum autem crus calefaciendum, & humectandum est, vt dolore vacans efficiatur: ipsiq; vlceri imponendum est linamentum lotum in rosaceo, aut aliquo oleo relaxante, quod tetrapharmaco calido sit intinctũ: totusq; artus carpto lanę oleo imbuto obuoluendus est: foris verò vlcus emplastro calido illinendum, aut farina triticea, aut hordeacea, aut ex vtraque cum olei portiuncula. Glandulam verò inflammatione tentatam in principio lana oleo calido imbuta lenire oportet, non autem vt quidam faciunt, sale adiuncto. eo em̃ postea vtimur, cùm artus à plaga vexatus fuerit lenitus, & cùm dolorem vlcus non affert: quibus quidem rebus glandularum plerunq; soluitur inflãmatio. sæpe etiam augetur, & ad suppurationem ducitur. ergo cùm ille quasi feruor inflammationis se remiserit, lenientia sunt omittenda, atque vtendum digerentibus: paulatim à digerentib. ad ea, quæ consistẽtia liquida sunt, transeundo, qualia sunt, quæ cerati speciem referunt, similia ijs, quæ linamentis carptis excipiuntur, quæ emmota vocãtur. In ijs autem vi-

vitare oportet durorum vsum emplastrorum: quippe quę particulas distendant,& ad inflammationem iterum vi adigant. cùm satis puris sit,particulaq; ad suppurationem peruenit, non statim diuidemus, vt quidam facere solent. sed dabimus operam, vt eam materiam medicamentis digeramus. ac lutum quidem impositum tumores inguinum celeriter digerit. Cęterùm bubones,qui ex prolapsu,& vlcusculis & doloribus contrahuntur, periculo vacare: alios, præsertim verò eos,qui febribus superueniunt,malos esse,existimandum nobis est.

De *erysipelate,hoc est,igni sacro.* Cap. XLVII.

HVmor crassus, atque acer,qui influit, erysipelas modò cum vlcere,modò sine vlcere conficit.hoc curandum est primùm medicamento purgante, quod bilim educat: deinde refrigerantibus repellendum est quod influit: atque à refrigerantibus ad digerentia prius quàm particula liuescat,aut nigrescat,progrediendum. Postulant autē erysipelata ea, quæ refrigerant,cum humiditate,nec adstringāt:huiusmodi sunt semperuiuum, portulaca,psyllium,lenticula paluſtris,vmbilicus Veneris, solanum, altercum,lactuca,beta,& glaucium. Cerata quoque ex aqua admodū frigida huius sunt generis. admiscetur etiam eis opij parum,aut succi papaueris,cicutæq;,& mandragorę:& composita medicamenta conficiuntur.

Ceratum refrigerans. Cap. XLVIII.

CEra,quæ purissima sit,oleo eliquatur,ceratumq; liquidum fit. hæc refrigerata manibus in pila emollimus,aquam frigidam affundendo,quantùm eis capere ceratum possit. melius autem est oleum rosaceum ex omphacino oleo sine sale. debetque oleum aut triplum, aut quadruplum ceræ esse. Si verò pa-

rum aceti tenuis & perlucidi velis addere, medicamentum liquidius, frigidiusq; parabis. atque id non modò erysipelati conueniet, sed etiã hecticis febribus, & inflammationibus pudendorum incipientib. antequàm depascés aliqua affectio partes obsideat. herbæ quoq; refrigerantes cum tenui polenta abunde refrigerant. itemque palmulæ pingues eiectis earum membranulis, & teneræ factæ decoquẽdo, deinde læuigatæ, & impositæ. Si verò sicciores videãtur, cerato antedicto ad consistentiam vsq; admiscebis. Sedata autem inflãmatione, antequàm particula liuida fiat, cataplasma ex hordei farina imponendũ est. Si verò iam liuor occuparit, incisa cute cataplasma superdandum, locusque perfundendus aqua calida dulci, sed & marina, aut muria interim proderit. quã doque etiam hæ aquæ cataplasmatis admiscentur.

De herpete. Cap. XLIX.

HVmor quoq;, qui herpetem facit, acer est: siq; flaua bilis impermixta influat, vehemẽti acrimonia herpetem exedentem gignit, qui continuam cutim erodendo occupat: qua de re affectio ipsa herpes nominatur: si verò cum pituita misceatur, alterius herpetis, qui miliaris dicitur, quiq; eminentias milij similes in cute excitat, causa est. ergo qui prius totũ corpus purgat, deinde repellentia partibus affectis applicat, is herpetem rectè curat. at qui primo loco vtitur ijs, quę cuticulę cicatricem inducunt, is cuticulam quidem sanat, cæterùm non vetat, quin de integro priori similis oriatur affectio. Ergo corpus euacuandum est, vt in erysipelate diximus. particulis tamen affectis non eadem imponenda. postulant quidem refrigerãtia non secus quàm erysipelata, sed humectantia non ferunt: eisq; refrigerantia, & siccantia

tia conueniunt. Itaq; neq; lactuca, neque lenticula paluſtris, vt refrigerantes & humectantes offerendę ſed in principio vitis capreolos, & rubum, & plantaginem oportet illinere, eis deinde lenticulam admiſcere. interim verò & mel, & polentã, & cataplaſma, quod ſupra ad inflammationes ex defluxione, amoto ſemperuiuo, conſcriptũ fuit. Exulcerata verò medicamentis ſunt inungenda, quæ ad herpetẽ valent, vt paſtillis paſſo, aut vino tenui nõ vetere, aut poſca diluta reſolutis. De his autem vlceribus inueteratis Muſæ & Andronis paſtillus conuenit. at herpetẽ qui extimam ſolùm cutim exulcerat, niſi valde inueteratus ſit, nullo horũ vngere oportet: nam & vehementiora ſunt, & magis quàm oportet, ſiccant. Ergo ad huiuſmodi herpetem facit glaucium, huicq; ſimilia, pręſertim ex aqua ſubacta. Si morbus nihil remittat, aceto diluta adhibeãtur: ſiq; ſucco plantaginis, aut ſolani ſoluta imponas, nõ mediocriter auxiliaberis. aut lini ſemen torridum in vino & oleo coquito, & contritum imponito. aut terram Cimoliã ſolani ſucco ſubactũ inungito: aut lithargyri drachmas quatuor, porri ſucci heminæ dimidium, ſucci ſolani tantundem læuigata illinuntur.

De ſcirrho. Cap. L.

SCirrhus ita vt os, durus eſt, & ſenſu vacans. isque ſanari non poteſt. at qui obſcurũ ſenſum habet, medicamentis digerentibus curatur. Sed quæ digerũt, & cõfertim vacuant, & non molliunt, ea primis quidem diebus diminuere tumorẽ videntur, ſed tamen quod reſtat, inſanabile fit: quippe quum id omne, quod tenuium erat partium, ſit digeſtũ. ex quo conficitur, vt ea medicamenta aptiora ſint, quæ molliãt ſimul & digerant. Inter mollientia autem ſunt adeps

& medulla ceruina: itemq; adeps taurinus, hircinus, & vrsinus, & ammoniacum, bdellium q; & styrax. horum vsu duritiam dissoluemus, & digerentibus vtemur, qualia sunt fœnum græcũ, fimus caprillus cum posca. Componitur etiam medicamentũ quoddam à medicis, quod ad vtranq; rem facit, hoc est ad scirrum dissoluendum, & ad digerendum est accõmodatum.

De œdemate. Cap. LI.

PItuitæ fluxio œdema facit. is tumor laxus est, cedens, & qui digitis impressis cauatur, & sensus est expers. curatur, spongiam posca imbutã cum ligamento leniter stringente imponendo. Initium verò deligandi ab inferioribus partibus ducitur, & ad superiores partes progrediendo desinimus. spongia verò noua sit. si talis non sit ad manus, ea quam habeas nitro exterges, & melius etiam, lixiuio quod stillatitium vocant. Si horum vsu tumor non subsidat, paululũ aluminis miscendũ erit. Valet ad idem mollissimũ ex lucerna linamentũ hoc eodẽ humore imbutũ & impositũ. glauciũ quoq; vtile est. Si verò inueterarit œdema, particulam oleo prius inunges, deinde spongiam ex lixiuio impones, arctiusq; constringes, atque ita tumori medeberis. Isatis etiam satiua tumores hosce mirabiliter digerit, & cõprimit. Idem præstat terra omnis pinguis, & magis etiã Aegyptia.

Ad tumorẽ gutturis, qui bronchocœle dicitur, itemq; ad aquosum ramicem, qui hydrocœle, & ad ramicem intestinorum, qui enterocœle. Cap. LII.

AD gutturis tumorem & aquosum ramicem quidam potissimũ vtuntur bdellio, quod saliua hominis

nis ieiuni diluunt vsq; adeò, vt emplastri habeat cõsistentiam. Cupressi autem folia & germina & nuces nouæ teneræq; ramici intestinorum prosunt: nam & siccant, & robur humidioribus, laxatisque corporibus addunt.

Ad dothienas, hoc est, furunculos. Cap. LIII.

DOthienes ex crasis fiunt humoribus. eos digerit, cõcoquitq; triticum cõmansum, & superdatum. idem facit Aegyptia mastiche. itemque vuas passas exectis granis terito, saliq́ue trito paribus portionibus addito, & resinæ admiscens imponito.

Ad epinyctidas Cap. LIIII.

APium cum polenta illine, brassicæ folia trita impone. hyosciami folia trita ex melle applica. solanũ per se, & cum cicuta viridi admoue, aut oliuæ folijs cum aqua coctis vtitor. Vuas passas ademptis acinis tundito, easq; splenio illitas imponito. adiantum ex melle tritum adhibeto. Cæterùm cauere oportet acria, acida, salsa, fomenta, balnea, & solem.

De uerrucis, myrmecio, & similibus.

Caput LV.

VErrucæ cõuellentur medicamentis vehementer vlcerantibus: putrefacientibus verò interimentur. Ergo corticis salis vsti cinis clauos, callos, myrmecia, & verrucas, itemq; pterygia, & thymos aufert. Stercus autem ouillum aceto dilutum ad verrucas, myrmecia, thymos, furunculos duros, & clauos facit. grossi cocti tumores duros discutiunt: crudi verò myrmecia, thymosq; expelluut. Plumbi autẽ lamina tenuis rectè impositа ganglio, ipsum planè abolet. Condylomata verò cõprimunt oliuę flores cum aqua illiti: aloë cum passo inuncta, pentaphylli radix illita: cydonia cum pane cocta. aut cum polenta: myr-

ti folia combusta cum cerato: propolis antè emollita, & impositа. Condylomata quoq; & ficos aufert auripigmentum illitum, calx viua, & fæx viſco excepta, & vt ſpleniũ ſuperdata. Maximos verò ficos tollit ærugo ferri cum vino dulci inuncta: ſeminis anethi combuſti cinis: alumen ſciſsile tritum cum aceto: alumen liquidum cum pane & vino, & apio. Iam verò cinis palmitum ex aceto illitus & ficos aufert, & thymos, & condylomata ſanat, & prohibet ne iterum augeantur.

Ad perniones. Cap. LVI.

MArinã tepidam perfunde, vel decocto betæ, vel lenticulæ, vel erui, vel radicis aſphodeli. Facta perfuſione lenticulam vino incoctam tere, atq; illine. aut aceti fæce obline. aut bulbum recentẽ vino mixtum impone.

Ad digitorum, totiusq; pedis rimas. Caput LVII.

RImas digitorum, & totius pedis pice liquida obline. cancrum fluuiatilem, aut marinum ad carbones vrito, teſtam abradito, ex oleo terito ad mellis ſpiſſitudinem, ſciſſuris prius abſterſis inſtillato. Bene facit etiam ſcillæ medulla ex oleo feruefacta, & ex terebinthina leuigata: & cornu ceruinum crematum, & ſeuo caprino exceptum. Calli verò prius ſunt circumpurgandi, deinde imponenda medicamina.

De leuce, alpho, melane, lepra, & ſcabie. Caput LVIII.

VItiliginem, quæ leuce nominatur, gignit ſanguis pituitoſus, & glutinoſus, qui longo ſpatio temporis colorem mutarit in albidiorẽ. Alphorum ſimilis origo eſt, non tamẽ tota caro patitur, ſed extima ſolùm cutis

cutis. Ab humore autem pituitoso alphi albi fiunt: melius verò à melancholico. At humor qui lepram gignit, ad imas vsque partes penetrat: scabies verò magis superficiem occupat. Ergo si calcem lotam & exiccatá habeas, tantumq; aquæ ei admisceas, quantùm satis sit, vt mediocris fiat crassitudo, & inũgas, certè curabis. Sed alphi sunt inungendi medicamento magis liquido, crassiore verò scabies, lepra denique crassissimo. Dracunculi radix cum aceto illita alphos sanat: vtrunq; veratrũ idem facit: lupinorum quoq; amarorum decoctum perfusum, eorumq; farina ex aceto, aut melle illita: radicum capparis cortex cum aceto: lilij radix cum melle: cepa cum aceto in sole illita: crocodili terrestri fimus: Simili quoq; modo sturnorũ, cùm oryzam solam comederint: sepiæ testa concremata. Ad scabiem verò facit vua taminia, vterque elleborus: lupini amari, vt suprà dictum est: cardamomũ cum aceto, lilij radix cum melle, resina terebinthina & sulfur: cuius nos fecimus periculum: cicer, stercus caprinum. Lepras verò expellunt ambo anemonæ impositæ, vtrunque veratrum, & albæ vitis radix.

De *impetigine*. Cap. LIX.

CVM sanies tenuis, acrisq; humori crasso cõmiscetur, tum impetigines excitantur, quæ facilè in scabiem, & lepram transeunt. quamobrem medicamenta postulant, quæ valenter exiccent. ergo quibus nihil affertur auxilij ab ijs medicamentis quæ mediocriter siccant, & exacerbantur ab ijs, quæ siccant vehementer, eas impetigines ἀγρίας, id est, feras vocãt. Vtendum igitur in ijs est medicamentis quę abundè sint efficacia, nec tamen vehementer erodant. Cicer autem ad impetigines facit, & vtrunq; veratrũ, pru-

norum gummi in puerisprodeſt,lichen in petris naſcens,pix cerato mixta,ſulfur cum reſina,quod probatũ fuit: hominis ſaliua in pueris apta eſt.ſed cutis affecta debet digito ſaliua intincto continenter confricari. Valet quoq; crocodili terreſtris fimus, itẽq; ſturnorum,cùm ſolùm orizam paſcuntur. Ad impetiginem verò recentem, quæ mentum, aut aliam faciei partem obſident,multa tritici grana capiuntur, & incudi cuidam ignitę imponuntur,humorq; inde emanans adhuc calidus ſumitur,atque eo impetigines inunguntur: quo ſolo remedio pleriq; ſanati ſunt. aut maluæ agreſtis fructum tenerum collige,cõtundeq;,& ſuccũ exprime, & ſerua.hoc impetigines aſſiduè illine. Ad inueteratas impetigines vtitor his, quæ ſuhijciam: viticis ergo folia contunde, parum aceti adde,atque illine. aut capparis folia trita ex aceto ſuperda.

Paſtillus ad impetigines. Cap. LX.

CApit autem paſtillus ad impetigines accommodatus glutinis figulini drachmas IIII. thuris drachmas II. aceti heminę dimidium(in quibuſdam verò codicibus ſcriptum eſt,pares portiones.) aceto ſoluta illinuntur.

De *inflatione.* Cap. LXI.

SPiritus flatuoſus,craſſusq; & vaporoſus eſt materies inflationum. ſed cauſa etiam adiuuans earum eſt corporis denſitas,vt ſpiritus nõ expiretur. Quocirca curationis conſiliũ eò totum dirigitur,vt denſata rarefaciamus, & ſpiritum craſſum attenuemus. id quod medicamentis, quæ tenuium partium ſint, efficietur. At ſi muſculi ex contuſione inflati ſint,digerere neceſſe eſt.ſed cùm ea quæ digerũt,plerunq; ſint acria,ex eorum vſu muſculos indignari contingit,

git,eorũq; dolores intendi.ergo leniẽtia ſunt digerentib.admiſcenda.In hac aũt muſculorũ affectione lenit & decoctũ.&ipſum hyſſopũ cum exiguo oleo: digerũtverò acetũ,& lixiuiũ ſtillatitiũ.Ergo in principio vtendũ eſt decocto cum olei atq;itemvini portiuncula: quod calidum lanis ſuccidis excipiatur: cumq; particula refrigeranda non ſit,curandum eſt, vt calor perpetuò conſeruetur.Vbi æger lenitus ſit, acetum,nitrumq;,deinde verò lixiuium ſtillatitium miſcebitur.poſtremò digerentia medicamenta ſunt adhibenda, vt inflatio ſubſidat: quale eſt hoc quod deinceps deſcribá. Sordes è gymnaſio feruefacias, ac primùm percolato, vt mundæ fiant:& rurſus in lebetem conijcias, calcemq; viuam tritam,vr farinam inſpergas,donec luti fiat ſpiſsitudo,atq; vtitor.

Ad elephantiam. Cap. LXII.

MIrabile auxilium affert ijs,quæ elephantiaſin patiũtur eſus viperarum:quas qui edere velit, ad hunc modum parabit: Primùm enim caput & caudam ad quatuor vſque digitos abſcindet,interioraq; omnia abijciet,& cutim auferet:corpus verò aqua perluet, deinde in ſartagine non ſecus quàm anguillas,ex albo iure condiet. Ius album fit aqua copioſa impoſita,exiguoq; oleo & porro & anetho addito:planum enim eſt carnes viperarum eò vſq; coquendas eſſe, dum planè teneræ reddantur. Eſt etiam accómodatum id medicamentum, quod ex viperis conficitur, quod theriacen nominant: id enim copioſe bibere æger debet.ac ſi cui cordi ſit,cutim eodem inungat. qui hæc omnia faciunt,quandoq; eis euenit,vt ſquama ex cuti excidat, qualem in ſerpentibus ſenectam appellamus. Ad hunc etiam morbũ vtimur ſale theriaco,& nepita.ſed hoc prodeſt, non ſolùm quia te-

tenues humores egregiè digerit, sed etiam quia saniem attenuat, & crassos humores, ex quibus elephas oritur, incidit, & secat: non tamen absolutè in quibusuis hominibus ab his remedijs incipiendum est: prius em̃ omnino purgamus, & quandoq; etiam incidenda vena est.

De uenenis, & de ijs, quæ uirus iaculantur. Cap. LXIII.

DE venenis neque tutum est indefinitè scribere, neque memoriæ literarum cómendare omnes curationes, neq; nocumenta, quæ quisq; ex eis nasci dicit: siquidē qui hæc doceat, causam scelestis præbebit, vt multa mala faciat. At quæ cōmuniter auxiliari creduntur ijs, qui medicamentum mortiferum biberunt, ea scribere me operæprecium puto. Itaq; iubendum est ijs, qui medicamentū sumpserunt, vt statim sine vlla mora iniecta plurimum olei cum aqua continenter bibant: postea ciborū omne genus dandum vsq; ad satietatem, & vomitus imperandus: ita enim vel medicamentum simul eijcietur, vel superatum à reliqua multitudine, hebetiorē vim habebit. Si venter post vomitum aduratur, hydrorosaceum potui dabis, & iterum vomitū imperabis. dato etiam theriacam ex vino, quę sola potest venenis resistere. Si ea tibi non suppetat, baccas iuniperi nouem, rutæ folia viginti tere, & ad bibendum propina. dato chamæpityn herbam cum vino. cæteroqui à vino abstinendus omnino æger est. extremæ partes interim contrectandæ sunt. Si verò descendisse venenum videatur, quod ventrem inferiorē morsu vexet, atq; irritet, clysteribus acribus erit vtendum: in quibus sit mel copiosum, & aphronitrum, aut aliquid aliud eorum, quæ aluum magis subducunt.

Com-

Commune remediũ ad omnia lethalia medicamenta. Cap. LXIIII.

CApit hoc remedium galbani denarios quatuor, myrrhæ denarium. Tere,& vino dulci dilue,ac potui da. Aliud. Rutæ folia viginti, iuglandes regiæ duæ,ſalis grumus, caricæ duæ comedendæ offerantur.quibus qui veſcatur,ei nullum lethiferũ medicamentum nocebit. Huc facit etiam origanum, quod cum gallina decoquatur, donec flaccida ſit reddita, cuius iuſculo vtendum eſt. itemq; opobalſamũ cum lacte muliebri,aut aqua datum.

Ad eos,qui à fungis ſtrangulati ſunt. Caput LXV.

QVI à fungis ſtrangulati ſunt,adiuuãtur oxymelite cum nitro epoto.gallinarum domeſticarum ouã cum oxymelite: eaq; dantur trita ex aqua. radiculæ quamplurimæ toſtæ ad comedendum exhibentur. aut vini ſęcẽ cõbure,& tere,& ex aqua potui dato.

Ad eos,in quibus lac congulatum eſt. Cap. LXVI.

HOS curabis, ſi acetum potui dabis, aut paſſum, multum coaguli cum aqua fontana. aut ſilphiũ & ſulfur paribus portionibus tere,& ex poſca bibendum præbeto.

De *hirudinibus. Cap.* LXVII.

QVI hirudines deuorarint, ijs acetum quamacerrimũ potandum dabis,aut muriã.ſed ijs etiam vtendum eſt,quę aluum ſoluunt:ſiquidem hirudines vnà cum excrementis exire per anum conſueuerunt. Ad eas valet anagallidis ſuccus epotus. & thymum tritum cum aceto acri in potu ſumptum. at nos allium comedendo hirudines ęijciẽtes,nullius eorum,quę

modò dicta sunt, indigemus.

Ad ictus uespparum, atque apum.

Caput LXVIII.

MAluæ folia tere, & ictis à vespis, aut apibus impone. aut sesami folia, aut ipsum sesamum illine.

De scolopendra. Cap. LXIX.

MVria acri fouendus locus est, qui à scolopendra ictus sit. aut cinerem cum aceto eidem impones.

De mure araneo. Cap. LXX.

AD plagâ verò, quam mus araneus attulit, allium cum membranulis suis terito, & cuminum pari pondere ex oleo dilue, & plagam obline, & loca adiacentia inunge. Si verò cutis rupta sit, vlcusq; extet, muria erit perfundendum: & hordeum vstum vlceri imponendum: sed vlcus non rūpetur, nisi mus araneus qui morsum inflixit, prægnans sit.

De ijs, quos homo, canis, & simia mò-mordit. Cap. LXXI.

SPongiam aceto imbutam impone: aut fœniculi radicem contunde, & cum melle admoue: aut irin Illyricam cum melle: aut ficū, aut amygdalas amaras tere, & superda: aut salem, aut lithargyrum læuigabis, & applicabis. Ad ea verò, quæ iam suppurata sunt, erūum læuigatum cum melle facit: ad feruida verò lithargyrum tritum ex aqua inunge.

Ad rabiosi canis morsum. Cap. LXXII.

CAncros viuos in patella æris rubri impositos vre vsquedum ad leuorē facilè redigantur. Vrendi autem sunt post canis exortum, cùm Sol in leonē transiuit, Lunaque est decimaoctaua: & medicamentum conficiendum. In cancrorum autem partes decem, gentianæ quinque, & thuris pars vna conijciuntur.

datur

datur hoc potui ijs, quos rabiosus canis momordit, vsque ad quadraginta dies quotidie ad mensurã cochlearij magni aquæ insperſum. Si verò post aliquot dies curandũ susceperis eum, qui morsus fuerit, duo cochlearia dato. ipsi autem vulneri applica medicamentum, quod capit picis brutię libram vnam, aceti acerrimi sextarium vnum Italicum, opopanacis vncias tres. his qui vtetur, is semper à cane rabido morsos seruabit. Cæterũ nepita arida ad morsus animalium venena iaculantiũ valet, cùm facilè eximis partibus corporis omnem circumiacentem humiditatem ad se trahat. Iam betonica vlceribus illita cunctis bestiarum morsibus medetur. Simili quoq; modo super linteo vlceri appositа. in potu verò iuuat agrestis rutæ semen: coagulum nouelli leporis: betæ radicis succus: quæ cum vino sumenda sunt.

Quomodo uiperæ citra periculum capi possint. Cap. LXXIII.

SI quis manus suas radicis dracõtij succo inungat, is viperas capiet, nec molestiá vllã sentiet. Sed quor sum hæc ad te scribimus, qui & theriacæ ex viperis cõfectę periculum feciſti, & nosti etiam ab ea statim iuuari eos, qui bestiæ virus eiaculantes, & venenum relinquentes momorderint. Theriacæ tamen debet optimè parata esse, summaque diligentia, & magno vsu, exquisitaq; experiẽtia confecta: eaq; quæ imponuntur, propria vi, suaq; virtute prędita esse, vt neq; propter ætatem, neque propter sexum sint imbecillia: qualis esse solet quædam theriace, quæ à plerisq; per solam experientiam conficitur, & venditur, solumq; aureæ nomen habet, cæterùm ab antedicta actione longè abest: quorum alterum ex ignoratione contingit, alterum verò ex eo, quòd multa simplicia

medicamenta,quæ magni æstimantur,in eam indun tur. Sed tu non ignorabis quæ nam sit optima theriaca,neq; item cæteri,qui tui similes medicinę studio tenętur:semper enim à nobis, & ab ijs,qui æquè ac nos eam conficiunt,accipietis.quæ res fecit,vt ejus confectionem hoc loco non esse describendam censuerim.cùm difficillimũ esse intelligam, optimã eius apparandæ rationem exponere:atq; adeò,vt ne medici quidem ad hunc experientiæ gradũ peruenire posse videantur.

LIBRI TERTII
FINIS.

ORIBASII AD EVNAPIVM LIBER IIII.



VM morborũ pertractatio finem sit cõsecuta, tempus iam est, vt locorum affectorum curationes exequamur. itaq; à capitis affectionibus initium dicendi sumemus.

De *capitis doloribus, atq; inflammatione. Cap. I.*

CApitis dolores, qui ex æstu oriuntur, curantur, si totum sinciput rosaceo salis experte inungas. qua in re cauere debes, ne posteriorem partem capitis, quę ad occiput est, cõtingas: cùm caput ea parte non facilè exuratur: cumq; inde ortum ducat spinalis medulla, aliqua noxa sit consecutura. Si rosaceum tibi non sit ad manus, omphacino vti poteris. In pueris autem mulieribusq;, & ijs, quorum mollis caro est, chamæmelinum erit idoneum. Vbi autem refrigeratione, non tamen vehementi, opus est, hæc refrigeranda sunt, tum adhibenda. id quod faciemus, si in aqua gelida vas statuamus, aut in niue, si nix adsit. Sed si hęc nobis nõ suppetãt, oleo rosaceo addenda erit aceti quarta pars. Si caput vehemẽti æstu conflictetur, admiscebis succũ semperuiui, aut portulacæ, aut lactucę, aut psyllij, aut acrestã ex immaturis vuis expressam. itemque id, quod ex cucurbitæ ramentis expresseris. Dolores autẽ, quos frigus excitauit, curabis sinciput oleo rutaceo, aut laurino perfundẽs. Si maiore calore opus sit, modicum euphorbij oleo adijcies, caputque nardino vnguento ex amaracino oblines, ac frontem, nariumq; & aurium meatus aliquo calefaciente inunges. Sunt qui plantam quoq;

pedum, & anum inungant. at vbi capitis dolor ex calida frigidáue intẽperie inueterarit, caput radendum eſt, ijsq; quæ diximus, & item emplaſtris & ceratis vtendum ita, vt calidas intemperies refrigeremus ijs, quæ ad eryſipelata curanda valent: frigidas refrigeremus calefacientibus medicamentis, quale eſt ſimplex, quod ex euphorbio cõficitur, in quo eſt vna euphorbij vncia, ceræ vnciæ tres, & olei lib. vna. Dolorem verò capitis ex acri humore in ore ſtomachi collecto, & vapores ad caput mittente curabis euacuatione, quam vomitib. facies, vt moleſtus humor educaẽ. Si euomere æger nõ poſsit, ſtatim alendus eſt alimẽto, quod facilè concoquaẽ, idoneumq; ſtomacho ſit. & ad moderatã quantitatem. Sequenti die abſinthium potui dandum, & deinde victus rationem ita inſtituere, vt diligenter obeat cõcoctionem. tertia verò quartáue hora tantum panis offerendum eſt. quantùm ſatis ſit, vt vſque ad balnei horam ferat. Si verò quis panem per ſe non queat edere, ei oliuas, aut uuas, aut palmulas, aut aliquid tale dabis: è quorum numero id eliges, quod melius eſſe experientia didiceris. Peſsima autẽ affectio eſt, cùm vitioſi humores in ventriculi tunicis ſunt infarcti, quos picra ex aloë euacuare opus eſt. At ſi calor vnà cum ſpiritu flatuoſo dolorem capitis crearit, in principio repellemus ſolũ vſu refrigerantiũ: deinde verò repellentibus lenientia, & concoquentia medicamenta admiſcebimus: tum aliquid digerens atq; attenuans addemus repellentium vim paulatim diminuẽtes ita, vt plurimũ ſit quod attenuat, digeratq;: parum verò quod leniat, & cõcoquat: pauciſsimum deniq; quod repellat. ſæpenumero enim fit in meatibus conſtipatio ſpiritus flatuoſi, vel etiam craſſorum, glutinoſorumq; ſuccorũ: eaq; tanta eſt, vt vix lon-

longo temporis spatio illi obex ibi interiectus dissoluatur. Si ex febris vehementia caput doleat, neq; crisin ostendat, ei medeberis si admoueas quorum qualitas, facultasq; refrigerans est: quale est oleum, & oxyrhodinum, & capita papaueris oleo incocta. Qui ex nimio vini potu caput dolent, refrigerantib. curandi sunt: vapores enim qui caput molestia afficiunt, sunt calidi. itaque rosaceū non admodum frigidum admotū satis est. sed & quies, & somnus prosunt. Vesperi autem lauandi sunt, & cibis boni succi, ac non calefacientibus alendi. huiusmodi sunt cremor ptissanæ, sorbitio ex alica, oua sorbilia sine garo, lactuca, quæ refrigerat, & optimi succi est. & brassica, siquidem ea vapores siccat: simili quoq; modo lens. potus verò esto aqua omnino. Si stomachus subuertatur, malum punicum sumatur, itemq; pomum coctum, aut pirum. Somnus postea imperandus est. à somno lauandus æger est aqua calida diu perfusa. atq; iterum dormiendū, aut quiescendum, & secundò lauandum, & eodem modo cibus offerendus. Si verò meliusculus esse ægrotus incipiat, neque aquæ potum ferre queat, iube vt vinum aquosum dilutius bibat, vescaturq; piscibus saxatilibus, & quorū mollis caro est: itemque pullis columbinis sine garo coctis: bibat verò vinum, & ius simplex ex aqua solùm, & anetho, & parua porri portione confectum, cui etiam post coctionem quæ satis sit, modicum salis sit impositum. Si quæ reliquiæ vaporum, aut humorum permanserint, perseueretq; constipatio, & dolor, rosaceum nō erit præterea dandum, sed chamæmelino modicè calido vtendum, deinde verò irino. postea verò his miscendum modò amaracinum, modò verò nardinum. In ijs autem qui ex plaga, aut casu dolore capitis vexantur, scire oportet, nihil ab inflam-

matione differre. Siq; intra caluariam inflammatio pertingat, is capitis dolor non vacans periculo iudicabitur. Ergo curationis initium à venæ sectione & clysteribus sumendum est: fotusq; ex spongia adhibendi, & carptus ex lana molli, qui oleo calido imbuti sint, imponendi: & cętera facienda erũt omnia, quæcunq; ad inflãmationes fiunt. Ad puerorum verò adustiones, quæ siriases dicuntur, vtiliter syncipiti imponuntur cucurbitæ ramenta: aut cucumeris qui pepo est, cutis quæ carni adiacet: aut succus foliorum solani hortensis cum rosaceo.

De cephalæa. Cap. II.

INueteratum verò, ac solutu difficilem capitis dolorem, quique paruis de causis exacerbetur, vt æger neque sonum, neq; vocem altiorem, neq; vehementiorem splendorem ferre queat, cephalæam nominant. Videndũ autem est, vtrum ex plenitudine, an ex obstructione, an verò ex inflammatione oriatur: nam dolores aggrauantes, multitudinem indicant: erodentes vaporum aut humorum acrimoniam: pulsantes, inflammationẽ corporis membranosi: si grauitas etiam adsit, multitudinẽ intra membranas contentam. Si igitur copia vaporum, aut humorũ in causa sit doloris, si ob totius corporis expletionẽ eueniat, totum corpus euacuando cephalęam curabis: si ex imbecillitate illius partis lenienda pars est, & materia in totum corpus reuellenda, itaq; affectæ particulæ remedium affers. reuelles autem clysteribus, deligationibus, & inferiorũ partium frequentibus frictionibus. quandoq; etiam sanguinis detractione euacuabis. parti verò ipsi medeberis, cùm reuellentibus vsus fueris, si perfusionibus, in quibus repellendi vis sit, vtaris: postea verò euacuãtibus, tum roboran-

borantibus. Repellit autem oleum omphacinum,& rosaceum,& oxyrhodinũ, & quod ex papaueris capitibus,quodq; ex germinibus oleaginis teneris, & item quod ex hederæ corymbis mentaq; viridi conficitur. Cumq; plenitudo frigidior,crudiorque sit, hæc tepida imponenda sunt: at cùm illa sit calidior, ac biliosior,hæc frigida adhibenda. vim autem digerendi habet oleum calidũ, & magis quod vetus est, & item anethinum,& sicyonium.Si multitudo crassior sit,spondyliũ,aut serpillum,aut pulegij comam, aut nepitam,aut mentam incoquens euacuabis:hæc enim præter quàm quòd multitudinẽ euacuant, robur etiam particulæ afferunt. quocirca eis ad perfectam vsq; sanationẽ vti conuenit. si verò etiam vsus postulabit, purgatio quoque per nares, & sternutamenta obiri poterit.atq; etiam in balneis fricari caput linteis asperis expediet,& salem cum nitro ac sinapi sine oleo superaspergere.

De *hemicrania.* Cap. III.

NOnnulli sunt,quibus dimidiũ capitis dolet.idq; oritur vel ex vaporum,vel ex humorum,vel ex vtrorumq; influxu.In primis ergo aut purgandi sunt,aut mittendus sanguis.tum remedijs localibus vtendũ. fricare quoq; ex linteis, aut digitis manus opus est dimidiũ frontis,præsertim verò quà musculus temporis est,idq; ante horam accessionis. Post accessionem verò medicamenta adhibenda,quę hemicranica nominantur. Siq; in dolore caloris sensus appareat,ijs,in quibus refrigerans aliquid insit:sin secus, ijs, quæ abnndè calefaciant. vtrisq; verò aliquid ex ijs quæ robur addunt,misceatur,quòd facultatẽ adstringendi habeat.Optimum autem vnguen calefaciens est id, quod recipit euphorbij vnciam vnam,

ceræ vncias tres, & olei alicuius tenuium partiũ libram vnã. hoc vnguine media pars frontis cum temporis musculo inungenda est: hoc enim ad frigidas affectiones est accõmodatissimum, vtpote quod vel semel in balneo illitum dolorem omnem sæpenumero abstulerit. Iuuat ita affectos oleum, in quo parum euphorbij iniectum sit, in aures instillatum: satis erit si in olei libram, euphorbij vnciæ dimidium injicias.

Ad eos, qui caput mobile habent.

Caput IIII.

QVI caput mouent, si stœchadem ex aqua, aut ex hydromelite bibant, sanescent.

De *alopecia, & ophiasi.* *Cap.* V.

CVM alopecia, & ophiasis cõmunẽ originis causam habeant, cõmuni quoq; medendi ratione curantur. atque ophiasis quidem nominatur affectio, quia serpentis, quem ὄφιν vocant, speciem, figuramq; repræsentet: alopecia verò inde nomen inuenit, quòd vulpes, quæ ἀλώπηξ dicitur, hoc malo sæpe corripiatur. Oritur autẽ plerunq; ex vitiosis humoribus capite cõtentis: sed malitiæ speciem ipse capitis color indicat: quippe albidior pituitosum, nigrior melancholicum humorem, pallidior flauam bilim arguit. Ea ergo humorum malitia inanienda est vel catapotijs ex aloë, & colocynthide, vel hiera, cuius suprà feci mentionem: si melancholicus humor redundet, elleborum nigrum ei miscebis: si amara bilis, scammoneam. si pituita, nihil admiscebimus, sed totum corpus euacuabimus, tum caput apophlegmatismis inaniemus, & auxilia, quæ malitiam humorum probè discutiant, quæ sint etiam tenuis substantiæ, imponemus. Si verò remedia cum discutiente facultate

te vim etiã habeant ſanguinis extrahendi, vt eſt thapſia, erunt prętantiſsima. ergo caput radendum eſt, tum fricandũ. mox vbi frictione vſus fueris, diligenter cutim conſidera: ſi enim poſt breuem frictionem pars rubeſcat, tum affectionem facilè ſanabilem puta. Si verò poſt adhibitum medicamentũ hoc fiat, caue ne cutis plus quàm eſt, ex vehemẽtia medicamenti ſit excalefacta. idq; nobis perſpicuum facit cutis, quæ magis flaua videatur: eſt enim periculum, ne ſi ſæpius eo medicamento vtamur, cutis exuratur. Ergo neceſſe eſt vel ad aliud tranſire, vel ſi eo vti velimus, eius imminuenda vis erit cerati, aut adipis admixtione. Cęterùm hęc omnia remedia in aere calido, in ſole, cùm ventus nullus flat, adhibeantur: ſi hyems ſit, in balneo. Iam verò omnib. remedijs, quæ ad has affectiones ſunt accommodata, calidius euphorbium eſt, deinde thapſia, tum ſinapis, & naſturtiũ. Alio verò modo limnitis eſt nullo inferior, deinde adarcium, tum ſulfur, vernicarium, & vtrunq; veratrum, & erucę ſemen, & oleum laurinum, & vtraq; alcyonia cõbuſta, & arundinis radix, & cortex combuſti. pix quoq;, & cedria, & ſtercus muris, & adeps anſerinus, & amygdalæ amaræ totæ vſtæ. cùm vſus verò poſtulabit, potentioribus, liquidum ceratum, imbecillioribus verò oleum laurinum, aut picem liquidam admiſcebis. Ex his autẽ affectionibus inueteratas & ſanatu difficiles potẽtioribus, incipientes verò, & facilè medicabiles imbecillioribus remedijs curabis.

De *capillis fluentibus.* Cap. VI.

CApilli fluunt vbi cutis rarefacta eſt, & alimẽtum, quo nutriuntur, ad eos non accedit. Curationis ergo conſilium eò dirigitur, vt ſanguis extrahatur, &

cutis laxa paulatim denſetur,& quibuſdam medicamentis cóſtringatur. huiuſmodi ſunt ladanum,atq; oleum lentiſcinum,quę per ſe faciunt:vtrunq; enim vim habet attrahendi & cogendi,vt nullum præſtantius ad fluentes capillos medicamẽtum quùm quod ex ladano,oleoq; lentiſcino conſtat,excogitari poſſe videatur. Perſpicuũ autẽ eſt abraſis crinibus ſpiſſius medicamentum imponendum eſſe, tonſis verò, liquidius.Si verò abundè crines decidant,maioréq; raritatem ſubeſſe exiſtimemus,vtile erit pro lentiſcino myrteum oleum ladano admiſcere. vtiliter quoque nardinum vnguentum quandoq; addetur, vt in frigida ætate,& hyberno tempore. Antequàm verò caput medicamento oblinas,fricandum eſt.ſæpenumero autem capilli ex ægritudine defluunt: in quo caſu victus ratio adhibenda eſt, quæ vires reficiat. quæ quidem pleroſq; ſine vſu medicamentorũ planè curauit.Quandoq; etiam pili ſine ægritudine cadunt,ad quorum curationem vtimur ijs,quæ præpoſuimus: aut ſambucum combure,ceratoq; admiſce, & vtitor: id enim augebit, denſabitq; comam,vt ne amplius decidat.Vel melanthiũ combure,cum aqua tere,& vbi volueris pilos naſci, ibi inunge: maximè verò in ſupercilijs,aut palpebris.Si verò propter loca ambuſta pili ceciderint, folia ficulna vſta & trita, atque illita erunt ad pilorum ortum accómodata.

Ad ea,quæ capillos corrumpunt,eoſq; pulchros faciunt. Cap.VII.

TRes ſunt eorum,quæ capillos vitiant,differẽtiæ: quæ pilos euellunt, quæ attenuant, quæ denique omnino eos auferũt.Sed horum vſus periculoſus eſt: quia ſæpe non ſolùm inunctas partes pilis nudant, faciuntq; vt reliquum tempus glabræ maneant, ſed etiam

etiam in causa sunt, vt totũ corpus nudum pilis reddatur, itaq; perseueret. aliorum duorum vsus est tutus. Ergo ex ijs quæ partes glabras tutò faciunt, vtile est lixiuium stillatitium, itemq; arsenicum, sandaracha, & calx viua. aliquid autem eorum quæ vehementer vlcerant, alicui imbecilliori miscendum est. Quæ verò pilos attenuant, ea abstergentem vim habent. inter quę mediocria sunt hordeum, fabarum & erui farina, aphronitrũ, nitrumq;. Valentia verò quę magnos, durosq; pilos attenuant, sunt nitrum combustũ, testa fictiliũ, clibanorumq;, pumex non vstus, & ignem expertus, testa buccinarum, purpurarũ, & aliorum ostreorum concremata, & sepiæ testa etiam non combusta: alcyonia, veratrũ, & bryoniæ radix. Si quis hæc facere odorata voluerit, cyperum, & melilotum, & rosas siccas, & amomum, & iunci odorati flores addat, vrticæ agrestis semen tere, oleo abdito perfricabis, & pili decident. Melle crudo obline quę volueris locum in modum dropacis, & pili non amplius prodibũt. Psilothrum verò hoc modo fit: Calcis viuæ læuigato partes duas, auripigmenti partem vnam: hæc in pilam plumbeam conijcito, & aquam, aut ptissanæ cremorem affundens tere: cumq; nigra fient, calefacito, & illinito. Oryzam, aut fabas expurgatas, aut ptissanam aqua incoquito, hacq; pro aqua vtitor, tum auripigmentum, & calcem viuam admisceto, & coquito psilothrum, vt mos est: deinde verò ei adde myrrhæ vnciam vnam, mastiches vnciam vnam, pumicis crudi vnciæ dimidium, atq; vtitor.

Vt *cani non nascantur.* Cap. VIII.

FAcies autem ne cani exoriantur, si cucurbitã agrestem capias, eam pertundas, & interna diligẽter purges: tum oleo laurino impleas, addasq; hyosciamũ,

& auripigmentũ non trita, & vnum diem ita dimittas: denique semel in anno vtiliter vngas in pueris, & pulchros, densosq; capillos gignent. Nucis cortex vstus, tritusq; ex vino illinitur. loti arboris folia cum cameli stercore misce, & cum oleo obline: flauos enim crines faciet. lupinorum cortices cum nitro per dies decem macerato, tum crines eo abstergeto. decoctũ scobis loti arboris ad idem valet. Nigros capillos faciunt detergendo hæc: dilutum gallarum, atramenti sutorij, & malicorij, ladanum cum myrteo vnguine. serius id facit oleum ex oliua agresti, quotidie illitum. & magis etiam myrtinum infusum. facit autem vt serius pili in locis consuetis nascantur lachryma vitis cum oleo inuncta: & humor emanans è viridi sarmẽto, quod comburatur. itemq; fabacea farina illita.

De *porrigine*. Cap. IX.

PORrigo ex vitiatis oritur humoribus. nostrum ergo consilium esse debet, vt abstergentibus, digerentibusq; medicamentis eos absumamus: corpore tamen prius expurgato, si mali succi sunt plenum. Sed quidam cùm caput roborare vellent, antedictis aliquid eorum, quæ adstringunt, admiscuerunt.

Ad *porriginem*. Cap. X.

FVrfurum sextarium medium in duabus aquæ heminis macerato, deinde confricabis, per colum traijcies, succumq; coques cum aceti media hemina ad vini spissitudinẽ, eoq; caput illines: postea caput aqua lauabis, in qua beta, aut fœnum græcum, aut lupini cocti sint. Pro vnguine autem irini vnguenti fæcibus vtitor. Sed hoc vt accõmodatiore, efficaciореq; vtendum est, quod habet terræ Cimoliæ, sulfuris ignem non experti pares portiones, quæ tritæ ex aceto,

aceto in balneo illinuntur: tum aqua calida abluuntur. sed hoc non solùm in balneo, verùm etiam alibi vti poteris, cùm omnes habeat vires, quibus ad affectionē depellendam opus est: lithargyri, rutæ, olei, aceti quartam partem heminę tere, & caput illine. id enim fuit nobis experimento satis comprobatum.

De pediculis. Cap. XI.

SAEpenumero pediculorū copia in profunda capitis cute generatur, cùm superuacanei, modiceq; calidi humores subsistunt. ergo medicamēta siccantia, quæq; vacuare, & trahere apta sunt, adhibere oportet. cedria pediculos & lendes interimit. Idem facit hederæ lacryma. & vuæ taminiæ partes duæ, sandarachæ & nitri vtriusq; pars vna, ex aceto, atque oleo caput vngito. aut oxylapathi radices eodem modo in oleo. & veratrū album: aut staphidis agria & nitro ad pares portiones in balneo vtitor: aut marina, aut muria pura cum aceto caput perfundito.

Ad ulcera capitis manantia, quæ achores dicuntur, & ad fauos. Cap. XII.

QVI achor nominatur, in cute capitis cōsistit, tenuiaq; habet foramina, per quæ tenuis modiceq; visciosa sanies effluit. Huic similis affectio est ea, quæ fauus appellatur. maiora tamē habet foramina, quibus humor melli similis continetur. eò igitur dirigere consiliū oportet, vt humores, à quibus oritur, euacuemus: quiq; adhuc eò fluunt, capitis totiusq; corporis euacuatione prohibeamus, vt in alopecia dictum est nobis. Cùm verò parua affectio est, sæpe remedia foris adhibita sufficiūt. huiusmodi sunt quę crasitiem humoris secant, & digerūt. Nonnulla autem medicamenta, cùm nullum excrementū in toto corpore est, achores incipientes curāt: eaq; adstrin-

gendi, & repellendi vim habent, vt myrtus, eiusque bacca, & pineus cortex: nonnulla verò ijs auxiliantur quæ in superficie sunt, & mediocres, eaq; digerunt, abstergentque sine calore, qui sensum moueat, nec quicquá habent, quod irritet. talis est beta, & plumbum vstum. Nonnulla verò ita vehementem vim habent, vt valde crassos, glutinososq; humores, à quibus originem ducunt achores, euacuare, & quamuis iam obduruerint, dissoluere possint. huius generis est chalcitis, & vini fæx, & calx viua. acetum verò in omni tempore ad achoras vtile est vel maximè, siquidem incidit, digerit, ac repellit. debet autem iste esse exquisitè acre, neque vllam habere vini qualitatem. huic adiungens aliquid metallicum, achores curabis. Sed initium ab imbecillioribus ducere conuenit, ac maximè cùm dolor eos comitat. Hanc ad rem vtile est Creticũ, terra Samia, pompholyx, spodium & lithargyrus. si hæc non agat, impone medicamentum siccum ex charta aceto dilutum. Si id medicamentum quod ex charta conficitur, tibi non suppetat, chartam per se combures, aceto imbues, & veteris in ijs, qui dura carne sunt. Si achor inflammationis sensum inuehat, aut ei dolor sit coniunctus, planum est eum sedandum in primis esse. idq; concoquente, molliente, & liquido & morsus experte medicamento, quale est id, quod ad sedis inflammationem dolo remq; pertinet.

De *oculorum turbatione*. Cap. XIII.

OCulorum turbationes ex fumo, aut æstu, aut puluere exortas, aut quod defixis oculis splendorẽ aduersum quispiam intuitus sit, facilè sedabis, si iubebis, vt à fumo æger discedat, caputq; operiat, ne à sole attingatur, atq; in vmbram vadat. Cæterùm ab oculis

culis puluerem abluat primùm quidem aqua tepida & dulci, deinde verò etiam frigida. à splendore verò auertat oculos, tum oculis valde conniueat: ita enim turba omnis sedabitur, nec re vlla erit præterea opus. sed cibus erit parcior, potus verò propter æstum, largior. Si verò somnus arctior profundior irrepat, lippitudo, quæ subesse videbatur, concoquetur. quam ob rem non erit à balneis abstinendũ, sed diligentior victus ratio instituenda erit. Si lippitudo aliqua incipiat, quies imperanda est, palpebræq; aliquo medicaměto ex rosis, aut croco inungendæ: pleriq; enim non sunt horum remediorum indigentes. lemas verò in oculis, & agglutinationes, quę per noctẽ fiunt, purgat, remittitq; rectè tum posca, tum aqua frigida per se. & aliquid siccum, quod ex oculis leniter lachrymas excutiat. sed ventris etiam subductio eosdem iuuat.

Ad inflammationem, doloremq; oculorum. Cap. XIIII.

CVM inflãmatio & dolor oculos obsideãt, si medicus adsit, facito vt ipse medeatur: si non sit, tu ea quæ possis facito, vsquedum medicus accedat, ne quid difficilius contingat. Ergo à cibis ægrum abstinebis, eiq; quietem imperabis: dabisq; operam vt lucem vitet: atque ne sonis, aut aliquo alio motu dolores intendantur. tum pedes contrectabis, & extremas partes quandoque vinculis excipies: hæc enim dolorem leniunt. Porrò ad inflammationes faciunt violæ folia imposita, & muliebre lac recẽs cum ouo & rosaceo foris admotum.

Ad oculorum fluxionem. Cap. XV.

SI fluxio oculum infestum habeat, medicamentum agglutinãs fronti superdabitur. Ergo thus tritum &

triticeam farinam oui candido excipias, atque adhibebis. prodest autem caput tenere in sublime elatum, & quiescere, & extrema deligare. At si fluxio salsa, & acris sit, erit reddenda dulcis infundendo lac, & oui candidum. lenias autem leniter, molliquè spongia auferuntur. Si magnus defluxionis impetus sit cum dolore coniunctus, cataplasma hoc imponito, quod habet rosarum siccarum drachmas quatuor, croci drachmam vnam. excipiuntur dulci meliloti decocto.

De *senum hebetudine.* Cap. XVI.

HEbetudines, quibus senes corripi solent, frictionibus, gestationibus sedabis: itemque moderata victus ratione, vsuq; acrium, & caput pectendo, & absinthij ante cibum, & thymi, origaniq;, & aceti scilliti potione, & oculorũ inunctione ex ijs, quæ oculorum afferre claritatem dicuntur. conueniet etiam sternutamenta quotidie ciere, gutturq; inungere, & pituitam reijcere.

De *hordeolo palpebrarum.* Cap. XVII.

HOrdeolum verò, quod in palpebris nascitur, fotu ceræ albo discuties hoc modo: cera liquata afferenda est, & specillo calida loco admouenda. sed idẽ discutit galbanum, quod ex modico nitro imponat.

De *nyctalope.* Cap. XVIII.

NYctalopes curantur, si iecur hircinum assaueris, & interim dum assatur, saniem quæ liquitur, collegeris, eaq; oculos inunxeris, & ipsum iecur comedendum dederis. præterea asininũ fimum exprime, eoq; succo oculos vnge. Dicuntur autem nyctalopes, qui per diem clarè vident, sed nocte appropinquante deterius cernunt.

Ad

Ad oculos ex plaga subcruentos.

Caput XIX.

SI oculus ex ictu subcruentus sit factus, in principio, cùm adhuc infiãmatio locum occupat, sanguis columbę calidus, aut turturis locũ expurgat. & item si foueas spongia, quę modicum salis acceperit, modò tamẽ ne tunica oblæsa sit. si enim sit læsa, ex aqua sola fouendus oculus est. benefaciet quoq; lana, quę ouo & rosaceo sit imbuta, quam leuem oculo admoueas. ſtæbes etiam folia viridia illita iuuant, & brassicæ folia impositа. Si malum inueterarit, hæmalops dicitur: ac tum quidem hyssopi coma terenda est, & in linteo panno ligata in aquam feruentẽ conijcienda, & postea oculis admouenda: sanguis enim consequetur, vt ipsum ex linteo possis exprimere. Si verò ex plaga œdema cõstiterit, fouendus locus est spongia cõtinenter, tum spongia noua aceto madens imponenda. Cùm tumor inueterarit, sinapen tritã cum aquâ appones assiduè, & auferes.

Ad pilos palpebrarum oculos irritantes

Caput XX.

QVidam pilos palpebrarũ, qui oculum infestant, vulsella euellunt, sed paulò pòst dolore ægrum excruciant, cùm plures subnascantur, & pungant. ergo prius quàm euellantur, præstat eos pilos naturalib. pilis agglutinare pice & gummi. Bene etiam erit habere paratum medicamentũ, quod habet mastichen, ceram, thus, & picem siccam. hęc autem in vnum redigenda sunt mandendo, vt diligenter ex omnibus vnum fiat: tum in pastillos conformanda sunt, & reponenda. vbi verò vsus postulabit, specillo igni candente medicamentũ excipietur ita, vt liquefiat, atq; ita pili agglutinabuntur.

Ad lippitudines ex niue. Cap. XXI.

SPecilli cuſpidē in roſas conijce, vt coloretur, eoq; oculos inungito, triticum ſuper ferro igni candente aſſatur, eoq; cum vino palpebræ inunguntur.

Ad palpebras, in quibus uel rari, uel nulli pili ſunt. Cap. XXII.

MVris fel, hirci ſtercus ad hanc rem faciunt. & defluuio quoq; palpebrarū proſunt, & pilos reducunt.

Ad ulcera oculorum. Cap. XXIII.

CRocum in muliebri lacte macerabis, ac teres, tantumq; gummi albi addes, quantùm ſatisſit ad croci conſiſtentiam. colyria confice, & vtere cum muliebri lacte inſtillando.

Ad albugines, obſcuritatē, ſuffuſionem, hebetudinem, caliginē, epicaumata, acutū aſpectum, pterygia, & albugines tingendas. Caput XXIIII.

ALbugines celeriter ſanat nitrum cum oleo læuigatum diligenter, & inunctū. eas etiam attenuat omnis anemonæ ſuccus. Obſcuritatem verò omnem & ſuffuſionem incipientem curant vulturis fellis partes duæ, ſucci marrubij, mellis Attici, ſingulorū pars vna. aut fel vrſinum cum duplo aquę. Exacuit autem aſpectū capnij ſuccus, ſiquidem non paucas lachrymas trahit. Libanotidis autem radicis & herbæ ſuccus melli admixtus omes hebetudines, quæ ex craſſo humore fiūt, curat. facit ad idem marrubij ſuccus cum melle. lactucæ agreſtis liquor facit etiam ad ſordidam oculorū exulcerationē, cui epicauma nomen eſt, cum mulieris lacte ſubunctus. Medicamentū claritatem viſui comparans. mali granati granorū ſuccum exprime, & in vas atticum conijce, ac linteo circunda:

cunda,& ad ſolem expone,donec ad mellis ſpiſsitudinem redigatur.& pari portione mel adde,& extractum in vas picatum repone,& ſerua: id enim inueteratum fit melius.Vbi dormitum iturus ſis,eo leuiter oculos inunge. atque hoc pictoribus, ſculptoribus,aurificibus,ſenioribusq; conueniet. Aliud.
Fel hyænæ Attico melli admiſce,& vtere.hoc hebetudines cohibet, & incipientes ſuffuſiones diffundit: ſed ſi inueteratum ſit,erit melius.Pterygium verò ſi magnũ ſit, ac durum iam effectum, medicina ex manuum opera petenda erit, & medicus adhibebitur. at ſi molle & paruum,curabis liquore ægyri cum duplo mellis inungẽs. Sepię teſta combuſta & ſali foſſili mixta pterygium abſumit.Albugines verò tinges, ſi mali granati dulcis carnẽ teras,paulatim aquæ modicum inſtillando,multumque læuigando,& poſtea oculos illinendo. vel alterci ſucco dies quindecim inunge:hoc enim tingit, & intra annum abolet omnino.

Ad pulchras palpebras faciendas. Cap. XXV.

IN pueris autem,& ijs qui molles ſunt carne, facit hoc,quod capit ſtibij drachmas XVI. plumbi drach. VIII. croci drachmam,florum roſarũ,myrrhæ,nardi Indici, piperis albi, thuris maſculi, ſingulorum drachmam vnam,oſſa palmularũ numero XXX. omnia in vas fictile cõijciuntur,diligẽter aſſantur,deinde in mortario teruntur, tum opobalſami cochlearia duo induntur,ſimulq; conteruntur.ea deniq; ſic cabis,atque veteris.

Ad rupta in oculo. Cap. XXVI.

LApidem hæmatitẽ in cote deteres cum lacte muliebri, eoq; per diem ſæpe oculum inunge.Aut viticis folia cum aqua & polenta tere,atque impone.

Ad palpebras craſsiores, ſubcruentas, & granorum milij plenas. Cap. XXVII.

PAlpebras inuerte, ac ſpecillo calido lęuigabis. aut folijs ficulnis & melle ſubunge: aut vinum auſterum melli admixtum illine.

Ad ſcabiem oculorum. Cap. XXVIII

PVnici dulcis, acidiq; ſuccum coque donec mellis ſpiſsitudinem acquirat, eoq; inunge.

Ad palpebras lepra affectas. Cap. XXIX.

PAlpebras verò quas lepra obſideat, ſanabit ficulnus liquor illitus. vel vtitor ſalis ſpuma.

Ad palpebras duras, & quæ difficulter mouentur. Cap. XXX.

MEdullæ vitulinę & ceræ pares portiones cum roſaceo liquabis, atque vtéris. aut terebinthinæ partes ſeptem, lithargyri partem vnam cum oleo & cera eliquato, & in pannum emplaſtri modo impoſita admoueto.

Ad ea, quæ in oculos cadunt. Cap. XXXI.

AQuā, aut lac infunde, & collino. vel melle, oleóue inunge ita, vt lachryma excutiatur. aut iube vt in aquam aſpiciat, aut in vinum. Quæ autem in oculo inſident, reſina recenti contingens auferes, idq; capillo humano potiſsimùm, aut ſi hoc non poſsis, ſuilla ſeta. quæ verò infixa inhærent, & oculum lædunt, vulſella auferenda ſunt. Quæ denique ſub palpebra deliteſcunt, euelluntur inuerſa palpebra, tum lacte locus colluitur.

Ad pediculos palpebrarum, & ciliorum. Caput XXXII.

PEdiculos palpebrarū & ciliorum curant cum mel

le,

le, aut vino ſandaracha, & vua taminia inunctæ.

Ad ægilopas, & chalazia. Cap. XXXIII.

AEgilopes, in quibus in profundo non corruptum eſt os, curant chamæmeli folia cõmanducata, & impoſita. vel ægilopis, qui in tritico naſcit, ſuccus cum triticea farina illitus. plantaginis folia cõmanſa, & illita. Vbi verò ruptus abſceſſus ſit, regiæ nucis interna pars cõmanſa imponitur, aut etiam columbæ fimus læuigatus & thuri admixtus vſquedum ad cicatricem perueniat, imponitur: in lapidem enim coit, ac permanet ibidem. Propolis verò & terebinthina cum alica teritur, & in ſplenio imponit. aut alumen ſciſile, quod plurima terebinthine exceptũ ſit. Chalazia verò digerunt groſsi cocti illiti. itemque folia ficulna.

De affectionibus aurium, de difficili auditu, & de ſurdis. Cap. XXXIIII.

HVmor quidam in meatibus auditus conſtipatus in cauſa eſt, vt difficulter homines, & nihil audiant. ergo colluere plurimis diebus oportet paribus albi aceti & aquæ portionibus, ijsq; cum nitro læuigato feruefactis: deinde verò colluere aqua calida ſola: tum infundenda erũt ea, quæ ad difficilem auditum valent, qualia ſunt hæc: nigri ellebori radicem cum aceto ac melle tere, in aures inde, ac medicamẽtum ibi ſine dies quinq;. aut cardami quod ſatis eſt, & nitri parum, eaque carne ficuum ciectis granis excipe, ac colyrium, quod meatui auditus cõueniat, facito: idq; triduũ intus habe: id enim ſordes educit abunde, & ſtatim leuabitur.

De aurium dolore. Cap. XXXV.

AVrium dolores ſi à frigore oriantur, calida ſtatim curant. Ergo cepa & allium, quę in oleo ferbuerunt,

infundenda sunt, atque ita dolores curantur, itemq; pauciſsimum euphorbij plurimo oleo mixtum: aut piper diligenter tritum. amaracinum quoque iuuat, & nardum optimũ eſt. aut rutaceũ ex oleo tenuium partium & non adſtringente factum.

De aqua, quæ auribus continetur. Cap. XXXVI.

SI aqua in meatu auditus contineatur, oleum continenter infundere conuenit. idq; colluendo, & lana molli abſtergendo, & iterum infundendo. Lenit autem moleſtiam oui candidum & tenue, & lac muliebre: quæq; adhibentur calida ſint omnia. ita affectos iuuat adeps anſerinus. Si quis autem ei pedi innixus, qui eius partis ſit, quæ patitur, ſaliat, caputq; quodãmodo decliue teneat, humor qui in aure eſt, facilè excernetur: ad ſummam verò ſi quis aurem affectam alteri præbeat, vt ore exugat, ita quoque ſugendo humor educetur, At ſiqua inflammatio adſit, nardinum vnguentũ cum exigua tetrapharmaci portione infundendũ eſt. Si magnus ſit dolor, opus erit adhibere, quę ſenſibus ſtuporẽ afferant: miſcebimus enim cum lacte muliebri & oui candido papaueris liquorem. ſed & caſtorium addemus. atque ad vehementiores quidem dolores, par pondus: ad leuiores verò, duplum. Decoctum autem eſto ſapa liquida, & cùm vti volueris, in eodem decocto leniatur, ac remittatur. Sed præſtat hoc medicamentum longo antè tempore confectum ſeruare. Cęterùm cùm dolor vrget, meatus ipſe audiendi tangendus non eſt, ſed ſpecillo, cui lanæ molliſsimę hapſus inhæreat, fouendus. atque eodem modo curabis, vt medicamentum tepidũ in aurem effluat ita, vt ad auris foramẽ ſpecillum medicamento intinctũ admoueas: & cùm id intrarit,

trarit, lanam mollem superimponas, quà initiũ meatus, totaque auris contegatur: fouebisq; nardino, quod parum admodum tetrapharmaci acceperit. Si æstas sit, aut calor ægrum occupet, locus rosaceo foueatur. At si suspiceris crassum, aut glutinosum humorem, aut spiritum flatuosum in aure esse, miscebis aliquid eorum, quæ obstructionem tollunt. hanc verò causam summo artificio subesse cognosces, si quę morbum præcesserũt, quæq; eo tempore adsint, animo diligenter voluas: nam si frigus antecesit, spiritus flatuosus morbũ gignit: si victus ratio ex rebus mali succi instituta fuerit, atque ex rebus constiterit, quæ gignere flatum solent, caputq; grauitate opprimat, causa morbi in crassos succos referenda est. Vbi causa aliqua tibi nota fuerit, nitrum, & aphronitrum medicamentis admisce, quæ ad auriũ affectiones parantur. addes etiam vtrunq; veratrum, amygdalas amaras, ex aristolochijs eam, quæ tibi sit ad manus, cucumeris syluestris, & bryoniæ radices, itemq; asari, & dracontij, casiamq;, & centauriũ minus: hæc em & meatus expurgant, & quæ intus compacta sunt, attenuant. Inflammationes verò, quę mites sunt, & pulsus expertes, facilè curantur: imponitur enim oxyrhodinum tepidum, & glaucium cum aceto. sed glauciũ in cote medicinali fricandũ est.

Ad inflammationes, & laxos tumores, quæ in extremitate auris sunt. Cap. VI.

INflãmationes verò, quę in superficie auriũ, itemq; laxos tumores, & rubores, qui vel ex defluxu, vel ex ictu facti sint, curãtur lenticula in aqua decocta, atque cum melle trita, & imposita. vel anserinus adeps & butyrum & myrrha miscentur, imponunturq;.

Ad aures uulneratas, & purulentas.

Caput XXXVIII.

VLceratas autem, purulentas q; aures glaucio cum aceto curabis: si defluxio comitetur, pastillis, qualis est is, qui ad Andronem, quiq; ad Polyidem auctorem refertur. Si verò etiam citra vehementem dolorem pus procedat, nihilominus eisdem vtitor. si hæc remedia non efficient quod satis sit, vehementibus vtemur: vt ferri recrementū in tenuem pollinem redigitur, atque in aceto acerrimo decoquitur ad strigmenti, aut mellis consistentiam. Ad aures autem ex plaga vlceratas medullā calidi panis terimus, & myrrhæ dimidium miscemus, atq; imponimus. hæc neq; alliganda sunt, neque vbi imposueris, assiduè auferenda.

Ad aures fractas, & relaxatas, ad earum fluxum sanguinis, ad tinnitum repentinum, & ad lapillos, aut fabas, aut quid tale, aut parua animalia quæ in aures inciderint.

Cap. XXXIX.

AD aures fractas, myrrham, mannam, thus, terram nigram, aut Samiam probè in vnum compone, & ad cerati crassitudinem redige, atq; impone, nullo modo locum irritans. aut sulfur viuum, aut thus cum pice liquida in splenium indita impone. In quibus verò aures relaxatę sunt, cape terrā figularem, aures q; ea intrinsecus implebis, cùm inaruerit, solano & cerussa illine donec resideat. Si verò sanguis ex auribus fluat, vt grumos non faciat, porri succum & acetum miscebis, atque infundes. aut mali granati aceto incocti succum exprime, & infunde. Si sanguinis fluxus perseueret, rubi gallarum q; in aceto decocta

rum

rum ſuccum exprime, ac ſimul miſce, & inſtilla. Ad repentinos verò aurium ſonitus acetũ cum roſaceo infunde. aut cuminum & oleum ad mellis ſpiſsitudinem redige, atque infunde. aut ſuccum radicis cucumeris agreſtis. Si tinnitus perſeueret, ęgrum reclinabis, & nitrum crudum, tritum in aurem impones, & acetum acre tepidum infundes. Ad ſonitus verò qui ex morbo orti ſunt, vbi abſinthij decocto foueris, oxyrhodinũ infundes: aut raphani ſuccum cum roſaceo: aut porri ſuccum cum lacte mulieris, aut cum roſaceo. aut ſylueſtris cucumeris folia teres, ſuccumq; exprimes, eumq; infundes. At ſi lapillus, aut faba, aut aliud generis eiuſdem in aurem inciderit, alligabis ſpecillo carptum lanæ, eamq; terebinthina intinges, aut aliqua re glutinoſa, & in aurem demittes, ac leuiter euelles. Si minus ſequatur, naribus indes quod ſternutamentum excitat, ſed os & nares obturabis: nam impetus ille qui fit, efflabit rem, quæ inciderit. id verò erit faciendum aſsiduè, donec res, quæ in aure eſt, excidat: nam ſi maneat, auris inflammatione tentetur, cõuulſiones conſequentur. Si animal aliquod inciderit, ſcamoneam aceto dilues, aut ſuccum abſinthij, aut peucedanum, aut ſulfur & nitrum cum ſucco raphani, & inſtillabis.

Ad uermes, qui in auribus ſunt, & cætera omnia, quæ in aures ſunt ingreſſa.

Caput XL.

AD vermes autem aurium, & reliqua omnia, quæ in meatum audiendi ſunt ingreſſa, acetum oleumq; mixta inſtilla, aut capparis ſuccum, aut nepitæ ſuccum, aut veratrum album cum vino infunde.

Ad aurium ſordes. Cap. XLI.

NItrum toſtum in aurem immittes, tum acetũ in-

ſtillabis,& lanam appones,itaq; ſines per totam noctem.die ſequenti aqua & oleo calido collue.

Ad aures humidas. Cap. XLII.

MIſy combuſtum in panno læuigatum inſufflabis. aut gallas eodem modo teres,combures,atque veteris.aut alumen aſſabis, læuigabisq;, & oleum infundens inſufflabis.

Ad carnem,quæ in auribus ſupercreuit.

Caput XLIII.

CArnem, quæ nimium in auribus creuerit,celeriter aufert fæx cum calce viua,& lixiuio ſtillatitio,ad ſtrigmenti craſsitudinem redacta, & ex lana & ſpecillo impoſita.

De parotidibus. Cap. XLIIII.

QVemadmodũ in alijs partibus inflammatis vtimur repellentibus, non ita in parotidibus facimus ſed contra, attrahentibus:cùm demus operã,vt humorẽ qui lædit, celeriter ab imis partibus ad cutim trahamus,& naturam adiuuemus, quæ per abſceſſus febrim curat. In quo caſu ſi natura ſatis idoneo impetu feratur,nos quieſcimus,totumq; illi negotium permittimus.tantummodo autem lenimus,& cõcoquimus humores ibi collectos: qui vbi in pus verſi fuerint,in id incumbimus,vt diſcutiãtur. Si verò durities appareat, attrahentibus addimus mollientia. At moderatas parotidas, in quibus neq; plenitudo eſt,quæ confluat, neque violentus dolor,neque ſuppurationis ſuſpicio,facilè curabimus. idq; faciemus fomẽtis ex muria, & cataplaſmatis, ac medicamẽtis, in quibus maior ſit vis digerendi:qualia ſunt Mnaſſæi, & ex ſuccis, quod διαχυλῶν vocatur:& item cerata molliora,& quæ ex butyro,atque œſypo conficiuntur,buccinæq; combuſtæ,& purpuræ,& oſtrea,

quæ

quæ adhibentur ijs parotidibus, quæ iam durę factę sunt, atque inueterarũt: ex ijs enim medicamentum fit, quod non solùm dolorem, morsumq; nullum affert, si quis eorum cinerẽ melle diluat, sed etiã multò magis erit tale, si veterem suillum adipem sălis ex pertẽ villis electis admisceat: ita enim citra omnem dolorem, & molestiam omnes inueteratas inflammationes, quæq; ex affectione quam gignit defluxio, oriuntur, discutiet. Iam verò ad eas, quæ iam duræ factæ sunt, accõmodatæ sunt caricæ in marina, aut muria coctæ. Simili quoq; modo amarorum lupinorum farina cum melle cocta, cui parum calcis viuæ acceserit: qua cataplasmatis modo est vtendum.

De narium affectionibus, de ozæna, & polypo. Cap. XLV.

COmmunis ozęnarum, polyporumq; curatio est, vt primùm siccemus, caputq; roboremus: eiq; imponamus aut medicamentũ ex anemona, aut quod ex cochleis constat: cuius hic est apparatus: capit enim myrrhæ, thuris singulorum vnciam vnam, cochleas integras ducentas, alba ouorum duo. omnia in mortario conteruntur, ac miscentur, tum illinenda sunt linteo superimposito, ac sinenda per dies nouem. atque ita vtitor remedijs, quæ foris loco admouẽtur. In polypis verò vtmur eo medicamẽto, quod ex punicis constat: est enim valde efficax. Ad quod conficiendum capienda sunt mala punica austera, acida, & dulcia pari numero & portione: totaque cùm adhuc recẽtia sunt, & matura, tundenda, frangendaq;, & ex eis succus exprimendus, & in vas stanneũ conijciendus. prius autem est modicùm decoquendus, si liquidior quàm par est, videatur. quod verò ex ijs relictum est, quod firmum, durumq; est, diligenter

contundendum est, atque iterũ in pila lęuigandum, ex eoq; colyria conficies, quę simili ratione naribus ægrotantis conuenient: nam in meatu naris, in quo polypus est, accómodantur. hocq; medicamentum & sine mordicatione, & sine vlla affectione, quæ per cósensum afferatur, idem, quod medicamenta acria, efficiet, ac longiore temporis spatio polypum absumet. At si polypus humidior, flaccidiorq; tibi videatur, maiorem punicorum austerorũ copiam in medicamento pones: si durior, dulciorũ. Si colyrium molestiam, cruciatumq; afferat, & omnino attendatur, præcidendus vsus erit. & quo tempore colyriũ non adhibeẽ, succo expresso, vt diximus, vtemur, locũq; ipsum affectum, & interná oris partem, quà foramen in palato naris habet, aut penna, aut lana, quæ specillo obuoluta sit, illinemus. Diphryges quoque longiore tempore polypum consumit. Si cui autem propter mollitiem corporis hæc mordacia videantur, tunc rosæ tritæ imponentur: ipsę enim mollia, humidaq; corpora mirificè iuuant. Est etiam planum hæc assiduè admouenda esse: quandoquidem ab humore colluuntur, atque humectantur.

Ad vlcera, quæ in narium meatibus insunt.
Caput XLVI.

VLcera quæ narium meatus obsident, curantur pastillis Andronis & Polyidæ, quæ vino quandoq; dulci, quandoq; austero, & sæpe etiam aceto diluta imponũtur. Verùm si humor per meatus acrior effluat, vlcera quidem difficilia curatu sunt, cæterùm tetro odore vacant. At si acrimonia, putredoq; adiuncta fluenti humori sit, ozænę exoriuntur. eas curabis nepitæ succum effundendo, aut mel in nares conijciendo, naresq; dilatando, ac sternutamẽtis ramenta vl-

ceris

ceris educendo. Vel album veratrum in puluerē rediges, faciesq; vt æger naribus inspirando quamplurimùm eius possit, attrahat. quod cùm fecerit, amurca cum melle locum cōtinges, meatusq; chalcitide, aut atramento sutorio cum melle. si vetusta vlcera sint, acre acetum adde.

De destillatione, & grauedine. Cap. X.LVII.

HVmores ex capite destillantes, si negligant̄, multorum esse malorum causæ solent: nam vel gurgulionem inflammant, & tonsillas, idq; mediocre est malum. aut gignitur raucitas, quæ in gutture diuturnā affectionem parit. idq; non exiguū malum putatur. Ac nonnulli etiam inuenti sunt, qui ex destillatione sanguinem per sputum reiecerint: pusq; collegerunt, ex quo tabidi euasere, & vox læsa sit. ergo destillatio omnino curāda est tum pauciore cibo, tum minore potu: & irini fœcibus synciput illinendū est, & abstergendum decoctione rutę, atque oleo laurino: siquidē hæc concoquunt, & crassum reddunt id, quod destillat. Prodest etiam capite obuoluto esse, & nunquam supinū dormire: quippe cùm in ijs, qui ita dormiunt, humor in arteriā facilè comportetur. Oportet autem assiduè gargarizare ex adstringentibus, vel rosas aqua decoquendo, aut rhun, aut lentiscum, aut id facere posca. Non pessimè autem feceris, si destillationem in nares deriuaris: atq; odoramentis quidem vt melanthio, & anisō, ijs quæ infundantur, vt melanthio trito cum aceto. aut succo betæ, & anagallidis: humor enim illuc confluens pulmonem periculo eximit. At grauedo, si parum molestiæ afferat, facilè sistetur irini, lauriniq; vsu: & olei, in quo lini semen, & ruta cocta sint, & capitis obuolutione, paucioreq; victus instituta ratione.

Ad frequentia sternutamenta, & grauedinem. Cap. XLVIII.

MElanthium aridum in linteo ligabis, manibusq; confricabis. puluerem, qui in linteo remanebit, plurimùm iube ab ægrotante per odoratum trahi. Vel thymum adipe inuolutum sub cinere tege. vbi assatum senties, tere, ac iube vt naribus odor attrahatur. aut myrrham in vino odorato dissolues, eaque crassissima nares illines.

Ad sugillata. Cap. XLIX.

SVgillata fouenda sunt meliloti, fœnugræciq; decocto. tum resoluendum est Nili colyrium ex rosis eodem decocto, & illinendũ. his peractis, solius fœnigræci decocto fouendũ, & colyriũ quod ex myrrha fit, inungendum. Hac sanè ratione sugillata, nisi penitus inueterata sint, curabis: ad ea enim vtendũ est ijs, quæ strenuè digerunt, quę mox describemus.

Ad sugillata incipientia. Cap. L.

SVgillata quæ etiamnum incipiunt, sanat nouellus caseus impositus: aut fabacea farina cum melle dilutа: aut oui vitellus cum melle simili modo. Ea verò, quæ iam inueterarũt, nigraq; sunt facta, curat raphanus impositus, qui tũc auferendus est, cùm morsum incipit excitare. aut radix ari imponi poterit, quæ etiam melli admixta superdatur. Sugillata autem quę cum inflãmatione sunt, fouebis aqua calida, tum cataplasma admouebis ex lentibus coctis, tritisq; cum melle. Si incisa cutis sit, in ipsam diuisionẽ pones aliquid eorum quæ ad cruenta valent: extrinsecus verò pones ea, quæ faciunt ad sugillata, in quibus præcisa cutis non est.

Ad uaros. Cap. LI.

TVmor durus, exiguusque est, qui varus nominatur.

tur.is in faciei cute exoritur.postulat autem auxilia, quæ molliant,quæq; digerãt.Ergo mellis attici cyathum aceto acerrimo paribus portionibus admisceto,ac diligenter varos inungito digitis cõfricando. aut alumen accuratè lęuigabis,terebinthinaq; excipies,& vbi emollieris, impones. Ad eos autem,qui inueterati sunt,& in callum declinarunt, cape saponis Gallici drachmas IIII. ammoniaci drachmam vnam:aqua dissoluantur,& ad cerati crassitiem redigantur, tum illinantur, & vbi horæ spatium transactum fuerit, tepida aqua abluantur. Aliud. Nitri, gummi albi par pondus aceto dissolue, tereq; diligenter,& pastillos cõfice,& in vmbra eos ficca.cùm vti volueris,eos aceto dissolue, & illine.vbi inaruerint,sapone eos absterge.hoc etiam medicamentum facit ad eas affectiones, in quibus tuber est. & item ad pruritus faciei.

Ad eos,quibus in mento ficosæ eruptiones fiunt. Cap. LII.

LIthargyri, misyos par pondus tere, & illine. aut gluten fabrile cum rubrica illine. Aliud valde strenuum:elaterij,salis fossilis pares portiones misce,& impone liquidum specilli cuspide ita,vt medicamentum ingrediat. vbi id indideris, vngendus locus est lini semine,quod ex aqua sit læuigatũ.Si vlcera perhumida sint, vt ex eis aqua pura effluat, vtendũ erit Andronis pastillo.Ad exãthemata verò,quæ in mento erumpunt, cape ferrum igni candens, superq; eo lignum paliuri pone,humorem qui inde emanat,excipito, atq; illinito. aut myrti baccas tritas ex vino illine.aut atramentum sutoriũ cum aceto læuigatũ impone.

Ad ephelidem, maculas, & lentigines.

VItis agrestis racemi curant ephelidas, & maculas, & quæcunq; sunt generis eiusdem, quæ in cutis extremitate exoriuntur. Amygdalæ autē amaræ ephelin auferunt, itemque amygdalę arboris radices coctæ, atque illitæ. costus quoq; vim hydromelite ad ephelidas facit: brassica verò & ad ephelida, & ad lentiginem, & ad cætera, ad quę mediocri absterſione opus est. sepiæ testa cremata ad ephelidem & lentiginem valet.

Quæ faciem splendentē, tensamq; reddant, quæq; bene coloratam præstent, & uetent ne à sole exuratur: & quæ exustionem sanent. Cap. LIII.

CVcumis, qui edendo est, ac maturus splendidum corpus reddit: præsertim verò si quis eius semen siccauerit, deinde contuderit, & per cribrum traiecerit, & purgamento vtatur. Crocodili quoque terrestris fimus faciem illustrat, tensamq; cutim reddit. eius similis est sturnorum, cùm solùm oryzam comederunt. hæc abstergunt etiam ephelin. Iam verò cucumeris agrestis radices incidito, ac torreto, & in aqua decoquito, terito deinde: hoc enim extentam & candidam faciem reddet. Simili quoq; modo bryoniæ radices oleo incoctæ, & illitæ faciem splendore perfundunt. itemq; erui farina ex vino odorato lęui gata, & imposita. vel similæ succum percolabis, humoremq; effundes, & ei quod reliquum erit, veluti fæx, oui candidum admisce, redigeq; ad mellis spissitudinem, hocq; faciem inunge, si in sole sis moraturus. Si facies vsta à sole fuerit, multa aqua gelida perlue. Terra Chia illita conciliat ipsa quoq; faciei venu-

venustatem,& bonitatem coloris.& toti etiam corpori.Scobs etiam cupressi,& ilicis,quæ in eodem rameto ferueat,eaq; totum corpus illinatur.Vt autem ne à sole quisquam vratur,& si vstus sit,sanetur,facit bulbus albus cum melle tritus,atque illitus.

Ad fœdos alarum odores,& hircos. Cap. LIIII.

VT axillarũ tetros odores auferas, myrrham cum alumine inungas, aut crocomagma, aut rameta cum alumine,& vino odorato. præterea cardui radicem decoctam potui dato.

Ad tetrum oris odorem. Cap. LV.

OS verò odoratum reddes,si iridem vino antiquo odorato macerabis,eoq; vino os assiduè collues,atque in ore paululum tenebis.Fœdum verò oris odorem tollit vinum purum cum myrrha,quo os colluatur.& vini flos tritus.mandunt nonnulli iridem,aut anisum,aut simile quidpiam.

Ad labia fissa. Cap. LVI.

GAllam immaturam tere, atq; excipe terebinthina,aut hyssopo, aut melle, atque illine. Si fissa altius fuerint,seuo caprino expurgato,aut medulla bubula,aut adipe anserino subunge.

De affectionibus dentium,& ad dentes mobiles. Cap. LVII.

CVM dentes propter senectutem mobiles,laxiq; sunt, tum parum auxilij capiũt ex rebus adstringentibus,& gingiuas à quibus cõtinentur, constringentibus.Si ex alia causa moueantur,coniectandum est, vtrum propter nimiam humiditatem is neruus, qui in eorum radices peruenit,sit relaxatus. quo in casu medicamentis vtendum est siccantibus.Ergo rotun

dum alumen cum duplo salis est dentibus aspergendum. Aut vlmi corticem in vino decoque, & iube vt in ore cõtineat. Sed dentium quoq; foramina ex destillatione acrium humorum fiunt. ex quo patet ad hæc etiam opus esse malitiam humorum exiccantib. At si humiditas multa sit, capiti consulemus, vel etiã totius corporis habebimus rationẽ. Si pauca sit, solis auxilijs contenti erimus, quæ foris applicantur. Atq; in principio quidem vtemur repellentibus, vt id quod influit, cohibeamus: cùm sæpe euenerit, vt ex horum vsu ante inflammationem æger ad bonam valetudinem sit redactus. Verùm si adsit inflãmatio, adhibebimus ea, quæ citra morsum calefaciũt, & euacuant. Si dolor per hæc non sedetur, quæ vehementer calefaciunt admouebimus, quale est piper, & fex combusta, & pyrethrum, & euphorbium: ex quibus aliquid in dentis foramen est conijciendum. Quandoque etiam vsu venit, vt cùm præ nimio dolore vigiliæ oriantur, ijs vtendũ sit, quę torporẽ inducunt.

Ad dentes corrosos itemq; molares, & ad eos, qui liuidi sunt, ac dolent.

Caput LVIII.

AD dentes exesos cape gallam tritã licio, aut terebinthina exceptam, atq; illine. loco autem prius repurgato, piper, aut cachry opio excipe, & in exesam partem impone: aut pyrethrum cum myrrha: aut liquoris Cyrenaici & piperis æqualem portionẽ cum galbano. Ad molares verò erosos melanthium torrefacito, contunditoq; cum aceto acerrimo, & exesam partem aspergo, & non amplius exedetur. veratrum nigrum ad erui magnitudinem cum melle cocto impone. Qui verò liuidi facti sint, si id ex defluxu humorum vitiatorũ patiantur, siccantibus, sicut etiam

etiam eroſos, curabis. Si dentes citra gingiuarũ inflammationem doleant, quandoq; corpus ipſum dolorem continet, quandoq; verò neruus, qui corpori inſeritur. ex quo fit, vt vehementiora poſtulent remedia, ſiue repellere, ſiue digerere quiſpiam doloris cauſam velit: eaq; ſiue ſuccus, ſiue ſpiritus flatuoſus eſſe videatur: quamobrem quamplurima ex ijs remedijs ex aceto acerrimo parantur.

Ad dolores dentium, & de ijs, quos frigus oblæſit, quiq; mobiles ſunt.

Caput LIX.

PLantaginis radices commanſæ, & decoctæ ad os colluendum: aut myrti virgulę cum aceto coctę: aut pentaphylli radix vino cocta: aut galla in aceto multùm cocta: aut veratrum nigrum cum aceto, quo os colluatur: aut capparis radicis cortex. Ad dentes verò, qui ex frigore dolent, pyrethri radix facit. & vini fæx, terebinthina, hyſſopum, vua taminia, pulegium cum oxymelite, alterci ſemen, & folia cum aceto, aut lacte aſinino, vt os colluat: quod etiam laxos dentes cõfirmat. Extrinſecus autem fouebis ſaccellis, in quibus ſal, aut miliũ, aut panicum ſit. ipſum verò dentem fouebis hoc modo: origani cimas oleo feruenti intinges, & ſuper dolentẽ dentem pones.

Apophlegmatiſmi pituitam euocantes in dentium doloribus. Cap. LX.

PItuitam è capite educit vua taminia per ſe, & cum pulegio cõmanſa. aut allij ſpicas quinq;, myrti nigrę pauca folia cum aceto agita rudicula tædina, & coque vſque ad medietatem, idq; dato ad os colluendum, & in ore continendum: deinde os latè aperiendum, vt pituita poſsit effluere.

Quomodo dentes, atq; adeò ipsos molares sine dolore eximas. Cap. LXI.

FArinæ triticeæ denariũ vnum cape, & cum liquore tithymali temperabis, ac dentes ea circundabis: supra autem hederæ folia impones, & per horam ita sines, tum auferes: nam dens per se ipse cõminuetur.

Ad dentes imbecillos, aut molares, & contusos, & ad eorum stuporem. Caput LXII.

MEL & ceram pari pondere aqua calida in sole emollies, picis dimidium admiscebis, dabisq; ad masticandum. Si aridum hoc medicamentum sit, parum olei addes. mastiche etiam cõmansa bene facit. quibus autem dentes mutuò sese cõtundunt, tanquam id ex mollitie patiantur, indurandi sunt adstringentibus medicamentis. Ad dentium verò stuporem facit portulaca, & item eius succus, aut oleum ore contentum.

Ad infantes dentientes. Cap. LXIII.

CVM infantes dentes emittunt, & dolore vexantur, eorum gingiuæ lacte canino illinendæ sunt, aut leporis cerebro: quod valet etiam si esui detur. Si ægrè dens exeat, cypero cum butyro, & oleo susino vbi exoritur dens, illines.

Medicamentum quod à dolore dentes tuetur, eosq; roborat, facitq; ut decori dentes sint. Cap. LXIIII.

TIthymali radices in vino vsque ad dimidias coquito, & bis in mense os colluito, & nunquam dolorem senties. Optima quoq; ad tuendos dentes à doloribus, ad eosq; confirmandos, & ad pulchritudinem

nem eis comparandam ea, quæ ſubſcribam, quibus dentes abſtergantur. Caput ergo leporis combure, in puluerẽ redige, eoq; dentes deterge. itemq; ſalẽ, & mel læuiga vſquedum cerati ſpeciem acquirat, & puro linteo illigata combure, tum modicũ iridis adde, & deterge.

Quæ dentes ſplendidos, illuſtresq; faciunt, & flaccidas gingiuis ſiccant.

Cap. LXV.

DEntes illuſtrat cinis non admodum læuigatus oſtreorum, buccinarum, & purpurarum: pumex, teſta clibanorũ eodem modo. Sed ſi cum ſale comburantur, dentes maiore efficacia detergent: & gingiuas humectas, flaccidasq; ſiccant. Sepiæ teſta non combuſta, & trita ſimili modo dentes nitore perfundit. itemq; ceruinum, & caprinum cornu dentes nitidos facit, & gingiuarum humiditatem exiccat.

De gingiuarum affectionibus, deq; ijs, quæ inflammatione dolent, quæ defluxione grauantur, quæq; exeſæ ſunt, & de caruncula, quæ ex gingiuis inter dentes exoritur, quæ ἐπουλὶς dicitur. *Cap.* LXVI.

OPtimum remedium eſt ad gingiuas inflammatas, & dolentes oleum lentiſcinũ purum, quod calidum in ore teneatur. eſto autem oleum recens factum, & in duplici vaſe calefiat: id enim ſine aſperitate reprimit, & ſine morſu digerit. quibus rebus opus eſt ad inflãmationes vel maximè. huc faciunt etiam ea, quę ad dentium dolores ſuprà fuerũt à nobis deſcripta. ſed magis propriè valet ad hoc acetum, in quo hyoſciami radix cocta ſit. Ad gingiuas verò, quæ defluxione infeſtantur, exeſæq; ſunt cum tumore, atque

dolore, alteq; morbus eas depascatur, valet hæc fomentatio: spécillo lanam alligabis, oleo feruenti intinges, & gingiuis admouebis vsque dum adęquentur, & partes circulo adiacętes candidæ fiant: ita em cohibetur ne vlterius serpat, quod depascit, & quod ex sana carne exesum erat, nutritur. postea verò vteris dentifricio, quod cóstat ex galla in tenuissimum pollinę redacta, quantum acetabuli magnitudo est, cum myrrha, quàtum fabæ impleat magnitudinem: his tritis siccisq; vtitor. Ad carunculam verò è gingiuis enascentem adhibe atramenti sutorij, & myrrhæ pares portiones, quibus modicũ aluminis scissilis adiungatur.

Ad cruentas gingiuas. Cap. LXVII.

SVmmum cruentarum gingiuarum remedium est, alumen liquidum cum duplo aloës impositum: aut alumen & myrrham tenuissimè cóterito, & ex melle illinito.

De oris affectionibus, deq; inflammatione & aphthis. Cap. LXVIII.

CVM oris inflammatio est, si totum corpus plethoricũ, aut redundans malis humoribus videatur, tum venæ sectione, & purgationibus vtimur, clysteresq;, & cibi, potionisq; abstinentiam imperamus. si neutrum horum subsit, statim ad ea remedia confugimus, quæ loco foris admouentur. Itaq; in principio reprimimus ijs quæ adstringunt, & refrigerant: quale est quod ex moris conficitur, cui omphacium accesserit: aut flos rosarũ, aut ipsæ rosæ siccæ, balaustium, malicorium, gallæ immaturæ, alumen, rhus, glaucium, & decoctum myrti atq; aluminis scisilis, deinde verò satis est confectio ex moris, quæ crocũ, & myrrham acceperit, vt inflammatio cócoquatur.

Cùm

Cùm verò iam ipsa concocta fuerit, digerentibus opus erit. addemus igitur aphronitrum, & nitrum, & sulfur viuum, id quod est omnium validissimũ. quandoq; autem sapam, quandoq; verò mulsam ei admiscebimus, in qua mulsa incoctum sit origanum, aut hyssopum, aut pulegium, aut thymum, aut satureia, aut nepita. Inuenta enim medicamenta, quæ mediæ facultatis sint, eò fuerunt, vt cùm vsus postularet, ea misceremus quæ accómodata essent. In statu autem inflammationũ rarò vtendum est medicamẽtis, quæ ad os pertinẽt. sed tamen os colluendum est, ac gargarizandum ijs, quæ inflammationis vehementiam leniant: quale est decoctum caricarum, & decoctum furfurum, & oleum lentiscinum, quod in duplici vase sit tepefactum. Sed ipsum medicamentum, quod, quia ad os pertinet, stomaticum nominatur, in statu potest colluendo ori adhiberi, si modò mulsæ dilutiori, & defruto calido misceatur: si verò hæc nõ adsint, aquę calidę. Quęego memoraui omnia, vt tu ex ea materia, quæ tibi facilè suppetat, conficere medicamentum queas. Exvlceribus autẽ quę in ore sunt, quæcunq; flaccida sunt, postulant egregiè siccantia medicamenta: quale est diphryges, tum per se, tum cum melle, aut vino mulso. Prodest etiam Musæ pastillus, & succus rhu, & omphacium. Verùm vlcera oris simpliciora curari possunt ijs medicamẽtis, quæ ori aphtha inscribunt, vt quod ex moris est, & rubis, & cętera. quę verò oris vlcera abundè humida sunt, & prope ad ossa accedunt, periculum est, ne sydererentur. ideo fit, vt vehementissima medicamenta exigant. ergo aliquem ex prædictis pastillis in pulue rem redigimus, atq; ita siccum imponimus: nam ex humore, & calore earum partium, quę ore continen tur, putredo statim fit: quamobrem validissimis me-

dicamentis vti ad huiusmodi vlcera plerunq; cogimur. validissima autem sunt, quæ crûstam excitare possunt æquè, ac cauteria. Vlcerationes verò, quę in superficie oris oriuntur, aphthas nominant, eæ plerunq; in infantibus nascuntur: quibus remedium vt plurimùm adhibetur ijs, quæ modicè adstringunt. quandoq; etiam inueterascunt, aut temporis diuturnitate difficulter curantur, cùm putredinem genuerint, & affectionẽ excitarint, quæ à serpendo & depascendo νομὴ vocatur. Ergo infantibus qui iam cibos comedunt, lentem cum modico panis, & medulla vitulina, aut ceruina dare cõuenit: cibisq; misceuda erit portiuncula malorum cydoniorum, & aliorum, quæ adstringendi vim habent, vt pirorum, sorborum, & mespilorũ. Siq; aphthæ ignitæ sint, lactuca erit cibis addenda. at si infans nondum possit comedere, nutrici hæc dabis. sed conueniet etiam infantes medicamentis illinere. Si aphthæ subrubræ sint, in principio imponentur ea, quæ modicè refrigerant, & adstringunt: tum vtendum erit ijs, quæ citra morsum digerunt: si subflauę sint, ijsdem quidem opus est, sed magis refrigerantibus: si subalbidæ, & magis pituitosę, abstergentibus: si nigræ, ijs quę stre nuè digerũt. In adultis autem, & quorum dura sunt corpora, satis est misy cum vino adstringenti. Si vlceratio subsordida sit, cum vino mulso terendũ misy est. Quæ verò validiora postulant remedia, quàm misy sit, cum vino & vino mulso vtile est ea terere. hæc autem efficacia sunt: at mediocria, & præcipuè in principijs affectionum sunt, omphacium cum vino mulso, & rhus eodem modo. in puerulis verò sufficit flos rosarum, & ipsæ itidem rosæ siccæ.

De

De *columellæ affectionibus. Cap.* LXIX.

CVM inflammata columella eſt, auxilijs reprimentibus vti oportet: eaq; eſſe facultatis adſtringentis opus eſt. Siq; mediocriter ſit defluxio, mediocris adſtringens eſſe facultas debet: ſi vehementer, acerba. ergo collutiones lenes, vt ſunt quæ ex palmulis tum aqua ſola decoctis fiunt, tum verò etiam melle adiecto: itemq; decoctum roſarum, capreolorū vitis, ruborum, lentiſci, & terebinthi. & cyperi, & hypociſtidos. Sed hisagit vehementius decoctū myrti, & cydoniorum acerborum, & cymarum ilicis, & phagi, balanorum, & meſpilorum, & fructuum cornorum. Maximè autem ſtrenuè hæc: gallarum. rhu, balauſtiorum & malicorij decoctum. Hæc autem vel ſingillatim, vel coniunctè coquenda ſunt, & ex aqua gargarizandum. eiſdem quoq; ſiccis in puluerem redactis gurgulionē attingere oportet, & paulatim attrahere tum ſuprà, tum foras linguam verſus. Medicamenta verò ſicca & in læuorē redacta cochleario inſpergantur: hęc enim remedijs gurgulio in ſuum ſtatum eſt omni ratione adducendus, nec ad eum incidendum properare debes. Cùm verò gracilis, cruētusq; fuerit quandoque redditus, qualis fieri ſolet longo temporis ſpatio, tum præcidendus eſt. poſtquàm ſectus fuerit, ſolo diphryge erit vtendum, vſquedum cicatrice vulnus includatur: ſiquidem id cicatricem exquiſitè arctam, ſtrictamq; inducit. & in hac parte, & item in cæteris omnibus, quæ fuerint vlceratæ.

De *tonſillarum inflāmationibus. Cap.* LXX.

TOnſillarum inflammationes, durosq; tumores, quos ἀντιάδας vocāt, exprimere oportet aliquo medicamento, quod iuuare poſſit digitos illinendo. In glandulis autem vel maximè hæc curandi conuenit

ratio: cùm enim ea loca laxa sint, & fistulosa, facilè suscipiunt humorem influentem, fiuntq; eminentiora, atque inflantur. Cùm verò tempore conuenienti inflammatio cócocta iam sit, glandulæq; plenæ sint alicuius humoris glutinosi, medicamento stomatico admiscebimus nitrum, aut salem, aut aliquid tale, & pituitam vacuabimus. At si fauces ipsæ inflammatæ sint, neque hoc medicamento vtendum est, neq; propter carnis mollitiem exprimendum.

De angina. Cap. LXXI.

CVM ab angina quispiá suffocatur, scire cóuenit, in periculo rem esse: maiusq; periculum imminere, si inflámatio intus infixa sit, vt nihil foris appareat: & multò etiam maius, si ambas tonsillas obsideat inflammatio, atque vnà gurgulio sit affectus: par enim est totum corpus quamprimùm sanguinis missione euacuare. Si æger non sit ad mittendum sanguinem aptus, scarificandæ erunt tibiæ, & permittendum, vt quamplurimũ sanguinis effluat: eritq; acribus vtendum clysteribus: continendusq; eger in inedia. tum collo superdabis medicamentum, quod vim attrahendi habeat: si enim materia, quæ in illis particulis est fixa, extrahatur, vt tumor foras se proruat, omnino spes erit, hominem seruatum iri. Præterea succus ptisanæ ad gargarizandum dari debet tenuis melli admixtus, itemque decoctum caricarum. & quod ex hyssopo, origano, & marrubio cóficitur: ita enim humores illi glutinosi & crassi, qui in eis partibus impacti sunt, digeruntur. Mirabiliter autem ad anginam facit stercus caninũ album siccatum, & in puluerem redactum, ac per cribrum traiectũ, deinde melle dilutum, atque illitum. idq; est huiusmodi, vt nullum inueniri medicamentum præstantius, aut efficacius

ad

ad anginas queat. sed oportet canes ossa solùm comedisse. Præterea si plura lina, præsertim verò quæ ex purpura marina colliguntur, viperæ collo imponas, eamq; ijs linis suffoces, tum vnum ex illis collo appendas alicuius, magnum adiumentũ afferet tonsillis, & reliquis omnibus malis, quæ molestia collũ afficiunt.

Ad spinas, & ossa deuorata. Cap. LXXII.

OSsa autem, quæ deuorata sint, itemq; spinas, quæ gulæ inhæserint, aufert spongia, aut caro incisa, & lino appensa, quam vi adacta deuorare conabitur is, qui malè affectus est. tum derepẽte extrahenda spongia est, aut caro eo lino, per quod fuit demissa: ita enim quod infixum erat in gula, simul extrahi consuevit. danda est etiam panis teneri medulla ad deglutiendum. itemq; ficus siccæ commansæ.

De medicamentis stomaticis, de tonsillis inflammatis, deq; uuæ, aut alterius alicuius partis inflãmatione. Cap. LXXIII.

MEdicamentum simplex ex moris fit hoc modo: succi mororum heminæ quinq;. decoquatur ad stri-gmenti crassitudinẽ. tum adde mellis libram vnam, & simul coque ad mellis consistentiam. Cùm vti volueris, in principijs admisce, vt dictum est, repellentia: in statu, cõcoquentia, & lenientia: in declinatione, digerentia. Eodem etiam modo ex succo corticum nucis medicamentum ad os accõmodatũ conficies: & item ex musto vuarum austerarũ, & ex succo punicorum, & cæterorum fructuum austerorum, ex quibus exprimi succus potest. Si succus crassus videatur, mel aptè misscere cõueniet: si liquidior, prius decoquendus erit. Cæterùm pirorum, pomorumq; succus, & aliorum etiam quamplurimorũ fructuum

autumnaliũ pares mellis portiones capit. at eorum, qui valde acerbi sunt, qualis est corni fructus, interdum duplum mellis, interdum triplum. Iis ergo, qui medicamentosas qualitates ferre non queunt, si mediocribus inflãmationibus aut tonsillarũ, aut vuæ, aut alterius partis corripiantur, sufficiunt succi eorum fructuum, quos modò memoraui. & item rhus obsoniorũ. Ad maiores verò inflammationes opus est succo punicorum austerorum, aut malorũ cydoniorum: aut vtroq; inter se melle, vt diximus, cõmixto, sitq; moderatũ medicamentum. sed præstantius erit, si tota punica in frusta seces, & in musto decoquas: nõ solùm enim repellendi, sed digerendi quoque vis inesse in medicamento debet, si quid durum appareat. quamobrẽ prædictis, cùm ad medium decoctionis peruenerint, inijcies pulegium, aut hyssopum, aut origanum, aut nepetam, aut thymum: deinde per colum traijcies: sic enim idoneũ medicamentum confeceris.

Ad putredines, quæ in ore sunt. Cap. LXXIIII.

CHartæ combustæ partes tres, auripigmenti pars vna. his tritis vtitor. supra autem linamenta rosaceo intinge, applica, atq; exprime. Aliud, quod ad magnas oris, aliarumq; partium putredines valet. chalcitidis pars vna, calcis viuæ tantundem, auripigmenti dimidium, trita misce, eisq; vtere. Si os exaresçat, & deglutiri saliua non possit, ficus in vino austero, mero coquito, datoq; decoctum calidum ad sorbendum: si nequeat, tu paulatim infundito.

De ulceribus asperæ arteriæ. Cap. LXXV.

VLcera, quibus aspera arteria obsidetur, vt interna ipsius tunica occupetur, curabis, si foris aliquod siccans medicamentum imponas. sed ęger supinus esse de-

debet: tum ei dandum liquidum medicamen, quod ad huiusmodi vlcera valeat, in ore continendum, & paulatim sumendum vt in gulam influat, quo arteria aspergatur.

Ad uocem abscissam. LXXVI.

BRasicæ succum melli admixtū decoque, ac lambendum præbe. Aliud, quod etiam ad tusses valet: Lini seminis combusti, & cribro traiecti, passularum pinguium, eiectis acinis, pineorum nucleorū tostorum, auellanarum repurgatarum pares portiones læuigabis, melleque excipies, & ex hoc dato cochleario, quod sub lingua teneatur, vbi vox abscissa sit. Glycyrhizæ denarij octo, myrrhæ denarij viginti quatuor, terebinthinæ denarij sex, tragacanthæ denarij duo de quadraginta. quæ sicca sunt, contunde singula separatim, & per cribrum traijce: resinam verò in mortariū impone, & contunde sicca effundendo, tum in vnum redige, ac catapotia confice ad fabæ Aegyptię magnitudinē, & in vmbra siccato. cùm vsus postulabit, vnū, aut duo sub lingua tenenda dabis, idq; quod liquitur, deglutiatur. Hoc autem medicamentū celerrimè conficiendū est, dum contunditur: quippe quod quamprimùm exicceſcat.

De tussi, & difficultate respirationis, & grauedine, & destillatione, & raucitate, deq; sputis, quæ ex thorace, & pulmone reiectantur.

Caput LXXVII.

TVsis causa est humor, qui à capite fluit, vt in destillationibus fieri solet. vel is, qui aspera arteria cōtinetur, vt in pleuriticis, & peripneumonicis vsu venit. fiunt etiam faucium, arteriæq; asperitates. atque asperitas quidem arterię est causa tussis, & item quę

bibētibus, comedentibusq; nobis in eam incidunt, & intemperies frigida instrumentorū spiritus. Sed qui ex intemperie tussiunt homines, id mediocriter faciunt, nihilq; reiectant: atque ita sine vi, vt non solùm continere se possint, & spiritū cohibere, sed sæpe etiam ei affectioni remediū adhibere spiritus cōtentione, qua partes refrigeratas calefaciant. Huiusce autem tussis signa sunt, vt ad repentinas inspirationes à refrigeratione, quæ intenditur, irritentur. Cùm igitur leniter inspirent, & in calida domo inhabitēt, tum vel nihil, vel parum certè tussient. Tusses autem quę cum titillatione coniunctę sunt, manifesto sunt inditio, fluxionem à capite prouenire, atq; in arteriam, & pulmonē comportari. Si nihil expuatur, scire conuenit, id quod fluit, esse tenue: si quid reiectetur, contrarium. Itaque tussim ex tenui fluxu & ab asperitate ortā curabimus: si incrassabimus vsu eius medicamenti, quod ex capitibus papaueris fit aut alicuius eorum, quæ à leuando dolore ἀνώδυνα vocantur. eam verò quæ ex crassitudine & asperitate, & glutinoso humore insidente orta est, tollemus attenuantibus. ergo centaurij minoris radix difficultates respirationis, & tusses inueteratas sanat. melanthium curat destillationes, si in linteo calidum detur ad perpetuò odorandum. Styrax tusses, destillationes, grauedines, & raucitates iuuat. Medicamentum ad lingendum aptum facies hoc modo: Nuces pineas, cùm maximè pingues sint, hoc est, cùm circum circa multū habent suæ resinæ ibidem adiacentis, coque in aqua cum marrubio recenti. huic decocto adde mel ad moderatam proportionē, & iterum decoque donec fiat tam spissum quàm mel: hocque ita confecto vtitor ad ea, quæ ex thorace, & pulmone expuuntur.

De

De sanguinis reiectatione, & cùm sanguis in grumos coit. Cap. LXXVIII.

IN sanguinis reiectatione primum periculum in nimia euacuatione est positum. ergo statim subuenire sanguinẽ reiectantibus poteris ijs, que subiungam: tota enim affectio medico, qui eam curet, cõmittenda est. portulaca esui data iuuat: efficatior autem est eius succus epotus: balaustium, rubi fructus, & flos. membranosa quercus pars, quę inter corticẽ & truncum intercedit, quę́q; sub glandis putamine est: quapręcipuè decocta vtũtur. Fagi quoq;, & ilicis eadem pars ad idem valet. est autẽ efficacius radicis althææ decoctũ. Menta ad recentes reiectationes facit. centaureæ maioris drachmæ duæ dantur: ac febricitantibus quidem cum aqua, ijs qui febrem non habent, cum vino. punicorum, lentisci foliorum succus. Samius aster ad omnes simili modo valet: itemq́; Lemnium sigillum. Ad sanguinis verò grumos facit coagulum potui datũ, & thymũ, ac satureia cum aceto.

Ad asthmaticos, & purulentos. Cap. LXXIX.

ARistolochia rotunda cum aqua epota asthmaticis, hoc est, anhelantib. cum spiritus difficultate auxiliatur. Centaurij maioris radix, spondylij fructus, & radix, nepeta, hyssopum, iris, melanthium, asellorum qui sub hydrijs morantur, sextarium in vas fictile cõijcito, & ad carbones torreto, vbi igni candens sit effectum, asellos terito, ac melle cocto excipito. dato autem ante cibum mistrũvnum ad lingendum.

Aliud. Scillæ crudæ succum exprime, paremq́; ei mellis portionem misce, ad carbones coque, & ante cibum da.

Ad pleuriticos, & lateris dolores.

Caput LXXX.

IN pleuriticis si fomentis dolor non soluatur, totum corpus erit euacuandum, vtendumq; fomentatione, minimè periculosa, quæ morsus expers, & humida sit, qualis est, quæ ex aqua dulci, & oleo in vesicis conficitur. Aegrotis autem huiusmodi medicamenta dabimus, quorum vis modicè attenuans sit, cùm loca affecta adhuc obsideat inflammatio. Quæ verò magis attenuant, vel etiam quæ plenè ipsas cocoquant, in declinationibus inflammationum offeremus. Mediocria in his sunt ptissanæ succus, & mul sa. valentius verò vrticę semen: & cùm modicũ mellis acribus herbis, vt origano, hyssopo, & nepetæ, & pulegio, & iridi misceatur. Lateris verò dolores sine febri sanat bdellium, & costus, prętерea caules brassicæ in cinere vrimus, eisq; vetustum adipem miscemus, & ad laterum dolorem vtimur. & aliud etiam adhibemus. quod sit generis eiusdem, cùm medicamentum sit, quod egregiè discutiat, & digerat.

Ad diuturnos thoracis dolores.

Cap. LXXXI.

CVM diuturnis dolorib. thorax citra febrim detineť, palmulæ pingues cum fœnogræco decoquendæ sunt, succusq; exprimendus, tum melli copioso admiscebimus, postremò ad carbones iterũ coquendus vsque ad crassitudinem mediocrem, eoq; multùm ante cibos vtendum.

Ad mammas, & lac, quod eis continetur.

Cap. LXXXII.

LVtum efficaci remedio est mammis inflammatis, si eis imponat: sed si siccius tibi videatur, ipsum cyprino,

prino, aut rosaceo oleo emollies. Cùm verò lac, post partum editum, in mammis coagulatum sit, perutile ad id extinguendũ erit totum ouum crudum, quod mixto rosaceo imponatur: idq; non solùm in mammis inflãmatis, sed etiam in alijs quamplurimis corporis particulis facit. Sordes verò ex palęstra, est mãmarum medicamen. nam quod in eis igneum est, restinguit, & reprimit id quo influit, & discutit quod eis continetur. Fabarũ farina cataplasma est ad mammas, & ad testiculos idoneum: siquidem hæ partes cùm inflãmatione tentant, modicè refrigerari desiderãt, pręsertim verò cùm lac fuerit coagulatũ. Naxiæ autẽ cotis scobs prohibet ne mammæ virginum ante tempus inflentur, & testiculos emendat. mammas autem ob lactis copiam intumescentes, lenticula in marina decocta atque illita, vel menta cum polenta, aut muria in fotu adhibita curabis. Post hæc autem extinguunt quæ subiungam: farina fabacea tum per se, tum cum polenta illita, Cimolia cum aceto, aut aqua inuncta, lac muliebre cum succo cicutę: aut cicutæ folia illita, muria in fomento. eadem sedat mãmas, in quibus lac in grumos coiuit, sed non in fomento. Menta cum polenta imposita, crocus cũ lacte inunctus, itemq; farina fabarũ sola, vel cum polenta superdata: cydonia cocta cum melle. non sinit autem lac coagulari in ijs, quæ innixæ sunt, si grana ceræ decem numero ad milij magnitudinem quotidie deglutiantur.

De oris uentriculi affectionibus. Cap. LXXXIII.

QVI canino appetitu tenentur, hoc est, qui fame iugiter, ac sine vlla intermissione torquentur, ijs vinum copiosum de numero eorum, quæ abundè cale

faciunt,vt magnum remediũ dandum eſt. huiuſmodi autem vinum eſt fuluum,& rubrum vacans adſtrictione:&hi appetitus ex fame excitati à ſtomachi frigiditate proueniunt.vt meritò à tali vino ſedentur. Qui ita affecti ſunt, cùm ad prandium accedunt,primùm dandi ſunt cibi pingues, & oleoſi, & item alia omnia ex oleo copioſiore parata, & in quibus nihil auſterum,aut acerbum ſit.mox verò imperandũ eſt, vt vinum eis,etiam ſi non ſitiant,detur:hac enim ratione fames ſtatim lenietur,& tractu temporis ita vi tam ducendo ſedabitur. Singultientibus danda eſt ruta cum vino tenui, aut nitrũ cum mulſa, aut apiũ, aut cyminum, aut acetum ſcilliticũ. aut nepeta, aut aſſarum,aut nardum celticum,hæcq; vel ſingula per ſe,vel mixta.Caſtoriũ verò cõuenit ijs, quibus multitudo,aut frigidi,glutinoſiq; humores ſingultũ excitarunt: dandum enim potui eſt cum poſca: atque etiam cuti cum ſycionio,aut vetere oleo impoſitum prodeſt. Cùm verò ex repletione humorum oritur ſingultus (nam plerunq; ex hac cauſa naſcitur)indiget violenta euacuatione, quæ ſternutamentis affertur. Nauſea excitatur,cùm ventriculus ad vomitum propellitur, nimirum vbi à multitudine prægravetur,aut morſu infeſtetur,aut denique vitioſis ſuccis obſideatur. Quidam autem turbantur, ſed nihil vomunt,in quibus ſuccus is, qui moleſtiá affert,neque multus eſt, neque in ſpatio ventriculi,ſed tunicis continetur: atque in aliquibus, vt aqua in ſpongia,in aliquibus verò ita eſt impactus,vt vix diſſolui queat.Curatio tria potiſsimùm poſtulat, concoctionem,attenuationem,& euacuationem. ergo humores,qui magis pituitoſi & crudi ſunt, quiete,inedia, & ſomno cõcoquuntur. ex alijs, qui tenuiores ſunt, & modicè infarcti,vomitibus eijciuntur,qui tum ex

ptiſſanæ

ptiſſanæ cremore, aut mulſa, tum ex aqua ſola prouocantur. At qui glutinoſi craſsiq; ſunt, & ita ventri culo infixi, aut auelli difficulter poſsint, ad eos opus eſt medicamento, quod humores attenuet. Cùm autem humiditas vitioſa ventriculi tunicas occupat, eam picra ex aloë vtiliter purgat: adſtringentia verò egregiè lædunt: veluti etiam vbi copioſa humiditas ſine malitia humorũ ſit, ac veluti mador quidam exiſtat, quiq; ſola quantitate affligat, adſtringentia vtiliſsima ſunt: medicamentũ verò ex aloë confectum omnes, qui eo vſi ſunt, ad marcorem perduxit. In ijs autem, qui affectionem eſſe frigidam animaduerterint, addenda erunt calefacientia adſtringentibus. Eſſe autem affectionem frigidiorem ſatis magno argumento erit, ſi ſitim æger non ſentiat: cùm enim æger non ſitiat, neque os ventriculi æſtu torqueatur, planè patet non eſſe affectionem calidam. Iam verò oris ventriculi inflammationes, & item iecoris adſtringentia miſceri poſtulant: nam ſi relaxantibus ſolùm vtamur, ægroti vitam in periculo cõſtituemus. quamobrem ſiue oleum, ſiue cataplaſma locis malè affectis imponatur, admiſcere oportebit aliquid, cui cui facultas inſit adſtringendi, vt abſinthiũ, aut nardinum vnguentũ, aut melinum, aut cydoniũ, quod ſimul incoquatur.

Ceratũ, quo aſsiduè utimur. Cap. LXXXIIII.

CApit ceratum ad cõmemoratas affectiones accõmodatum, ceræ albæ vnciam vnam, nardi hyberno tempõre denarios octo, æſtiuo autẽ ſeptẽ, aloës, maſtiches vtriuſq; denarium. Si maiore adſtrictione opus ſit, vt præ imbecillitate ventriculus continere cibum non poſsit, adde parẽ omphacij portionem. & vt omphaciũ, ita etiam abſinthij ſuccum, & quan-

doq; vtrũq; admiſcemus. & tertio itidẽ loco hypociſtidos, œnanthesq;, & rhois ſuccum: deinde cerati multitudo augẽda eſt ita, vt aliorũ quãtitati pro portione reſpondeat. Si verò inueteraſcit, indureſcitq; inflãmatio, magis varia medicamenta, quęq; aromata recipiant, & mollientiũ, & digerentiũ quidpiam habeant, quale eſt, quod ex meliloto conficitur, applicare oportebit. Viridis iaſpis ſtomachi os attingens, ſtomachum iuuat: huiusq; rei magnum ſanè experimentum dedit: cõficiendus autem torques eſt, itaq; collo aptandus, vt iaſpis os ſtomachi attingat. In calida autem ſtomachi intemperie, vt ardeat cum diſſolutione, vel vt anima deficiat, vel quoddam cibi faſtidium vrgeat, ex quacunq; occaſione, præterquàm à febri, aquam frigidam cum omphacij ſucco, aut cydoniorum decoctum, aut clauiculorum vitis, vel ſeminis cucumeris, vt octo ſemina trita, cum aqua dabis: aut mentæ ramulos tritos potui dato. extrinſecus verò veſicam aqua frigida plenam ſtomacho impone, aut niuem adhibe, aut ramenta cucurbitæ. Catapotium ſitim æſtuantibus ſedans. Cucumeris ſatiui ſeminis drach. octo, tragacanthæ drachmæ ſex. ſoluitur tragacantha albo ouorũ crudorum recentium: cumq; fuerit diſſoluta, diligenterq; contrita, cæteris addatur, omnibusq; cõmixtis catapotia fiant, & in vmbra ſiccentur, & tenenda ſub lingua dentur: humor verò qui ex eis fiat, deglutiatur. Hoc verò, & aliud, quod deinceps addã, cùm refrigerat, tum verò etiam firmet ſtomachũ humeſcẽtem, cùm humida calidaq; affectione obſidetur. Aliud. Foliorum roſarum viridium drachmæ ſex, dulcis radicis drachmæ quatuor, nardi Indici tantundem. excipe omnia vino dulci, catapotiaq; confinge, & dato ſub lingua continenda. vel diſſolue ex aqua frigida,

& ca-

& catapotia ad ciceris magnitudinẽ confice. Iis autem qui refrigerati sunt, & in quibus pituita propter crassitudinẽ calefieri, dissecariq; postulat, conuenit hoc, quod sequitur: Corticis radicũ fœniculi vnciæ sex, aceti sextarius, aloës vnciæ tres. radices in aceto coquuntur, cumq; coctę fuerint, & expressæ abijciũtur, mel deinde affunditur, & decoquitur, tum aloë cõmiscetur, danturq; huius cochlearia tria ex aqua. idq; nõnulli sine aloë conficiunt. quibus autem cibus acesit, hoc accommodatum est: Piperis drachmæ quatuor, seminis anethi drachma vna, cumini quatuor. hæc terito, & dormituris cochlear vnum ex vino diluto dabis. Iis verò qui atrã bilim gignunt, & stomachus flatu læditur, spongias aceto acerrimo imbutas, præsertim verò in accessionib. imponeS. Si dolor perseuerarit, alumen liquidum cum ære trito, melle exceptum superdabis. ei verò cuius stomachus distentus, ac flatus plenus sit, nepetæ decoctum, refrigeratum aqua sub dio, addito modico mellis, & piperis drachma vna offeres.

Ad Stomachi subuersionem. Cap. LXXXV.

FAcit autem ad stomachi subuersionem hoc medicamentum: mali granati acidi nucleorum succi partes tres, mentæ succi pars vna. conjectas in vas fictile semper mouendo coque: cumq; in vnũ coiuerint, ab igni aufer, & cùm vti velis, dato mistrũ antę cibũ.

De flatu uentriculi. Cap. LXXXVI.

GIgnuntur autem in ventriculo flatus ex humoribus, aut cibis, qui à calore tepido in vapores dissoluuntur: refrigeratio enim quia attenuare, dissolueq; suapte natura non potest, flatus nullos excitat. calor autem vehementior non solùm attenuat, atq; dissoluit, sed etiam digerit. ergo flatus procreatio-

nem impedit. at imbecillus calor fundit & cõmutat quidem alimentum, ſed minus quàm oportet. itaq; ex eo flatus gignũtur. quocirca calefacientibus medicamentis eos oportet attenuare, vt ſi oleo cuminum, aut apij, aut dauci, aut ſpondylij ſemẽ incoxerimus. Si cum affectione ſit coniuncta frigiditas, rutam, baccas lauri, melanthiũ, fœniculumq; oleo incoquemus. tum bitumen, & oleum laurinum admiſcebimus. Sed ſi inflammatio dolores comitetur, loco eorũ quæ calefaciunt, relaxantibus vtemur: anethum enim incoquemus, & anſerinũ adipem, & gallinaceum addemus. Ad eos autẽ qui flatu torquentur, facit polij faſciculus coctus, & in potu ſumptus: aut etiam nepetæ decoctum mellis portiuncula, aut piperis adiecta. atq; hæc quidem, cùm dolor vehemens vrget, imponenda ſunt. at cùm moderatus eſt dolor, ſufficiunt fomenta ex milio, aut pannis lineis. cucurbitula quoq; ampla, quæ vmbilicum ex omni parte comprehendat, ſæpenumero laborantes morbo liberat. Iam caſtoreũ in potu ſumptum, vel ex poſca, & foris ex oleo ſycionio impoſitum iuuat, etiam ſi flatus ſint tales, vt circa vmbilicum inteſtina torqueantur. rotunda autem ariſtolochia dolores eos curat, quos obſtructio, aut craſsitudo ſpiritus gignit. eos verò qui excitantur à ventris obſtructione, aut craſsitie, vinum meracius à cibo ſumptum ſanat: ſiq; ſomnus acceſſerit, eos perfectè ſedabit.

De *colicis*. Cap. LXXXVII.

QVibus in colo, atque inteſtinis mordax humor inſidet, ij à calidis alimentis, medicamentisq; lędun tur: & à cibis abſtinẽtes exacerbantur. vſu autẽ temperatarum rerum in meliorẽ ſtatum rediguntur. ergo in primis clyſteri vtendum eſt ex muſſa, aut ſuc-

coptissanæ, cibiq; offerendi boni succi, quiq; difficulter corrumpãtur: fugienda verò quæ attenuant, & calefaciũt. Cæterùm humores aut euacuãdi sunt, aut temperandi. cùm neutrum horum facere queas, ad vsum eorum, quæ stuporem inducunt, confugiendum est: in ijs enim qui in hac sunt affectione cõstituti, nõ solùm dolor leuatur ijs, quæ sensibus stuporem afferunt, sed etiam ijdem magnopere iuuantur, si humorum tenuitas incrassetur, & eorundem caliditas refrigeretur. Cùm autem humores, ex quibus dolor oritur, crassi, glutinosiq; sint, nullo pacto offerenda erunt, quæ stupefaciunt: videntur enim releuari illi quidem interim dum obstupefaciẽtia adhibentur, cùm solus sensus stupefiat, sed tamen postea deterius afficiuntur, cùm humores magis incrassentur, & difficiles ad excernendum reddantur. Hos ergo curabimus non vsu quidem eorũ, quæ vehementer calefaciunt, siquidem ab ijs dolores augentur, cùm humores fundantur, & flatu impleãtur, sed incidentibus citra vehementem calorem, & flatus expertibus. & quoniam allium est maximè omniũ flatus expers, si febris non adsit, id dabimus, & theriacã. atq; ita affectiones huiusmodi egregiè iuuabimus. at si febris hominem occupet, fomenta ex milio adhibebimus. & in oleo tenuium partium aliquod semen incoquemus eorum, quæ sunt flatus expertia, tum per colum traijcientes, & oleo adijcientes adipem anserinum, aut gallinaceũ ad proportionem clysteri injiciemus. si per hęc dolor non sedetur, iterum imponemus, oleoq; miscebimus castorij & opij vtriusque non maiorem quantitatem, quàm ad fabæ magnitudinem: quam in olei heminam ponamus. Hoc autem medicamento possit quis floccos lanæ imbuere, & quamplurimũ queat in anum indere. sed flocci valde

de sunt filo alligãdi, vt cùm oporteat, facilè euellantur. Lupinum stercus datum, præcipuè autem quod candidum est, ex aqua, aut vino tenuis consistentiæ colicos summopere iuuat: idq; non solùm in accessionibus, sed etiam in interuallis: hoc enim vel perfectè morbum sedat, vel mitiorem reddit, facitq; vt in longius spatiũ temporis differatur. melius autem est, si in terrá stercus non cecidit, sed in virgulto aliquo, aut herba residens cõperiatur. atque etiam ossa in eo inueniuntur, quæ ab animali non fuerunt concocta, quæ trita, & potui data ipsa quoque colicis prosunt. Cùm purius & mundũ reddiderimus, dandum est mixto sale, & pipere, aut aliqua re suaui. ac mirabile est, quàm perspicuè prosit, si lumbis apponatur. sed stercus debet in licio, quod ex lana alicuius animalis à lupo morsi factum sit, extensum cuti imponi. Si lanæ eorum, quæ à lupis demorsa sunt, tibi non suppetant, poterit appendix ex loro ceruino confici. præterea verò corydis auis ius sumptũ eosdem iuuat.

Ad dysentericos, & cœlacos. Cap. LXXXVIII.

DYsenteriam, hoc est, tormina intestinorũ, etiam depascentem Lemnium sigillum & epotum, & infusum curat: prius enim abluenda est vlceratio mulsa meraciore, deinde muria, tum Lemnia terra ex plantaginis succo infundenda. potui verò danda est posca diluta, & lac caseosum, quod conficitur lapillis ignitis coniectis, donec cõcoquatur, & plurima seri pars absumatur. estq; præstantissimum dysentericorum, & omniũ, quibus defluxiones acres aluum exercent, remedium. Stercus caninum tritum lacti sic parato misce: facies enim medicamentum ad dysentericos accõmodatissimum. sed canis nihil, præter ossa,

ossa debet comedere: sic enim fœdum odorẽ nõ exhalat, & candidum stercus est. Alui quoq; defluxiones exiccat ouum ex aceto coctũ, & manducatum. si misceri velis aliquid eorum, quę ad dysentericos, & cœliacos valent, in sartagine ad ignem fumi expertum assatũ dabis: magnopere enim homini laboranti proderis. Vtilissimum verò est omphacium, rhus rubrum, eiusq; succus, cinis cochlearũ omnium assatarum, malicorium, galla, acini, mespila, myrta, corna. cochlearum cum testa combustarum cinris partes quatuor, gallarum partes duæ, piperis pars vna, in puluerem redigantur, & inspergatur obsonijs, vel ex aqua, aut vino albo diluto potui dẽtur. iuuat hoc mirificè dysenterias, in quibus vlcus putridum nõdum est. portulacæ succus epotus dysentericis conuenit: & item plantaginis succus, rubique fructus & folia, radicis althææ decoctum, & ad dysenteriam, & ad fluorem alui efficax est. ad idem egregiè facit cauda equina ex aqua, aut vino epota: simili quoque modo eius succus.

Ad alui fluorem, ad cœliacos, stomachicos & nephriticos. Cap. LXXXIX.

DIarrhœam verò, id est, alui fluorem, sanat adiantum, paliuri folia, radix pinus, cortex piceæ, lenticula bis cocta, & priore aqua abiecta. acini autem cuiuscunq; affectioni ventris & intestinorũ ex defluxione ortæ valde prosunt. Spica nardi, oxyacãthæ fructus esui datus, & epotus, spina alba cœliacos, & stomachicos iuuat. mori fructus intempestiuus exiccatus medicamentum efficitur, quod abundè adstringit: itaq; valet ad dysentericos, cœliacos, & omnes alias affectiones, quæ ex defluxu nascuntur: id enim contunditur, & obsonijs inspergitur, quemadmodũ

etiam ixię fructus. aut etiam ex aqua, aut vino si quis malit, potui dabitur, sed per se magis idoneus est. rubi quoq; fructus exiccati, & repositi conueniunt.

Ad lumbricos. Cap. XC.

LVmbricos rotundos satis interimit absinthium, abrotanum, nepeta, cardamomum, brassicæ semen, menta, lupini amari, qui vel imponantur modo cataplasmatis, vel ex melle deligãtur, vel ex posca in potu sumantur. melanthium verò non solùm manducatum, sed etiam foris aluo illitũ lumbricos enecat. idem faciunt folia persicæ ventri superposita. Ascaridas verò tollunt hæc, quæ intra corpus infunduntur, vt nepetæ succus & cedria. Latos verò occidit mori radicis cortex, filicis radicũ drachmæ quaternæ in mulsa exceptæ. vel chameleontis albi radix ad quantitatem quartæ partis heminę cum vino austero. eosdem quoq; necat costus.

De morbo tenuioris intestini, quem ἕλκος, hoc est, uoluulum nominant. Cap. XCI.

VOluulus morbus cùm difficilis est, tũverò si quis in eum incidat, rarò euasit. ac maximè mortiferum esse eum scire conuenit, qui fœtidus nominatur, in quo vel stercus euomitur, vel fœtida est expiratio. quandoque autem huiusmodi ructus fit, quandoq; verò totius corporis odor teterrimus excitatur. qui hoc morbo tenentur, mirificè iuuantur, quamuis etiam stercus iam vomant, si frusta panis calida in oleo comedant: seruabuntur enim etiam si iam suffocentur. Ad eos autẽ qui frequenter vomũt, cibumq; non cõtinent, rhus & cuminum in eodem tritum in senis oxymelitis cyathis ad põdus denarij vnius bibendum offeres. aut foliorum, aut clauiculorum vitis succum potui dato.

Ad

Ad sedis affectiones, inflammationem, & cùm procidit. Cap. XCII.

GAllam flauam decoque, & in puluerem redige, ac sedis inflàmationes, anumq; procidentē illine. Si opus sit valētiore remedio, in vino: si mitiore, in aqua decoquito. Succus quoque lentisci ad sedem, & ad vterum procidentē valet. Aliud: pini corticis drachmæ octo, cupressi globulorum siccorum drachmæ duæ, plumbi tantundem, vino austero deterge omnia, & tritis vtitor.

Ad ardentes sedis dolores. Cap. XCIII.

AD ardentes autem sedis dolores oui assati vitellum tritum vino albo & rosaceo cerato exceptū illine, & cataplasma impone, quod ex pane puro trito, cui aqua & rosaceū, & oui vitellus assatus adiungatur, factum sit. Aliud: rosarum drachmæ tres, quorum assatorum vitelli numero duo ex vino albo læuigentur, & cerato rosaceo excipiātur, eoq; ita vtitor.

Ad pruritus sedis. Cap. XCIIII.

SEdis verò pruritus tollit cimolia in puluerem redacta, ceratoq; myrteo excepta, atq; illita. ad idem etiam valet terra Cretica.

Ad sedis, pudendiq; rimas, & de hæmorrhoidibus. Cap. XCV.

AD ani, & pudendorum fissa, & ad hæmorrhoidas ramenta cineris sordidi linteorum combustorū, & amylum ad pares portiones terito, & succum foliorum oliuæ admisceto, & illinito. Hæmorrhoidas verò nimias cohibet aloë impositā, aut squama ferri, aut plumbū vstum ex posca perfusum: & item perfusio spissamentorū vnguēti. Aperit aūt hæmorrhoi-

des edulium ex alio & alijs pleriſq; cõfectum, quod μυτ[illegible]ν vocant, ſi quis eo veſcatur, & amaricinũ, atque irinum vnguentum illitum. cohibet verò confeſtim hoc, quod habet acaciæ rufæ drachmas quatuor, plumbaginis tantundem, tragacanthę tantundem. combuſta hæc læuigato, ac miſceto, & aqua diluta in linteum inde, atq; impone. tollit autem hæmorrhoidas mirabiliter hoc medicamentũ: cicutæ, aridæ drachmæ IIII. hyoſciami expreſsionis drachmæ IIII. aluminis ſciſsilis drachma vna, cerato roſaceo excipiuntur. Præterea acidi punici cortex tritus, & ex aceto impoſitus ad idem valet. Si verò hæmorrhoides interius deliteſcant, medicamentũ forma glandis impone. Mirabile eſt etiam hoc quod ſequitur: ſandarachæ, auripigmenti, aluminis ſciſsilis ſingulorum drachmæ octo, his ægrum aptè præparatum & locatũ obline: ita enim hęmorrhoides areſactæ, & de ſede turbatæ, in ſemihora morientur, ac decident. inijcitur autem lixiuium ſtillaticiũ, & ceratum in orbem applicatur, fitque id vel ſub ſole, vel ad ignem.

De iecoris affectionibus. Cap. XCVI.

CVM inflãmatio iecur obſidet, tum dolor, & febris omnino comitatur. Ergo ſi corpus repletum ſit, euacuetur, & quod in ſanguine ſuperfluit, venæ ſectione in cubito dextri brachij reuellatur. Pro cibo autẽ in principio ptiſſana danda eſt, vt medicamentum verò oxymel dilutius temperatũ, & apii decoctum. Vbi verò iam concocta fuerit inflãmatio, aſaro, & nardo gallico, & petroſelino, & iunci odorati florę vti poteris, & itmm ijs, quæ aluum ſubducunt, vt vrtica, mercuriali, & epithymo: in declinationibus verò, etiam polypodio. Euacuatio etiam clyſteribus

ribus peragenda : atq; in principio ex mulsa cum sale,& nitro : cùm adest declinatio, hyssopum, origanum, aut colocynthida addere potes : nam ad hoc viscus,quod facilè indurescit, opus est abstergentibus.Cùm dolor sine febri vrget,scire conuenit,obstructionem vehementem à crassis,glutinosisq; humoribus ortam in viscere factam esse. Scirrhum autem incipientem possit quispiá sanare: inueteratum verò nullo modo.Si in aqua inter cutem scirrhus oriatur,longiore tempore interibunt.qui verò curari possunt, ij medicamentis calefacientibus,& attenuantibus,quibus mollientia mixta sint,curátur.Iecur autem imbecillum reddunt intemperies,quæ & difficillimæ sunt,& satis varias ac difficiles symptomatum formas inducunt:& quæ eiusmodi sint,vt ne ab ipsis quidem medicis tractari facilè queant. Viticis autem semen iecur scirrho affectum iuuat. Obstructo verò iecori prosunt plantaginis siccæ radices,fructus,& folia,myacantha,& præcipuè semen, ac radices.lauri radicis cortex trium obulorum pondere cum vino odorato epotus : eupatorium, quod etiam particulæ robur addit: lupinorum amarorum decoctũ cum pipere, & ruta epotum:idem facit eorum farina illita, & capnium post hæc impositũ. spica nardi pota. & extrinsecus imposita : iris : pistacij fructus, marrubium, amygdalæ, dracuntij radix expurgat viscera omnia. crassosque, ac glutinosos humores attenuat agaricum. anthemis aut chamæmelum est præcordijs propitiũ. Sed præstant omnibus cichorea & seris in calida iecoris intemperie,ac sum mopere prosunt, firmitatéq; eidem addunt,ipsumq, abstergũt.dabis ergo cichorij,aut seridos succi cyathum vnum cum aquæ cyathis tribus, & vnum attici mellis cochlear addes. Horum autem non solùm

succus vtilis est & recens,& exiccatus,sed etiam folia sicca studiose contusa, tum potioni insperſa.quæ si quis etiá cocta bibat,ei valde proderunt.Cùm verò intemperies calida non est, sed iecur sola obstructione laborat,herbæ ex vino albo & tenui potę mirum in modum iuuant.iecur lupinum diligenter teritur,daturq; eius drachma vna ex vino dulci. quod sui magnum admodum experimentũ dedit. conuenit enim omni intemperiei, vt quod ex proprietate substantiæ,& non qualitate vlla agat.Cùm verò non obscura febris est,melius est id ex aqua dare:& multò etiam melius cum aliquo ex succis antedictis, vt ex succo feridis. Philonis quoq; medicamentũ mirabile in hoc casu est,& quandoq; semel datum calidam iecoris intemperiem curauit.

Compositum medicamentum, quod aperiendi uim habet. Cap. XCVII.

HOC medicamentum capit amygdalarum amararũ denarios tres, cumini, seminis apij singulorum denarium. dato cochlearium ex vino. Alius pastillus.Anisi,seminis apij,asari, amygdalarũ amararum, purgatarum, absinthij singulorũ drachmas quatuor excipe aqua, trochiscos conforma drachmæ vnius, non febricitantibus cum vino diluto,febricitãtibus verò ex hydromelite dabis.

De *aqua inter cutem.* Cap. XCVIII.

AQua inter cutem fit vel propter excedentem iecoris frigiditatem, vel ex frigidi sanguinis multitudine,quę in tota mole corporis redũdet,vel ex quibusdam alijs partibus valde refrigeratis, quæ iecur non secus quàm ipsæ sunt, afficere possunt:nisi enim refrigeratum iecur sit,hydrops effici non potest.Simul autem iecur afficitur, cùm lien, ventriculus, & inte-

inteſtina, præſertim verò ieiunum, itemq; cùm pulmo, renes, & ſeptum tranſuerſum fuerint refrigerata. Fit etiam hydrops ex immoderata hæmorrhoidum euacuatione, & fluxu muliebri, atque etiam ex menſtruis purgationibus ſuppreſsis. eius autē tres ſpecies ſunt, quarum vna aſcites nominatur, in qua humor tenuis ea loca implet, quæ infra thoracem ſita ſunt: altera tympanias eſt, quæ eadē loca flatu implet: tertia dicitur hypoſarca, in qua totum corpus intumeſcit, & cadaueri ferè ſimile redditur. Hydropicorum verò curatio non eſt omnino, & cuiq; facilis, indigetq; artificis præſentia. ego tamen quędam ſubijciam, ad curationem accómodata, quæ tu quoque poſsis efficere. Stercus igitur bouis gregarij ſic cum diligēter tere, in poſca coque, modò farinę hordeaceæ, ſulſuris quartam partem inſperge, & ſuper totius ventris capacitatē impone. aut caprinū ſtercus in vrina pueri, aut caprarū ad luti ſpiſsitudinem ventri applicata ſummè eos purgat. dabis etiam potui decoctū radicis nepetæ, aut apij, aut corticis radicis ari, ex vino. aut cucumerē ſyluęſtrem vino auſtero triduum macerato, & cyathum vnum dato, & ita progrediens ad tres vſque cyathos prębebis. vel ſquamæ drachmam vnam medulla panis excipe, catapotia confinge, ac da. Vehementer autem aquam educit hoc epithema, fœnugræci vnciæ quatuor, farinæ hordeaceæ vnciæ tres, ſtercoris columbini vnciæ quatuor, reſinæ fractæ libra, axungiæ veteris lib. duæ: quæ liquari poſſunt, liquantur, alijsq; prius in aceto tritis affunduntur. his vtitor.

De morbo regio. Cap. XCIX.

SI quando per criſin arquati fiunt, facilè ſaneſcunt vſu balneorū, ex aqua dulci factorum. & frictionum

cum oleo aliquo, quod digerendi vim habeat, quale est chamęmelinum, anethinum, liliaceum, & amaracinum. Si verò ex iecoris obstructione in morbū regium, aut arquatum aliqui cadant, si quis prius obstructione iecur liberarit, deinde medicaméto vtatur, quo bilis euacuet, is facilè, & citò laborantē curabit. Conueniūt autem arquatis ex iecoris inflammatione omnia, quæcunq; inflámationes sanāt. cæterū semen atriplicis arquatis prodest, itēq; nepeta, & cyclamini radix: siquidē viscus expurgat, & bilim, quæ in toto corpore est, per sudores excernit. id verò quod potui datur, vsque ad drachmas senas cum passo, aut mulsa esse debet. sudores quoq; adiuuandi sunt. Aliud, Cicerum sextarius in fasciculum adianti, quantum manu capere possis, & asparagorum palustrium radicum manipulum, & aquæ heminā conijciatur, decoquat, & humor percoletur, ac febricitantibus detur cum aqua, non febricitantibus verò cum vino. sed dato etiā potui lichenes in petris, aut fictilibus nascentes, ex hydromelite. marrubij succus per nares ictorum purgat: similiq; modo elaterium in naribus cum lacte infusum. Cùm autem reliquę partes corporis in suo statu sint, oculi verò pallidi maneant, dato aceti acerrimi cochleariū, quod in balneo per nares attrahatur: ita enim magna vis biliosa effluet. aut melanthiū in aceto acri macerabis pridie, ac sequēti die iterū cum aceto læuigabis, & per nares in nasum infundito, facitoque vt æger exugat, & absorbeat. quandoq; etiam in oleo vetere melanthiū læuigabis. Aliud experientia valde comprobatum. Rafanorum viridium cum folijs succum cape, eiusq; dato ieiunis cyathum vnum, aut duos in balneo calidariū ingressuris: videbis enim bilim effundi. Aliud, cuius magnam experientiam accepimus.

pimus. Aphronitri drachmas duas in vini aminæi cyathis sex, per totam noctem sub dio contine: & da potui triduo, aut quatriduo.

De *lienis affectionibus. Cap.* C.

CVM lien inflammatione occupatur, scirrhũ statim cõtrahit, sanguine qui in venis est, propter crassitiẽ impacto. ergo opus est medicamentis attenuantibus, quæ non manifestò calefaciant. quibus etiam aliquid adstringentium admiscendum est: vt particula firmata propriam actionem seruet. Hanc autem vim habere suapte natura videt flos salis, qui in vesica appositus lienis scirrhos curat: post cuius vsum valentioribus vti remedijs oportet. Compescit autem sine molestia lienem cortex radicũ cappareos, sed nihilominus induratũ lienem iuuat foris impositus, quàm in potu sumptus in aceto, aut oxymelite, cùm aridus in puluerem redigitur: ita enim epotus crassos, tenacesq; humores, & quandoq; etiam cruentos, atq; eos non modò per vrinam, sed etiam per aluũ euacuat. Idem facit minoris centaurij succus extrinsecus positus, & epotus, & cyclaminus viridis, & arescens, si illinatur, violæ albæ radices cum aceto, acorum, ammoniacum, caprinum stercus illitum ex posca, cum farina hordeacea: albæ vitis radix potui data, & foris cum ficubus applicita. lupinorũ amarorum decoctum cum ruta, & pipere in potu acceptum: eorum quoq; farina illita: aqua in qua ferrum igni candens sæpe extinctũ sit: hanc febricitantibus per se dabis, non febricitãtibus, cum vino. Cinerẽ cochlearũ cum aceto illine, aut capparim aceto maceratam, tritam, & cyprino cerato exceptã impone: aut fæcem ex acri aceto applica. Cataplasma autem adhibe, quod capit fœnigręci vncias IIII. fa-

rinæ hordeaceę vncias tres, seminis cardamomi vnciam vnam, ficuum pinguiũ libram vnam, verbenacæ vnciam. ficus autem aceto acerrimo perfunde, & adactis viribus contunde in mortario, & cætera misce: omnibusq; in vnum redactis vtitor.

De ueſicæ, & renum affectionibus, deq; lapillo. Cap. CI.

SEroſum excrementum tenuiſsimo ſanguini in venis cómixtum renes ſuapte natura in ſe trahunt. vbi ergo meatus, per quos tale excrementũ attrahitur, magis quàm par eſt, fuerint dilatati, veriſimile eſt cũ tenui ſanguine craſsiorem quoq; materiam in renes importari. Siq; renes magis igneã, acremq; temperaturã nacti ſint, neceſſe eſt craſsiorẽ illam materiam excalefactam, & ſiccatam in arenæ, lapillorumq;, tofi ſpeciem referentium, formam cõcreſcere. Ex quo fit, vt lapidem frangentibus & incidentib. citra perſpicuam caliditatẽ medicamentis vti oporteat: cùm enim maior caliditas magis exiccet, calculorum, aut arenæ concretionem adiuuabit. accõmodata igitur ſunt hæc: regiorum aſparagorum radices, rubiq;, vitrum combuſtũ, graminis radix, adiantũ, bdellium, lauri radicum cortex, althææ ſemẽ, cicer arietinum, præſertim verò nigrum, ceraſi arboris, & pruni gummi, cyperi radix, paliuri fructus, tribuli fructus, lapis ſpongiarum, acetum ſcilliticum, maluæ agreſtis radix. Apij autem radicem in vino coque, humoremq; exprime, atq; eius cyathos binos, & aquæ tantũdem potui dato. Cæterùm lapides qui in renibus ſunt, in declinante ætate: qui verò in veſica gignunt, in puerili fieri conſueuerunt. Medicamentum verò, quod calculoſis inſpergit, fit hoc modo: balſami fructus, lapidis ſpongiarum, pulegij ſicci, maluæ agreſtis ſeminis

minis pares portiones cõtundito, cribratoq;, & cochlear vnum ex duobus vini diluti cyathis dato. At renum & veſicæ inflammatio præcipuá curationem poſtulat: cùm enim ſeroſum excrementũ per eas partes purgetur, ſequitur, vt ſi id acre, & bilioſum in toto ſit corpore, nullo eorum, quæ vrinã cient, vti debeamus: nocebunt enim, vtpote mordaces ſuccos partibus inducentia. Si verò nihil tale ſubſit, neque malitia humorum in toto corpore ſit, mulſa dilutior potui dabitur: ea enim inflammationes ſoluit, citra morſum humores impactos euacuans: nam & incidit, & attenuat, & rarefacit. atq; id quidem quod de mulſa exempli gratia diximus, ad omnia quæ attenuant, & incidunt ſine mordicatione, transferri poteſt. & quemadmodum particulis omnibus inflãmatis quies cõuenit, ita has quoq; in quiete eſſe melius eſt. ſed cùm quieſcere non poſſint, quia ipſa vrinæ ſint inſtrumenta, perexiguam admodum portionem dare oportet, vt quo longiore tempore fieri poſſit, conquieſcant. Id præterea videndum eſt, totúmne corpus acrium excrementorum ſit plenum, nec ne: nam ſi ita ſit, quò plures humores ad renes & veſicam ferantur, eò conualeſcent, potuſque copioſior erit offerendus, acrimoniaque minus obtundenda, præſertim nobis, quę mordicationes obtundunt, cõmiſcentibus. in tempore verò inflammationum cataplaſmata, & medicamenta, & irrigationes ex oleo, & cætera omnia, quæ inflammationes ſoluunt, adhibere oportet. Ad renum autem, veſicæq; affectionem inflammationis ſenſum referentẽ vtere hoc, quod habet ſeminis lini drachmas duas, amyli drachmam vnam. dato cochlear moderatũ ex aqua bibendũ. Dolores verò circa ilia, horrores inęquales per interualla, febresq; inordinatæ accidunt ijs,

qui abſceſſum habent in renibus : quo abſceſſu concocto pus per vrinam excretũ adeſſe vlcus teſtatur, quod celeri indiget auxilio: ſi enim ad cicatricẽ non citò perducatur, difficilem curationem reddit. Vlcera verò quæ in renibus, quęq; in veſica ſunt, ex ſitu, actione, proprietate eorum ſubſtantię, & facultate diſcernuntur. Ex ſitu ad hunc modum: cùm veſica patitur in pube, imoq; ventre dolor ſentitur. at renibus affectis, lumbi poſterius dolent. Ex actione, difficultas vrinæ, eiusque ſuppreſsio fit, cùm veſica morbo cauſam affert, ſed renibus laborantibus vrina ſine impedimẽto it. Ex corporis proprietate, carnes fibroſę ex renibus excernunt, ſquamę verò membranoſæ ex veſica vlcerata. Ex ipſa deniq; facultate, quia in vlcerationibus veſica vehemẽti dolore cruciatur, renes verò obſcurè dolent, & quaſi ponderis ſenſum in lumbis afferunt. in meatibus quoq; vrinæ exulceratio quandoq; oritur, pusq; & ſanguis mingitur : ſunt enim hi inter renes & veſicam collocati. ſi verò exulceratũ pudendum ſit, pus & ſanguis citra vrinam excernuntur. Ad abſceſſus renum, & veſicæ : ſeminis lini, ſeminis cucumeris, ſeminis papaueris albi, tragacanthę, ſingulorũ drachmę duę, amyli drachmæ quatuor. paſtillos confice, & da. Ad vlcera veſicæ cum inflammatione: nuclei pinei numero viginti, cucumeris ſatiui ſeminis grana XL. amyli, nardi ſingulorum drachma, ſeminis apij drachmæ quinq;. nardum & apium decoque, tum ex decocto duos cyathos præſcriptis admiſceto. Antidotus ad eos, in quibus pus fluit. amygdalarũ amararũ drachmæ duæ, ſeminis cucumeris drachmæ quatuor, papaueris albi ſeminis tantundem, tragacanthæ drachmæ duæ, ſeminis maluæ tantundem, baccarum myrti nigrarũ drachmæ duæ, amomi drachmæ quatuor,

nu-

nucleorum pineorum drachmæ quatuor, ouorũ vitelli assati duo, mellis sextarius. datur ex hoc cochlear cum vino diluto. Ad eos, quibus ex vesica sanguis effluit: aluminis sciſsilis drachma vna, tragacanthæ drachmæ duæ, gũmi obulus vnus. dato ex passo.

Ad vlcerationes pudendi, sedis, uteri, & ueſicæ. Caput CII.

PVdendorum, aniq; vlcera, quæ sine inflammatione sunt, medicamẽta valde exiccãtia postulant: quale est id, quod ex charta combusta fit, anethumq; vstum, & arida cucurbita cremata. humoris verò expertibus ac recentibus vlceribus etiam aloë arida in puluerem redacta & applicita bonum medicamentum est: sed omnium maximẽ dolorem lenit, & nihilo tamen minus efficax est pompholyx. Si vlcera humida sint, pini cortex per se, & lapis hæmatites conueniet. Si verò etiã altè descendant, prædictis manna miscebitur. Vteri autem vesicæq; exulcerationes ijsdem remedijs curãtur, sed opus est instrumentis, quibus intromittantur. atq; ex medicamentis, quæ inspergunt, aptiora sunt ea, quę sicciora sunt, vt crocus, & pompholyx, & aloë rosaceo mixta, tum plantaginis, aut alio etiam simili succo excepta. Ad scroti, & pudendi affectiones. ad dolores scroti, pudendiq; paribus butyri, ac resinæ portionib. vtitor. vel lini semen cum aqua decoque, additaq; myrrhæ, & resinæ decima parte, illine. Ad pudendum verò intus mescens facit hoc: vitis folia triginta, thuris drachma vna, ceruſſæ drachmæ quinq;. tere omnia, atque illine. Vtere etiã marinæ frigidę perfusione, & quiete, & colis deligatione. Si vlcera in scroto ex sudoribus gignantur, gallam tritam, aut alumen inſperge. Ad excrescentia verò, quæ thymia dicuntur, elatę-

rium infunde, piri ſemen cõtritum impone, aut menularum capita contere, & illine, & hircino felle obline. Rimis verò pudendorum prodeſt reſina fricta cum roſaceo, in pila plumbea cum oleo contuſa.

Ad inflammationẽ teſticulorum. Cap. CIII.

SI teſtes obſideat inflammatio, vuam paſſam eiectis granulis, & cuminum trita imponito. aut hordei farinã aqua mulſa incoquito. aut vitis folia tenera trita cum polenta ſuperdato. aut cuminũ tritum cum butyri & reſinę pari portione eliquata adhibeto. Teſticulos verò vlcere aphthis ſimili correptos terra Cimolia ex aqua obline, ſineq; ſicceſcere, & aqua calida ablue, tum myrto arida trita, & modico ſmyrnio trito inſperge. Carnem verò in teſtibus excreſcentem cinis ſarmentorũ cum nitro & aqua ſubactus, atque illitus curat.

De priapiſmo. CIIII.

PRiapiſmus eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinem, & in orbem tumefacti, ſine rerum venerearum appetitu. eſt aũt flatus ventoſus, qui membrum tumefacit, ex humoribus glutinoſis & craſsis à magna caliditate genitus. Planũ verò eſt, non opus eſſe membra calefacere, ſed leniter refrigerare cerato roſaceo, cum aqua conquaſſato, & ex chamæmelino pudendo & lumbis impoſito. Victus autẽ ratio, medicametaq; adhibenda ſunt, quæ vim atteuuandi citra manifeſtam caliditatem habeant. vtendum etiam eſt ijs, quæ ſuapte natura ad hoc valent, & experientia nobis cõmonſtrauit. Itaq; nymphæa in potu danda eſt, itemq; viticis ſemen, ac ruta viridis obſonijs miſcenda, ſed hæc quia abundè calefacit, in principio danda nõ eſt, ſed poſt aliorũ extenuantiũ vſum. Qui euacuatione vti velit, id vomitibus faciet: euacuatio-

cuationes enim quæ per inferiores fiunt, sæpe vicinas partes fluxione tentant.

Quæ res ad usum rerum uenerearum excitent, & tensum priapũ reddant Cap. CV.

AD hoc facit semen vrticę, bulbus, semẽ rapi, dauci radix, & eius semẽ modicę, menta, costus vna cum vino mulso stimulat, satyrium, eruca, cicer, faba, polypodes, nuclei pinei, orminũ, semen anisi, radix ari, quæ cocta esui datur. partes renibus scincorum adiectæ potui dantur, vt quæ ad intendendum pudendum valeãt. oua perdicis ad res venereas stimulant: porri semen in vino sincero potum, vulpini testes epoti ed cochlearis quantitatẽ sine vlla noxa, & non fallacem intentionem priapo parant.

Quæ res uenereas cohibeant. Cap. CVI.

SVpprimere coëundi appetitum viticis semen frictum, & non frictum, & folia, & flores crediderunt: ac non solùm esui, potuiq; data, sed etiã in lecto sub strata. cohibet simili modo ruta. lenticularum verò decoctũ sedare impetus existimatur, & item portulaca in cibo sumpta, & lactucæ semen epotum.

De gonorrhæa, & pollutione, quæ in somnis fit. Cap. CVII.

LActucæ semen epotũ seminis humani fluorẽ, qui gonorrhæa dicit, cohibet. quocirca datur etiam ijs, qui in somnis semen emittunt. Ad idem valet canabis agrestis fructus, si largè potetur. plumbi lamina lumbis imposita iuuat eos, quibus dormiẽtibus pollutiones contingunt. nymphææ radix, & semen cohibet genituram, & pollutiones somniorum emendat, & item in vino nigro austero potũ corrigit eos, qui alioqui nimio impetu ad vsum rerum venerea-

rum trahuntur. anethi quoq; semen idem facit.

Ad urinam non continentes. Cap. CVIII.

QVI continere vrinam non possunt, ijs vesicam caprinã, aut ouillam combustam potui dato ex posca, idq; vesperi cùm siti vrgentur, & somnum imperato. Valet ad eandem rem aquilæ cerebrum ad ciceris magnitudinem cum pari anserini adipis, & gummi portione, quæ omnia simul bibantur, vel concreta comedant. Leporis testiculos in vino odorato fer uefacias, ac potui dabis: ita enim salutẽ ægroto cõparabis. prẽterea nepetam, & myrrham in vino ante cibum bibendum da. illinatur quoq; pudendũ creta Cimolia cum perdicij succo. atque ita hominem seruaris.

Ad affectiones uteri. Cap. CIX.

AD suffocationes, quæ ex vtero fiunt, accõmodatum est agaricũ ad drachmæ pondus cum vino datum, & plãtaginis fructus, & succus ex vino: vnguis cochlearum epotus, acetum scilliticum, quod absorbeatur. Olfacta verò suffocatas excitant hæc: bitumen, castoreum, galbanũ, pix liquida, cedria, accensum & restinctum ex lucerna linamentũ naribus admotum, capilli combusti, ruta, silphiũ, cepa, & alliũ. Suffitus prẽterea fiunt ex lapide gagate, vngue purpurarum, bitumine, castoreo, galbano, silphio, cornu ceruino. ano autem ruta cum melle lana excepta imponitur.

De ciendis menstruis purgationibus. Cap. CX.

SI prouocare menstruas purgationes velis, triduo aut quatriduo ante tempus statutum, in quo moueri per se deberent, venam secabis, aut scarificabis, & ita ab vno pede parum sanguinis detrahes: postridie verò eius diei ab altero pede sanguinem mittes eodem

dem modo, interim attenuante victus ratione instituta. initium quoq; curationis potest ante quinque aut sex dies sumi. vbi verò à talo euacuaris, dato castoreum cum pulegio, aut nepeta: hoc enim summè purgationes ipsas mouebit. sed & pulegium, & nepeta decocta in mulsa, & item arida & contusa, atq; in puluerem redacta egregiè prouocant. idem facit nepeta mulsa persperſa. huius autē potionis tempus accōmodatum est post balneum, cùm nondum quicquam comederūt. Sed efficacius, & valentius his est dictamnum & herba Sabina: quæ eodem modo dare conuenit. Vtiliter quoq; datur hoc tempore picra, quæ capiat aloës drachmas centum, & aliarū rerum singularum drachmas sex. Ampelopraſa etiam mouent, cùm à frigido, crassoq; humore detinentur: & cicer, & lupinorū amarorū decoctū cum myrrha & melle adhibitum: & lupinorum farina cataplasmatis modo impoſita: & thymum, & capparis radicis cortex, & casia. cùm à multitudine crasitieq; simul excrementorum purgatio cohibeatur, centaurij maioris radix, & minoris succus appoſitus. fœniculū melanthium eam prouocant. Cùm verò ex tenacitate & crasitie humorū suppreſſa est, valet petroſelinū, porrum, apium, allium, smyrniū, styrax potui datus, & appoſitus, raphanus in cibo, adiantum, amomum. Ad inſessus verò valent in aqua decocta actes folia, artemisia, dictamnū, daphne, conyza, qua etiam ſecundæ illinūtur, & menſes cientur. artemisia autem multa hypochondrijs superdata mirum in modum purgationes educit, atque adeò, vt etiam fœtum expellat. irinum quoq; vnguentum porri succo dilutum ad idem facit, & cyclamini succus cum elaterio, & farina lolij, & medulla ceruina, galbanūq;, ammoniacumq; & oleū ad pares portiones, hisq; opo-

panacis obolum adde, fac colyrium, & ſuppone: id enim periculo vacat, & vſu comprobatum eſt, & trimeſtrem, aut quadrimeſtrem fœtum expellit. Sabina autem & viuētes fœtus enecat, & mortuos deijcit. ac magni quoq; centaurij radix idem præſtat. & nepetę ſuccus epotus, & appoſitus. myrrha & cedria applicita. & ſemen quod coëundo eijcitur, ſi pudendum eo inungatur: ob eamq; cauſam medicamētum eſt conceptum impediens, ſi quis eo ſic vtatur, nulli ſecundum. deijcit etiam fœtum amarorum lupinorum decoctum cum myrrha, & nulli adiunctū, & eorundem farina illita. deijcit & minoris centauril ſuccus admotus. idem facit cyclamini ſuccus, quo venter imus illinatur: is enim valde corrumpit in peſſo cum melle appoſitus. elateriū verò dormientes fœtus perdit, ſi apponatur. caſtoreum verò cum pulegio, aut nepeta probatum eſt valere ad fœtum expellendum, ſi ſecundę ſemper eo illinantur. idem efficit braſsicæ ſuccus cum lolij farina impoſitus.

De *fluore muliebri.* Cap. CXI.

FLuor, qui muliebris nominatur, nō eſt propria vteri affectio, ſed totius corporis per vterū fit euacuatio. idq; in ijs plerunque contingit, qui molle carne ſunt, & pituitoſiores. album autem à pituita euacuatur, pallidū verò quandoq;, cùm amara bilis redundat: & interdum etiam aqueū excernitur. quamobrem ſæpe ſatis fuit ad curationem, ſi quis humorem redundantem ex toto corpore vacuauit. Sed in tota curatione conſilium eò dirigitur, vt ſiccemus, citra vehementem calorem, totum corpus, & loca vuluæ adiecta. quocirca per interuallavti etiam poterimus adſtringentibus. ergo totum corpus expurgandum eſt, & per aluum, & per vrinas, & digerendum, vt per cutim

cutim excrementa educantur adhibita totius extremitatis frictione, & inunctione ex ijs quę idonea iudicemus. Ad fluorem autem muliebrem facit portulaca esui data, & eius succus epotus, rubi fructus, & flos, ea quercus pars quæ sub cortice trunci est membranosa, & quæputamini glandis subest: ijs enim decoctis vtuntur vel maximè. sed fagi. ilicisque pars eadem efficacior est. cauda equina maximè rubrum fluorem ex aqua, aut vino epota curat. lentisci fructus fructus cum vino potus. Rubrum quoq; cohibet Samius aster, Lemnium sigillum, lentisci radicis decoctum, ceruinũ cornu combustum cum posca, papaueris nigri semen cum vino, flos rosarũ cum posca, caprinus fimus cum thure admotus: est enim is lanis excipiendus, atq; imponendus: lyciũ quoq; cum lacte adhibitũ: interna gallarum pars cum thure, & aqua eodem modo. Præterea ad insessus, & ad epithemata ventri inferiora applicanda conueniunt adstringentia.

Ad uuluæ inflammationẽ, dolores, ulcerationes, mordicationes, pruritus sinus muliebris, ad candẽ procidentẽ, & item ad ea omnia, quæ ad conceptiones, & fœtus pertinent. Cap. CXII.

AD vuluæ inflãmationes & dolores valent ad insessus faciendos ambæ artemisiæ, daphne, iris, casia, maioris centaurij radix, albæ violæ flores sicci, præsertim in diuturnis. malua, melilotũ, liliorum flores, ficus aridæ cum fœnogræco, aut ptissana, fœnũgræcum, lini semẽ. In suffitu verò valent hæc: viticis semen, casia, bdellium, ladanum, myrrha. admota verò hæc: althææ radix cocta in mulsa, mixta suillo adipi

recenti, ac terebinthinæ. fœnigræci ſuccus mixtus adipi ſuillo, aut butyro recenti, lilij radix toſta cum roſaceo, & eius etiam flores cum cerato, & medulla, & adipe, hyſſopum cum butyro, & mulſa. Ad vlcerationes autẽ vuluæ facit amurca cocta illita cum cerato. aut lyciũ eodem modo, aut ſuccus acaciæ. Mordicationes verò, & ſinuum pruritus ſedat portulacę ſuccus infuſus, lini ſemẽ in poſca decoctum, itemq́; fœnumgræcum, tragacantha cum aqua. Vuluam autem procidentem comprimit acaciæ expreſsio, aut rubi ſuccus, aut lentiſci, aut rhois rubri ſuccus illitus, & violę folia emplaſtri modo impoſita. & ariſtolochia trita cum aliquo eorum, quæ adſtringunt: & ipſius decoctum, vt in eo inſideatur, & ne ſubuaporetur, aut decoctum gallarum, aut malicorij, aut lentiſci ad inſeſſus faciendos. Conceptiones verò adiuuat paſtinacæ ſemen epotum, eiusq́; radix eſui data. appoſita verò iuuant amylũ cum medulla, ante coitum, leporis coagulum cum butyro. vulpinum ſtercus cum roſaceo in paſſo adhibitum, & vbi hoc illitum fuerit, mulier viro miſceatur. iam verò artemiſiam tritam admoue, & concipiet. perungatur anſerino adipe, & reſina terebinthina duos dies, tertio verò in concubitu ſit, & marem cõcipiet. mercurialis ſemen, aut ſuccus in peſſo, & mercurialis maſculę ſemen poſt conceptionem ſtatim appoſitũ aiunt efficere, vt mas in lucem producat̃. fœminæ verò mercurialis ſemen ſi admoueatur, fœminam partu edi. Scribunt etiam ſeruari id, quod conceptum, & coagulatum ſit, admoto lapide, qui in terra Samia inuenitur. idem fieri aiunt à lapide aëtite appoſito, & agreſtis maluæ radice. ſed ſideritis herba fœtum appoſita ſeruat.

Ad

Ad partum difficilem. Cap. CXIII.

LApis iaspis fœminib. applicádus est, aut cyclamini radix arida eodem modo. adiantũ tritum cum vino, oleoq́; , aut aqua potui data: aut bulbos amaros tere cum passo. aut suillum lac in posca bibat, quę ægrè parit. pulegij fasciculum in aquam mitte, in eaq́; mulier insideat.

Ad mulieres, ne concipiant. Cap. CXIIII.

VT ne mulier concipiat, facit filicis radix. aut thelypteris ex sapa potui data, salicis flores, & folia, brassicæ flores cum vino post conceptionem. sed ante coitum ne cõceptus fiat, admouetur menta læuigata, & virile pudendum eius succo illinitur. brassicæ flos contritus post conceptum in pessõ impositum agglutinari, congelariq́; genitura non sinit. pelecini verò semen ante concubitum in vuluam infundatur.

Ad uentrem disruptum, & mammas, & femora, & coxendices, & umbilicum prominentem. Cap. CXV.

COchleam marinam sublongam cremato, ac terito, eiq́; oui candidũ appone, aut lac ouillum admisce, & illine. Aliud. Specularem lapidem contunde, & tere ex aceto, cumq́; balneũ ingreditur ægrotus, antequàm se vngat, per viginti dies illinatur, & consanescet. Vt autem aluus rugas non contrahat propter partus, & fœtus in lucem editos, Cimoliæ & mannę pares portiones cape, oui candido excipe, & cum cyprino cerato illine.

Ad coxendicis excrescentia, tumoribus similia. Cap. CXVI.

MEdullam panis & melanteriam compone, & ad-

moue: & quod vitij inerit, corriget.

Ad umbilicum prominentem. Cap. CXVII.

GAllam cóbure, tere cum aqua, & appone. Vmbilicum verò magnũ ex partu, pulchrũ facies, si membranosum vitelli ouorũ in linteo inuoluas, tum mannã oui candido excipias, atque illinas, & in vmbilicum imponas, & alliges, itaq; diu teneatur.

De pedum, articulorumq; doloribus.

Caput CXVIII.

IN podagricis, cæterisq; morbis, qui ex defluxione humorũ fiunt, particulas imbecillas defluxionẽ recipere necesse est. sed fieri etiã potest, vt si totũ corpus excrementis vacet, particulæ nullo pacto à defluxione lædantur, cùm nihil omnino superuacaneũ insit, quod in membra comportatũ ægritudines pãrere consueuit. fiq; nihil tale defluat, nec etiam nasci inde morbos est planè perspicuum, ergo defluxio prohibenda est. id quod fiet corpus ita parando, vt excrementis vacans reddatur tum moderatis exercitationibus, tum concoctionibus alimentorum: & otium fugiendo, & ne quis ad satietatẽ comessationibus se potionibusq; expleat: præsertim verò ante cibum: hæc enim neruos lædunt nõ secus, quàm res venereæ, quæ etiam non mediocri ad podagram gignendam sunt adiumẽto. quocirca antiquis temporibus pauci admodum in podagram inciderunt. Curatio igitur eorum, qui morbo correpti sunt, ab euacuatione debet incipere: tum repellentia adhibenda, si manus, pedesq; defluxione tententur: at si coxendicis articulum defluxio obsideat, à repellentibus abstinendum: cùm enim ipse satis profundus sit, facilè quoq; intrò noxium excrementũ detruditur. quo in casu opus est remediis ad ischiadicos accom-

mo-

modatis. Cùm verò sanguinis copia solùm doloris coxendicis causa sit, vena in talo, aut malleolis incisa satis erit ad dolorē quamprimū sanandum: quemadmodū si quis ante totius corporis euacuationem acribus ad coxendicem medicamentis vtatur, multitudine ibi conculcata, affectionem sanatu difficillimam reddet, incrassabitq;, & materiā quodammodo superassabit. ergo in quibus hic error inculcationē huiusmodi fecit, maxima cucurbitula coxendici admouēda est: purgatioq; clysteribus ex colocynthide, & cæteris generis eiusdem tentanda. Ergo scire conuenit, eos qui temperatā vitam ducunt, quiq; diæta vtuntur, neq; in podagricis doloribus inueterarūt, posse leuari, si ineunte vere aut per venæ sectionem, aut purgationem euacuentur. at eos, qui multo se vino ingurgitarunt, quiq; comessationibus se expleuerunt, nihil ab euacuationibus præsidij esse capturos: rursus enim breui temporis spatio intemperāter viuentes crudos humores coacerbabunt. In doloribus autem articulorum, in quibus iam tofi constiterint, artus ad pristinū statum redire nullo modo possunt. ergo vulpes viuas, alij mortuas in oleo coquunt, alij hyænas, & discutiens oleū efficiūt, tum in peluim cōijciunt, iubentq; in id arthriticos totū corpus cōtectos se demittere, & in eo diu manere. qua ex re magnū fructum ferunt, cùm materiem omnem, ex qua morbi origo est, euacuēt. sed vitiosa viuendi ratio eos iterū eadem explet materia. Ad inflammationes verò benefacit fabarum farina ex aqua decocta, cui suillus adeps accedat. albarum quoq; violarum radices cum aceto curant inflammationes, quæ in articulis obduruerunt, caseus acerrimus, & vetustissimus decocto carnis suillæ dissolutus, & in pila probè in vnum conductus tofos

articulorum impositus dissoluit: cùm enim defluxio sine vlla sectione rupta sit, singulis diebus partes, in quibus tofus est, sine molestia implet. Aliud. Platani folia viridia leuigata, & imposita eas inflammationes, quæ in genibus sunt, iuuant.

Epithema dolorem sedans podagricis, & arthriticis, quo utantur, cùm urget accessio. Cap. CXIX.

HOC epithema capit liquoris papaueris, croci singulorũ drachmas quatuor, tere cum lacte bubulo, aut caprino, addeq; panis medullam, ac diligenter iterum tere, vt facilè tangi possit. & rosaceo affuso emollias, atque imponas, & cataplasmata tuendi causa folijs betæ, aut lactucę foris teges. quandoque etiam opium & crocum læuigantes rosaceo cerato excipimus, & in linteum coniecta imponimus. Ad ischiadicos verò faciunt cataplasmata ex farina lupinorum amarorum, quam aceto, aut oxymelite, aut posca decoquunt. nõnulli verò nepetam imponunt, vt strenuum remedium. Capparis quoq; radicis cortex coxendicis dolores iuuat, si idoneis cataplasmatis mixtus foris apponatur: siq; intus assumatur. garum etiam & muria ex piscibus sale conditis clysterib. iniecta, humores ischiadicos lædentes reuellit, & per intestina euacuat. vtũtur autem ea potissimùm muria, quæ ex siluris, & mænulis sale conditis fit. semen thlaspeos per sedem infusum cruenta euacuatione, quam molitur, iuuat. simili quoque modo centauriũ tenue. sed in his consulendus medicus est. Hactenus ergo curationẽ adhibere poterit etiam is, qui morbum ignorarit. sed aliorũ quoq; habenda ratio est, & quæ contingunt medico indicãda sunt prius, quàm magnus aliquis, & sanatu difficilis,

ficilis, aut certè immedicabilis morbus fiat: multa enim antè nobis indicant, quid futurum sit, vt soni, vt strepitus, vt cõuulsiones quarundam partium, vt inferioris labri tremor, vt vox intercluſa, vt obliuio, vt grauis halitus, vt somni profundiores quàm consueuerint, vel leues, & visis pleni, & cùm ab incubo sæpe suffocátur, & ad res venereas immoderata, frequensq; cupiditas, & cùm nõ semel, aut bis cadunt, quandam fore apoplexiam, hoc est, morbum attonitum, aut etiam morbum comitialem, aut cùm fluxio in partem aliquam decumbit, quam paraplegiã vocant, aut melancholiam, aut insaniam prænunciant, de quibus rebus oportet certiorẽ facere medicum, eumq; aduocare quàm celerrimè, vt medicinam faciat. ipse enim vel sectione venæ, vel medicina purgante propinata, vel vtroq; præsidio vtens, vel alia adhibens, quę opportuna iudicabit, ne morbus fiat, impediet. Cæterùm suffusiones oculorum hebetudo præcedit: & quædam quasi præcurrentia ante oculos sese ostendunt, vt culices, aut pili, & alia quædam, & capitis dolor. quę sunt etiã significanda medico; siquidem is purgationem adhibebit, & victus instituet rationem accõmodatam, alijsq; rebus, quę iuuare hominem possint, vtetur. lassitudines etiam, quæ per se hominibus irrepunt, & somni profundi, aut imaginũ pleni, aut vigiliæ, aut sudores post somnum, & sitis insolita, & ciborum auersio, febrium indicia sunt omnia. quæ cùm nota & explorata habeat medicus, ea faciet, quæ conuenient. quæ item in thorace eueniunt, nisi quis ad medicum perferat, periculum erit, ne aut ad sputum sanguinis, aut ad suppurationem perueniat. nigra itidem vrina quandoq; calculum esse renes obsessurum prænũciat: idq; potissimùm in senibus. sed si id resciscat medicus, quę-

dam inueniet, quæ ſenem illum ab hoc malo tuebun
tur: nam & renes purgabit ijs, quæ vrinam cient, &
iubebit ne ſeſe extendat, neue exerceatur: ſed vta-
tur equitatione, geſtationeq́; , ijſq́; nec multis, nec
diu. Cumq́; aliquis dolor in aliquo articulo, exem-
pli gratia, pedis, ſentiat, negligendus non eſt. quam-
uis enim nobis ſegniter id tranſeuntib. ſedatus fue-
rit, mox tamen reuertetur, & diu hominem maiore
malo afficiet, & ſanari difficulter poterit. Præſtat er-
go in principio dolorem curare, cùm adhuc facilis
curatio eſt. Sæpe etiam nobis ſuſpectæ eſſe debent
cruditates, & alui fluores, & inflationes, medicique
earum admoneri: nam tacētibus nobis ſæpenumero
grauia, difficiliaq́; contingūt: qualis ea affectio eſt,
quæ flatuoſa nominat, quęq́; ex timore & nimio mœ
rore oritur, quam melancholiam vocant. Sed pluri-
ma ſunt, quæ propter negligentiam ad id mali pro-
greſſa ſunt, quod vinci nullo modo poſsit. quamob-
rem nihil aut paruum, aut magnū, quod præter con
ſuetudinem accidat, eſt ſilentio prætereundum. Ve-
rùm quia coniunctorum medicamentorum facta eſt
à nobis mentio, deinceps eorum deſcriptiones con
iungentur.

Quæ ceræ menſura ſit oleo adhibenda.

Caput CXX.

SI vnguina, quę à laſsitudine leuanda, nominantur
à medicis ἄνωτα, velis conficere, oleum ceræ qua-
druplum impones: ſi liquidum ceratum, vt in fractu-
ris fieri ſolet, duplum: ſi medicamentū emplaſtri mo
do, vtriuſq; par modus eſſe debet, ſi aër nos ambiēs
ſit moderatus: ſin autem cera vetus, aut arida, aërq́;
frigidus fuerit, paulò plus olei erit addendum: ſicut
contrà, ſi cera fuerit pinguis, aërque calidior, paulò
minus

minus olei debet esse. hæc verò paulò minor portio est duodecima pars medij excessus, qui inter vtrãq; partem sit interiectus: nam vndecim & tredecim olei vncijs ceræ libra admisceri potest.

Βάτυγρον, hoc est, liquidum medicamentum. Cap. CXXI.

ADipis suilli recẽtis eiectis membranis vncię quadraginta quatuor, cerę vnciæ vigintiquatuor, lithargyri vnciæ sex, cerussæ tantundem, eliquata aridis misceantur: tractu enim temporis consistent.

Tetrapharmacum basilicum. Cap. CXXII.

CEræ, resinæ frictæ, picis siccæ, sæui taurini singulorum libra vna. Vt autẽ celerius concoquat, & carnem creet, addimus thuris modò tres vncias, modò quatuor.

Medicamentum διὰ χυλῶν, hoc est, ex succis. Cap. CXXIII.

LIthargyri pondo duo, cerę vnciæ octo, olei pondo sex, fœnugræci, lini seminis, ebisci, quæ etiam althæa dicitur (nam & agrestis malua althæa nominatur) psyllij, cucumeris agrestis, omnium ptissana decoctorum succi pondo duo. coque vsque dum non inquinent, postea vtitor.

Malagma Mnasæi. Cap. CXXIII.

LIthargyri libræ duæ, ceræ libra, axungiæ veteris libra, resinæ frictæ vnciæ sex.

Emplastrum ex melle.

CEræ libra vna, adipis anserini vnciæ sex, olei veteris libra vna, lithargyri tantundem, terebinthinæ vnciæ duæ, alij habent vna: mellis libra vna.

Emplaſtrum ex chalcitide Galeni, quod Phœnicinum dicitur. Cap. CXXV.

SVilli adipis vetuſti, ſalis expertis, pondo duo, olei vetuſtiſsimi pondo tria, lithargyri tantundē, chalcitidis vnc. III. Chalcitidē cōtunde, acper tenuiſsimū cribrū traijcies, tum in pilā cum tribus olei libris pones, ac diligēter teres vſq; dum optimè læuigentur. tum lithargyrū per tenuiſsimū cribrū traiectam, & in alia pila in tenuiſsimum pollinem prius redactam adijcies. pſyllium verò multo tempore poſt chalcitida: præſertim verò in ſole conficies, vt oleum liquidū maneat. poſtremo loco adeps adijciī, cumq; exquiſitè omnia læuigaris, in cacabum mitte, & coque, ſpatha ex ramo palmę verſans: ex quo ramo cortex viridis exterior auferendus eſt, vt ſuam humiditatem medicamento poſsit impertiri, & ad coctionem ſatis erit vnus palmæ ramus, vt ex craſsiore eius parte ſpatham faciamus, alteram verò, quæ continua erat cum ea, ex qua ſpatha effecta eſt, poliamus, & purgemus, vt candida fiat: quamq; in fruſta diſſectā, & contuſam medicamento indamus. atque eo quidem tempore tenuia fruſta inijcientur, cùm medicamentū ad moderati cerati cōſiſtentiam peruenerit. cęterùm pars ſpathæ, aut rudiculę, quæ iam à medicamento fuerit arefacta, præcidenda, & abijcienda eſt: & reliqua vtendum, vt eius humiditatem medicamentum recipiat. idq; bis, & ter faciendum erit, ſi rudiculam exiccatā intueberis. Eſt etiam perſpicuum palmæ ramum debere eſſe recens ab arbore cæſum, & eodem die, quo medicamentum coctu-rus ſis, vt ſit ſucci plenus. cumque tandiu coxeris, quandiu digitos non inquinet, ab igni auferes. & emplaſtro vteris ad vulnera cruenta, & quæ cicatricem

ægrè

ægrè ducunt: & cum oleo liquatũ ad omnia inflammata adhibebis. sed medicamentũ esto paulò plus quàm oleum, dum eliquatur.

Ex pompholyge. Cap. CXXVI.

Pompholygis, lithargyri, cerussæ, singulorum vnciæ quatuor, ladani vncia, acaciæ denarij duo, olei myrtini vnciæ octo, ceræ tyrenicæ quod satis sit, & item oua abiectis vitellis.

Ex meliloto.

Nardi gallici drachmæ decem, cyperi, cardamomi, iridis, myrrhæ, ammoniaci thymiamatis, singulorũ drachmæ octo, meliloti drachmæ viginti quinque, terebinthinæ drachmę quinquaginta, ceræ nouæ drachmæ centum, cyprini heminæ dimidiũ, aceti quod satis est. quidam guttæ ammoniaci ponunt drachmas centum.

Musæ pastillus. Cap. CXXVII.

Pastillus musæ: aluminis scisilis, aloës, myrrhæ, atramenti sutorij, singulorum drachmæ duæ, thuris drachmæ octo, capitulorũ punici mali drachmæ decem, gallarum immaturarum drachmæ octo, passi quantùm satis est.

Polyidis. Cap. CXXVIII.

Capitulorũ mali punici drachmæ sexdecim, myrrhæ drachmæ octo, aloës drachmæ octo, aluminis scisi drachmę quinq;, thuris drachma vna, atramẽti sutorij drachmæ tres, fellis taurini drachmæ sex, vino dulci excipiuntur.

Ex charta, aridus ad nomas. Cap. CXXIX.

Chartæ combustæ, æris vsti, plumbi vsti, & loti, squamæ stomomatis vt omnium par modus sit. sulfuris ignem non experti dimidium: læuigato.

Rosacei confectio. Cap. CXXX.

ROsaceum sine vllo vasculo parare conuenit, rosis solùm in oleum omphacinum, & omotribes coniectis. at sine sale cóficitur: quoniam sal calefaciens, minus idoneum rosaceum reddit.

Acopum ex populi floribus. Cap. CXXXI.

EX populi floribus adhuc cõiuentibus modius Italicus in quindecim, aut viginti libras olei alicuius tenuium partium, & non adstringentis immittitur. accómodatius q; fiet, si florem modicè cótusum in oleum cõijcies. siq; medicamentum quotidie dimouebis, præsertim cum sol feruebit, ac in domo calida, celerius, & magis populi qualitas atq; vis in oleum migrabit. itaque post duos treis ue menses potes expresso, atque abiecto flore, & oleo per linteum percolato, ipsum habere oleum, quod citra morsum per halitum discutiat. quinetiã ceram & resinam licet inijcere. ergo satis erit ceræ quartã partem, resinæ verò duodecimam addere. Si verò oleum quod expresseris, crassius videbitur, satis erit vel quintam ceræ partem, vel quandoq; sextam adijcere. Præstat autem id coquere in vase duplici, aut certè igni lento, qualis prunarum est. Medicamentum hoc aptissimũ est ad omnes lassitudines seu sponte ortas, seu alia quoq; ratione contractas: & succos, quicunque non admodum crassi, nec lenti in cute carneq; residunt, euaporant, ac digerunt.

De alijs oleorum digerentium generibus. Caput CXXXII.

OLeũ quoq;, quod ex chamæmelo fit, digerit tum per se, tum multò magis iniecta cera, & resina ad eandem mensurã. sed digerit etiã anethinũ: idq; vel per se, vel si eo quispiam cum cera, & resina vtatur. danda

da quoq; opera est, vt in vase duplici anethinum etiam incoquatur: vtiliusq; fuerit, si anethum viride sit. Si præterea betæ albæ radices in oleo coxeris, idq; quod diximus, feceris, medicamentū digerens tibi pararis: quale etiam ex cucumeris agrestis radice, althææq;, ac bryoniæ conficitur.

Pastillus Andronis. Cap. CXXXIII.

ALuminis sciſsilis, myrrhæ, singulorum drachmæ IIII. atramenti sutorij drachmæ duæ, thuris drachmæ octo, cyperi drachmæ decē, aristolochiæ drachmæ XII. aliqui drachmæ octo, gallarum omphacitidum drachmæ octo, pasi quod satis est.

Confectio ex capitibus papaueris, quæ διὰ κωδίων dicitur, Galeni. Cap. CXXXIIII.

IN vnum aquæ sextarium capita papaueris decem immitte. Si capita humidiora sint, macerētur vnum diem, vnamq; noctem: si duriora, & sicciora, etiam diutius quàm vnum diem. ac melius quidē est, neq; iam indurata accipere, neque valde mollia: fugiendaq; sunt, quæ ex perhumidis locis accipiuntur. injice verò in aquā ea capita, vt dixi, quæ sint magnitudinis mediocris: cùm & maiora, & minora indiqueāt: ita enim proportio seruabitur. coquendi terminus tibi erit, cùm tota capita flaccida fuerint redditā. quod vbi erit, exprimentur capita, atque abiicientur. aquæ autem addetur mellis dimidium mensurę totius, & ad ignem fumi expertem ad attici mellis consistentiā coquetur. decoctio verò in aqua pluuia, aut fontana facienda est. vsus eius in ijs est, quibus somno est opus: quibus etiam sæpenumero confectionem ex opio dare cogimur. hoc autem medicamento potisimùm indigent, quibus tenuis defluxio à capite ad asperam arteriam destillat, quæ pro-

pter insequentes tusses dormire non sinit. In hisce autem medicamentum est ex sapa parandum: quam ad rem satis coquitur, cùm capita papaueris fuerint ad aquæ medietatem decocta. huic etiam, dum coquit, radix glycyrrhizæ addenda est. Si verò copia defluxus à capite delati in pulmone consistat, confectio ea melle accõmodatior erit. ergo ad id quod vrget, animum adhibens, vbi in somnum vertitur æger, id demum quod ex melle constat, aut quod sine melle confectum est, dabis: & aliquando vtrunque permiscebis. Datur hoc moderata mensura ad duorum satis magnorum cochlearium magnitudinem. augebis autem, aut minues habita ratione corporis magnitudinis, ætatis, anni temporis, & regionis: in his enim omnibus, frigidioribus minimũ dabis: calidioribus, plurimũ. habita verò etiam ratione quantitatis, qualitatisq; defluxionis, te plus, minusq; daturum est planè perspicuum.

Mysterium dolorem sedans Cap. XXXV.

VAlet hoc medicamentum ad eos, quos tussis exercet, ad tabidos, ad cœliacos, ad dysentericos, & ad alui fluorem. capit autem hæc, croci, castorei, asari, alterci seminum, opij, styracis, singulorum drachmas quatuor, easq; melle excipito, atq; vtitor. quidam verò habent alterci dimidium.

Philonis medicamentum. Cap. CXXXVI.

CRoci drahmæ quinq;, pyrethri, euphorbij, spicæ nardi singulorum drachma vna, piperis albi, alterci, singulorum drachmæ viginti, opij drachmæ decem.

Picra Galeni. Cap. CXXXVII.

ALoës drachmæ centum, cinnamomi, spicæ nardi, xylobalsami, mastiches, asari, croci, singulorũ drachmæ sex. Ego verò aloës drachmas nonaginta, croci verò

verò quinq; conijcio, itaq; vtor. datur drachma ex aqua.

Catapotia purgantia ex aloë, Galeni.

Cap. CXXXVIII.

COlocynthi dos pars vna, aloës & scamoneæ singularum partes duæ, succi absinthij pars vna.

Hiera. CXXXIX.

INterioris colocynthidis drachmę viginti, chamędrios, agarici, singulorum drachmæ decem, sagapeni, opopanacis, singulorum drachmæ octo, petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi, singulorum drachmæ tres, spicæ nardi, cinnamomi, croci, myrrhæ, polij, singulorum drachmæ quatuor. melle diluito, datoq; ad summum drachmas quatuor.

Diospoliticum. Cap. CXXXX.

CVmini, piperis longi, vel albi, rutę, nitri, omnium par modus. atque ita magis ventrem soluit. cùm verò pari aliorum ponderi dimidium nitri miscetur, non ita subducit. maceretur autem cuminũ in aceto acerrimo, deinde continuò tundetur. aut etiã prius frigatur in vase fictili, quod perfectè coctum sit. sunto verò & rutæ folia modicè siccata. his quatuor aliquando mel despumatum additur, aliquando nihil, sed sola arida reponuntur, ac ptissanæ cremori, & alijs, quibus maximè conuenire videntur, cibis injiciũtur. Sumitur & medicamentũ hoc & ante, & post cibum: ad quem vsum id quod mel accepit, est etiam iucundius.

Simplex ex tribus piperis generibus.

Caput CXLI.

AD cuiusq; trium piperũ drachmas quinquaginta satis est addere anisi, thymi, zinziberis q;, singulo-

rum drachmas octo. herbarũ autem coma cum floribus, abiecto eo quod lignosum sit, imponenda est. deinde omnibus simul cõtusis, & per tenue cribrum transmissis, mel optimum, ac diligenter despumatum admisceatur. Hocq; medicamentum dari poterit semel, aut sępius quotidie, & manè, & ante, & post cibum, atque etiam dormitum euntibus. datur autem cochlearij pleni mensura: ac paruis quidẽ corporibus, parui: maximis verò, maximi cochlearis.

Medicamentum ex calamintha.

Caput CXLII.

Accipito calaminthes, pulegij, petroselini, seseleos, singulorũ drachmas XII. feminis apij, cacuminum thymi, vtriusque drachmas quatuor, libystici drachmas sexdecim, piperis drachmas duas de quinquaginta. atque herbarum quidem quicquid lignosum, durumq; est, id abijciatur: capiantur autem extremitates herbarum cum virentissimis folijs, & floribus. hæc omnia simul tundenda, ac tenuissimo cribranda sunt cribro, melq; optimum, & accuratè despumatum admiscendum. Vsus eius erit post matutinam frictionem, ante exercitationem, & balneum. licet etiam sine melle admixto siccum medicamentum conficere, & salis vice ad obsonia vti. possumus idem in ptissanam conijcere pro aceto, vel in eiusmodi aliquid pro pipere. Sed potest etiam cum melle obsonijs admisceri. post cibum tamen nunquam neque hoc medicamentum, neq; aliud vllum, quod ad validiorem distributionem faciat, erit assumendum.

Medicamentum ex succo malorum.

Caput CXLIII.

Quod ex succo malorum conficitur, accõmodatum

cum est ijs, qui non appetunt, quiq; non rectè concoquunt. eius autem confectio est hæc: malorũ cydoniorum, quæ maiora dulciora q; sint, succi sextarios duos. his optimi mellis tantundem miscebis, aceti sextariũ vnum, ac dimidium. hæc vbi ad ardentes carbones modicè coxeris, spumam q; detraxeris, zinziberis vncias tres, piperis q; albi vncias duas immittes: deinde ad carbones ignitos iterum coques, vsque dum mellis fiat spissitudo. Hoc medicamentum non modo salutare est ijs, quibus ventriculus, sed etiam quibus iecur inualidum est. constat etiam inter omnes, hoc ieiunis dandum esse ad mystri magnitudinẽ. quanquã nihil etiam lædit, si à cibo sumptum fuerit. cõmodè etiam dabitur, si quis pransus sit prius, & ante cœnam id sumpserit. maximè autem tempestiuè dederis, si duabus, aut tribus ante cibum horis obtuleris. At si cui venter intemperie calida laborat, aut bili quouis modo abundat, huic auferri piper, ac zinziber debet, ac succus malorum cum aceto, ac melle tantùm coctus modo præscripto dari.

De *oxymelitis apparatu. Cap.* CXLIIII.

OXymeli conficies hoc modo: Cum melli optimo ad carbones ardentes spumam abstuleris, in ipsum immittes aceti tantum, quantum satis sit, ne gustanti nimis acidũ, nec dulce videatur: ac denuò ad prunas coques: quoad amborum qualitates in vnum redactę planè sint: nec gustanti acetum adhuc crudum appareat, inde ab igni auferes. cum q; vti voles, aquã ei miscebis, sic temperans, vt vinum. sed satius erit de modo exsumentium gustu facere iudicium. ipsa tamen prima eorum cõmixtio, quo plurimis idonea sit, ita est faciẽda, vt vni parti aceti, mellis, à quo detracta spuma sit, dimidiũ adijci oporteat. Cum aqua

verò ſtatim oxymeli conficies hoc modo, melli quadruplum optimæ aquæ miſcebis, deinde modico igni coques vſque dum ſpumare deſinat. Conficitur ſanè oxymeli etiam tribus ſtatim ab initio cõmixtis ad hunc modum, aceti vni parti additur mellis duplum, & aquæ quadruplum: hæcq; ad tertiã, vel etiam quartã partem, ſpuma interim ablata decoquunt.

QVARTI, ET VLTIMI
LIBRI FINIS:
AC DEO HONOR, ET
GLORIA.

OBSERVATIONES IOAN. BAPTISTAE RASARII, IN nouem Oribasij libros ad Eustathium.

IOAN. BAPTISTA RASARIVS
Io. Laurentio Massatio, Medico,
S. P. D.

 VM de nouem Oribasij librorum ad Eustathium editione mecum ageres, antequã in Cyprum ab ista maxima, nobilissimaq; insula euocatus proficiscereris, ea potissimùm ratione ad id mihi persuadendũ utebaris, ne tardarem studia multorũ. Sed cùm uterq; nostrum in magna spe esset, fore, ut cùm primùm mea interpretatio in lucem fuisset prolata, nonnulli fortasse, apud quos ijdem libri diligentius descripti delitescerent, de eis edendis cogitarent, nostram tamen adhuc inanem fuisse coniecturã perspicimus. quam ob rem cùm antea summo studio huius opusculi exemplum perquirebam, ut cùm meo accuratè conferrem: tum uerò hoc tempore pertinet ad delendas multas maculas, quas Oribasius librariorum culpa susceperat, non esse cælandum diutius existimaui: nactus enim uetustum codicem sum, ex quo ea sumpta sunt, quæ mox sequentur. doleo ab eo uolumine tertium abesse librum, in quo sperabam me multa esse emendaturum: scis enim quàm multa sint in eo deprauata, ut in conficiendis medicamentis uel liquida, uel arida sæpe desiderentur. Nam quòd Paulus

Aëgineta ita scripsisse Oribasium insimulat, id ego librariorũ incuria factum puto. uerùm quod hactenus usu non uenit, forsitan aliquando consequemur. tu interim hisce locis emendatis fruere, atq; idem de libris ad Iulianum propediem expecta. Cura, ut ualeas, & me, ut facis, ama.

Venetijs, Calend. Mart.

M. D. L V I.



VOD legitur libro primo, capite tertio, Aliæ verò citra robur, &c. Vetus codex ita habet: τὰ δὲ ταχέα χωρὶς ἰντονίας, ἠγὲ βίας ἐστὶ, id est, aliæ verò celeres citra robur, & violentiam peraguntur.

Cap. XI. Quicũq; etiá molles carnes habẽt, &c. v. l. ἠγὲ ὅσα μαλάχια, id est, quicunq; etiam spiná non habent, qui μαλάχια nominantur. Paulò pòst. Coire enim cum excrementis malum est. In vetere libro sic legitur: κακὸν δὲ τὸ ἐπὶ περιττώμασι μίσγεσθαι, id est, coire etiam cum excremẽtis malum est. vt hoc sit aliud tempus, non autem ratio reddita eorum, quæ suprà sunt dicta. Et item paulò pòst. Et alui fluxus recẽtes, siquidem diuturnos quandoq; venus siccat. V. l. sic: τὸ δὲ ἀῤῥοιαν ἐξαπιναίαν: τὴν δὲ μὴ χρονισμένων ἐστὶν ὅτι τὰ ἀφροδίσια ξηραίνει, hoc est, & alui fluxus repentinos: siquidem inueteratos quandoq; venus exiccat. Et ita etiam apud Aëtium legitur.

Cap. XVII. vbi de aloë agitur, hæc sunt verba: Pertransit enim, neq; cibos corrumpit: præterea neque sitim, neque famem inducit. V. c. sic: διαχωρεῖ γὰρ, καὶ τὰ σιτία οὐκ ἀφανίζει. πρός δὲ, ἠγὲ ἄδιψον ἐστὶ, ἠγὲ ἄσιτον, id pertransit enim, neque ciborum vim hebetat. prẽterea sitim non inducit, & ad sumendum cibum nos red-

reddit promptiores. Atque ita etiam legitur apud Orib. VII. Collect. cap. XXVII.

Eodem capite de ſcamonea, Pituitam & bilim vehemẽter educit, datur eius puræ drach. vna ad ſummum. v.l. ſic habet: ἄγει δὲ φλέγμα, καὶ χολὴν ἰσχυρῶς ἄκρατον, ὅσον τοῦ. τὸ πλεῖστον, id eſt, pituitã & bilẽ puram valenter educit vna eius drachma ad ſummũ. itaq́; habet Orib. VII. Collect. XXVII. Paulò infrà, Purgatione ceſſante, vtilius erit in lecto recumbere. V.l. melius hoc modo: ἡκούσης δὲ τῆς κατάρσεως, id eſt, purgatione procedente, & non ληγούσης, vt antea legebatur.

Cap. XXII. Aut anethi radix excalefacta. V.l. ſic: ἢ ἀνήθου τῆς ῥίζης κεκαυμένης, id eſt, combuſta anethi radix.

Cap. XXIII. Succus Cyrenaicus. legendum eſt, Liquor: atque ita deinceps cùm Cyrenaici, aut Medici, aut papaueris, aut panaci ſucci fiet mentio, ſi ὀπὸς græcè legatur, Liquor, ſemper erit dicendum: vt à nomine χυλοῦ, qui exprimit̃, & ille manat, diſtinguat̃.

Cap. XXVI. Si verò nitri parum addas, abſceſſus rumpet. in v. c. legitur προσβαλὼν δὲ νίτρου ὀλίγον, ῥύσει κόλπους, id eſt, ſinus rumpet.

Cap. XXXI. Si puſtulæ eruperint, lana roſaceo &c. V.c. pro lana habet ὀθώνην, id eſt, linteolum.

Cap. XXXIIII. Cæterùm qui affectiones cognoſcere non poſſunt, ſæpe quod cõuenit, perficiũt, &c. ita legitur apud Galenum II. κατὰ τόπους: ſed Orib. habet aliter hoc modo: πολλάκις δὲ οὐκ ἀνυοῦσι τὸ δεόν οἱ μὴ διαγινώσκοντες τὰς διαθέσεις, id eſt, ſæpe enim quod par eſt non perficiunt ij, qui affectiones non cognoſcunt.

Cap. XXXV. Helenij radix æquè ac fimus columbarum ſylueſtriũ, quo admodũ frequenter vtimur. Ve-

tus codex sic distinguit, ἑλενίου ῥίζα ὁμοίως. Τῇ κώπρῳ τῶν νομάδων περιστερῶν πάνυ σωτικῶς χρώμεθα, id est, helenij radix simili modo. fimo autem columbarũ sylvestrium frequentissimè vtimur.

Libro secundo, capite primo, Pinei nuclei, lentiscus & c. v.l. addit, σροβήλε τὸ ἐδώδιμον, id est, pinei nuclei vesca pars, lentiscus &c.

Cap. II. Atractylis, cnicus agrestis. in v.l. melius legitur sic: ἀτρακτυλὶς, ἥ κνίκος ἄγριος, id est, vel cnicus agrestis. Paulò pòst, Styrax hydnon, piper. v.l. στύραξ, ὑδροπίπερ, id est, styrax, hydropiper. Sed apud Aëtiũ, qui Oribasium autorem habet, vbi de eadem re agitur, legitur vt prius translatũ fuit, ὕδνον, πίπερι, id est, tubera, & piper. quamuis cùm de calefacientibus agatur, ex omnium sententia videtur legendum esse hydropiper, cùm id à Dioscoride lib. ij. Galeno viij. simp. & item cæteris inter calefacientia, ὕδνον verò, hoc est, tuber non item, adnumeretur.

Cap. v. Epithymum, menta, satureia. v.l. habet θύμα, hoc est, thymũ, nõ θύμβρα, hoc est, satureia. quod etiam apud Aëtium legitur, quanquam vtrunq; retineri potest. Vel dicendũ, deesse verbum θύμα. Paulò pòst, Caroum. v.l. habet καρώφυλλον. Aëtius tamen nihil variat: ac Galenus quoq; VII. simpl. carum habet, cuius semen in III. ordine calefacientium constituit. nihil ergo mutandum hìc puto. Sed paulò infrà, cùm legitur, ῥάφανὶς v.l. habet ῥαφανὶς, id est, radicula, magis accõmodatè: siquidem de ruta, deq; rododaphne fit mentio, quas in tertio gradu calefacientium vnà cum radicula Gal. collocat. Ita etiam legend. infra cap. xxxix.

Cap. VII. Conyon vehementer, legendum est, cicuta extremè: loquitur enim Oribasius de refrigerantibus.

Cap.

Cap. VIII. Acacia lota, plantago, beta. v.l. ἀκακίαν πεπλυμμένου, ἀρνόγλωσσον, βλῖτον, id est, blitum, non beta, quam & Orib. & cæteri τεῦτλον vocant.

Cap. XII. Asiæ petræ flos marcescentes carnes arefacit. v.l. ἀσίας πέτρας ἄνθος τὰς πλαδαρὰς σάρκας ἐκτήκει, id est. Asiæ petræ flos flaccidas carnes eliquat. Eodē cap. Ouorū candidum & putamen. v.l. ᾠῶν τὸ λευκὸν, καὶ τὸ λεπτὸν, id est, ouorum candidum & tenue. prius tamen λέπος, id est, putamen legebatur.

Cap. XVI. Abrotanum, & præcipuè vstum. v.l. ἀβρότονον, καὶ μᾶλλον τὸ καυθέν, id est, abrotonū, ac magis etiam, cùm vstum est.

Cap. XXI. Cicuta, picea arbor. v.l. κώνειον, λεύκη, id est, cicuta, leuce arbor.

Cap. XXII. Oleum vetus, glycyrhizæ radix. v.l. ἔλαιον παλαιὸν, γλυκυσίδης ἡ ῥίζα, id est, oleū vetus, pæoniæ radix. Et ita esse legendum puto: nam tenuiū esse partium pæoniam, & non glycyrhizam, Galenus vi. simp. testatur. sed propter nominis similitudinem facilis fuit lapsus: qui etiam infrà cap. xxxix. cernitur.

Cap. XXVI. Thus, pix Aegyptia, mastiche. malè distinctum est: legendum enim est, thus, pix, Aegyptia mastiche, vt dicat mastiche Aegyptia, ad Chiæ differentiam.

Cap. XXVII. Folia maluæ syluestris, maluæ caules. v.l. τῆς ἀγρίας μαλάχης τὰ φύλλα, ἀναδένδρομαλάχη, id est, agrestis maluę folia, & anadendromalache: quam Galenus vii. simp. althæam quoq; appellari scribit.

Cap. XXXV. Asparagus, oxymyrsinum. legendum, asparagus oxymyrsinus, sine vlla distinctione, vt etiam cap. xl. Eodem cap. legitur, allium, pastinaca, legend. ex v.l. scordium. vt etiam cap. sequenti, & cap. xlvii. Et paulò infrà. Orobus, qui sumptus, legend eruum copiosius sumptum.

Cap. xxxvi. Potus vini, in quo scorpius marinus suffocatus sit. v.l. σκορπίος θαλασσίος πνιγέντος εἴνῳ τὸ ἀπόβρεγμα, id est, dilutum scorpij marini in vino suffocati.

Cap. xxxix. vbi asteriscus est, Catapotia attrahentia, quæ dantur. v. l. ἐκλειπτὰ διδόμενα καταπότια, id est, catapotia quæ ad lingendum dantur.

Cap. xliiii. Cedria, auripigmentum. v. l. addit μέλι, id est, mel.

Cap. l. Sambucus, ebulus. v.l. ἀκτία, ἄνθεμις, id est, actea, & chamæmelum. Eodem cap. Ibiscus, althæa. legend. ibiscus, siue althæa. Eodem cap. legend. Ex caricis, pingues, magis quæ ex caprificu existunt.

Cap. lii. pro smyrna, legendum est, myrrha. & item cap. sequenti. Paulò infrà. Glaux, cerebrum. Dioscor. lib. iiii. & Orib. xiiii. Coll. cap. lxiiii. herbam esse glauca, & animal, quæ noctua dicitur, scribit: ac cerebrum noctuę ad lac gignendum accómodatum esse ex Zopyri sententia cómemorat.

Cap. lix. Vbi de Lemnio sigillo fit mentio, habet alius codex, drach. mediam. v.l. legit drach. viii.

Libro iiii. capite primo. Dauci, seseleos. trochisci. v. l. δαύκου, σισέλιος, τορδύλις, id est, dauci, seseleos, tordylij, quod tordylium Dioscorides lib. iii. Seseli Creticum ab aliquibus vocari scribit.

Cap. iii. Itemq; saxatilium piscium, & pelagiorum. legendum est, itemq; saxatilium piscium, littoralium ac pelag.

Cap. v. Cetaceum genus in mari degentiũ animalium. legend. omne cetaceum genus &c.

Cap. xii. Paguri, cancri, locustæ. legend. paguri, cancri, loligines. Et eodem cap. his minus nutrit album simul, & crassum, & adstringens. legendum, & auste-

austerum. Et paulò pòst, Minus verò alit polenta. legend. æquè, atque ij, nutrit polenta. Et item, Corna, pruna sylvestria, zizipha. v. l. addit, rubi fructus, arbuti fructus.

Cap. XIII. Legendum est, Buglossum, passer, & lacertus medij quodammodo sunt inter eos, qui tenerum, duramq; carnem habent: alimentumq; eorũ est optimũ ijs, qui se nõ exercent, quiq; imbecilli sunt: ijs verò, qui convalescunt, friabile, & molle alimentum est ad bonam valetudinem accõmodatissimum. quocirca optimum omnium succum creant carnes quadrupedũ animaliũ, si probè concoquantur, &c. Ita enim etiam scriptum est lib. iii. Collect. apud Orib. cap. xv. Tum non ita multis versibus interiectis legend. Et pituitæ plurimùm faciunt, mamma & iecur boni succi sunt, &c. Et, meliores sunt pedes porcorum, quàm grunnus & aures.

Cap. XIIII. legend. Seniorum verò carnes sunt pessimę. & paulò pòst, Aut pecudũ: non minus quoque, quàm eæ, mali succi est ceruina caro, renes, & testes nimis adultorũ, &c. paulò pòst, Quam alij horæi fructus. Et non ita multò pòst, legend. Porrorũ, alliorum, daucorum, & radicularum: & item, Vina, quæ crassa sunt, & fœtida, & austera.

Cap XV. legend. Torpedo, turtur, omne genus volucrium. auium nanq; caro terrestrium carni compar. & paulò pòst. Ex bubulis & caprinis carnib. meliores ad concoctionem sunt bobus vituli, atq; hœdi capris, omnes præterea carnes eorum, &c. Ad finem cap. Vinum dulce facilius, quàm austerum concoquitur.

Cap. XVI. legend. Mulli, orphi, deinde, oua tosta, elixa, fricta, triticum elixum.

Cap. XVII. legend. Oliuæ sale conditæ. præstan-

tiores autem sunt. Et pòst, Huius generis sunt carduus, atractylis, & atracte magis honorata, quàm cõ ueniat. &, Regius asparagus, paluſtris, myrti sylueſtris &c.

Cap. xviii. legend. Vinum nigrum, & ausſterũ facilè aceſsit, & ad vomitum impellit: craſſum quoque & nouum.

Cap. xxi. legend. Præcipuè verò ſi mellis portio ei fuerit indita. Zithus & ſucci omnes. ita enim v. l. habet.

Cap. xxii. legend. Ad quem vſum adhibenda eſt cum oxymelite, vel aceto & oleo ante alios cibos omnes. paulò infrà, Quocirca & aſparagum aſphodeli ictericis, vt ſummũ remedium præbent. & infrà, Radicula attenuandi vim habet.

Cap. xxiiii. legend. triticum elixum, ouq elixa.

Cap. xxvii. legend. Serum lactis valde aluũ mollit, eiq; tantũ optimi mellis addendum &c. Et, Carnes animalium, quibus parum admodum ætatis acceſsit, Similiter etiam eorum extremitates facilius per aluum tranſeunt. Et pòſt. Vuæ dulces, preſertim cùm humidæ fuerint: mora in purum ventriculum incidentia &c. Et, Si rectè affectus ſit venter ud infernam deiectionem, facilè deijciuntur: ſi verò non, & ipſa ſupra cætera manent, & nihil &c. Et, parum ad alteram partem vergens, cùm neq; ventrem languidum ad excretionem, neq; validum ad diſtributionem ſortiatur.

